UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt tres Indices, unus Titulorum initio Operis, duo rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem, prior quidem super Tomum præsentem, alter compendiosus super Universum Jus Canonicum

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

urn:nbn:de:hbz:466:1-75255

Visual Library

Th. 482a

M. IV.
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 9

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CRIMEN FORI ECCLESIASTICI,

SEU

Decretalium Gregorii IX. Pont. Max.

LIBER V.

Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus,

In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri Quinti, quæ tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus.

TOMUS II.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

Soc. JESU, SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horúmque in Alma, & Electorali Universitate Ingolstadiana Professore Ordinario, & Primario, nunc Episcopalis Universitatis Dilinganæ Cancellario.

Accedunt tres Indices, unus Titulorum initio Operis, duo rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem, prior quidem super Tomum præsentem, alter compendiosus super Universum Jus Canonicum.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj. & Facultate Superiorum.

INGOLSTADII,

Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE Bibliopolæ Academici.

DILINGÆ

Formis Joann. Ferd. Schwertlen, Episcopalis Princip. Aulæ, & Civit. Typographi.

M. DCCXXVII

CRIMEN FORI ECCLESIASTICI,

SEU

Decretales Gregorii IX. Pont. Max.

LIBER V.

Brevi Methodo ad Usum Auditorum

collectus, ac explicatus

AUTHORE

P. FRANCISCO

[illegible]

Opus, diuturno usu comprobatum, in ordine elucidans,

[illegible]

INGOLSTADII,

[illegible]

FACULTAS
R. P.
PROVINCIALIS

Cum Privilegio Cæsareo.

EGo Josephus Preiss, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum R. P. N. Michaële Angelo Tamburino Societatis universæ Præposito Generali, Librum, cui Titulus est, *Liber Quintus Decretalium &c.* à P. FRANCISCO SCMALZGRUEBER Societatis nostræ Sacerdote, & SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore conscriptum, & à deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum, probatúmque, Typis in lucem edi permitto, ac Domino Joanni Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academico Ingolstadiensi jus concedo usurpandi ad

ad decennium Privilegij Cæsarei, quo Typographis, ac Bibliopolis omnibus adimitur copia, vulgatos à Societatis JESU Patribus Libros absque Superiorum, Authorúmque consensu in eâdem, vel diversâ Linguâ recudendi, vel intra Sacri Romani Imperij & Provinciarum Sacræ Cæsareæ Majestati hæreditario Jure subjectarum fines importandi. Hanc Facultatem de una tantùm impressione intellectam, manu mea, & Officij Sigillô firmavi. Oeniponti 14. Septembris 1717.

L.S.

JOSEPHUS PREISS,
Soc. JESU.

ELENCHUS TITULORUM CONTENTORUM IN HOC TOMO II.

LIBRI V. DECRETALIUM

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore. fol. 795.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore. 799.

TITULUS XXVI.

De Maledicis. 802.

TITULUS XXVII.

De Clerico Excommunicato, Deposito, vel Interdicto ministrante.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante. 818.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto. 825.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit. 830.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum. 833.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione. 836.

TITULUS XXXIII.

De Privilegijs, & Excessibus Privilegiatorum.

§. I.

§. I. De Natura Privilegij. 847.
§. II. De Privilegiorum Varietate. 880.
§. III. De Modis acquirendi Privilegia. 811.
§. IV. De Privilegij Usu, Interpretatione, & Extensione. 819.
§. V. De Privilegiorum amissione. 834.
§. VI. De Revocatione Privilegiorum. 856.
§. VII. De Privilegio Exemptionis. 865.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica. 878.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari. 889.

TITULUS XXXVI.

De Injurijs, & Damno dato.

§. I. De Injuria. 895.
§. II. De Damno dato. 910.
§. III. De Repressalijs, seu Pignorationibus. 929.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

§. I. De Pœnis in genere. 932.
§. II. De Pœnis Ecclesiæ Spiritualibus, & in specie de Irregularitate. 951.
§. III. De alijs Pœnis Ecclesiæ Spiritualibus. 971.
§. IV. De Pœnis Ecclesiæ Temporalibus. 985.
§. V. De Pœnis Fori Sæcularis. 997.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentijs, & Remissionibus.

§. I. De Pœnitentia, prout est Sacramentum. 1001.
§. II. De Pœnitentia, prout est Satisfactio pro peccato. 1040.
§. III. De Indulgentijs. 1050.
§. IV. De Jubilæo. 1061.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

§. I. De Censuris in genere. 1072.
§. II. De Excommunicationis Censura. 1109.
§. III. De Excommunicatione in particulari, & præcipuè de Excommunicatione Canonis. 1143.
§. IV. De Suspensione. 1164.
§. V. De Interdicto. 1179.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione. 1213.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris 1223.



PARS III.

De Delictis propriis Clericorum.

POst examinata Delicta, quæ tum Cultui, & Fidei Divinæ, tum Charitati proximi adversantur, subjunguntur Delicta, quæ in Clericis solis vel deprehenduntur, vel specialiter reprehenduntur. Inter hæc primo loco occurrit Venatio. Sit ergo

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

1. *Quot sint Venationis species?*
2. *Quænam Venatio sit licita, quæ illicita?*
3, 4. *Qualis Venatio sit prohibita Clericis, & Religiosis?*
5, &c. *An rectè Venatio clamorosa sit ipsis prohibita?*
9. &c. *Pœna Clerici Venatoris.*
12. &c. *An bene gravior pœna sancita sit Episcopo, quàm inferioribus Clericis?*

1 QUæritur 1. quot sint Venationis species? R. à Sylv. *V. Venatio pr.* & Sebast. Medices *de Venation. q. 1. n. 5.* tres species referuntur, scilicet *Oppressiva*, sic dicta ab injusta oppressione hominum; *Arenaria*, quæ exercetur cum bestiis depugnando in arena; & *Saltuosa*, seu *Sylvatica*, quæ ad ferarum, volucrum, & piscium etiam (nam etiam *Piscatio* sub nomine generico *Venationis* comprehenditur) ordinatur.

2 Quæritur 2. quænam ex his tribus Venationis Speciebus sit licita, quæ illicita? R. *prima* ex his omnino illicita est *can. fin. §. fin. dist. 6. Altera*, si exerceatur pro quæstu, inducit infamiam . . *hunc titulum 1. §. removet 5. v. & qui operas suas ff. de postuland. Tertia* per se licita est: fieri tamen illicita potest ex quadruplici maximè capite. Et 1. quidem ex persona venantis: & sic Venatio interdicta est Clericis *can. quorundam 1. dist. 34. can. qui venatoribus 8. & 9. dist. 86.* & *c. Episcopum 1.* ac *c. fin. h. tit.* junct. Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.* 2. Ex tempore, quo fit, si scilicet instituatur diebus festis, & ita, ut per eam fiat, ne sacrum audiatur. Less. *l. 2. de J. & J. c. 5. n. 44.* Rebell. *l. 1. q. 14. sect. 3. n. 14.* Palao *tr. 30. D. un. p. 14. n. 2.* 3. ex loco, in quo instituitur, si scilicet venatio in saltu, aut piscatio in lacu alieno contra Domini voluntatem instituatur; quia quilibet habet jus prædio suo utendi, & illius usum omnibus aliis prohibendi. Palao *l. cit. n. 3.* 4. ex detrimento boni communis, vel particularis: quod fieret, si escæ tales projicerentur in flumen, quibus pisces omnes enecarentur, & aquæ inficerentur; aut cùm pedibus, equis, canibus conculcantur sata, destruuntur vineæ, dissipantur sepes &c. Less. *l. cit. n. 40.* Palao *n. 5.*

3 Quæritur 3. qualis Venatio prohibita sit Clericis? R. Nam duplicem DD. Venationem saltuosam distinguunt: ex his una dicitur *Quieta*, quâ sine strepitu, laqueis, retibus &c. atque etiam paucis canibus adhibitis, lepores, vulpes, aliæque feræ minores, & aliquando etiam volucres capiuntur. Alia *clamorosa*, quæ magno armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultúque, & vehementiâ apros, cervos, aliásque præsertim majores feras, & aliquando etiam aves capiendo exercetur. Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Pirhing *hic n. 3.* Wiestner *ibid. n. 2.*

4 Ex his *Venatio Quieta* personis Ecclesiasticis permissa est, si utilitatis, aut necessitatis corporalis, vel etiam honestæ recreationis causa, vel rariùs instituatur. Gloss. *in c. 1. V. voluptate h. tit.* Sylv. *V. Venatio ỳ. quantum verò ad personam.* Bellet. *Disquis. Cleric. p. 1. tit. de Disciplin. Cleric. §. 19.* Less. *2. de J. & J. c. 5. n. 40.* Pal. *tr. 30. D. un. p. 14. n. 1.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Wagnereck *in c. fin. ibid. not. 2.* Vallens. *hic n. 1. & 2.* Engl *n. un.* Pirhing *n. 3.* König *n. 1. & 3.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 5. & 6. Ratio est*, quia Venatio ex se actus, sive res indifferens est, & permissa Jure naturali *arg. §. feræ 12. Inst. de rer. divis.* igitur nisi prohibita Jure positivo sit Clericis, & Religiosis, etiam ipsis est licita. his autem prohibentur Venationes solùm illicitæ, & Statum illorum dedecentes, qualis solùm Clamorosa est, non autem Quieta Venatio, prout patet ex *c. fin. h. tit. Clem. 1. §. porro de Stat. Monach.* & Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.* ergo &c. Accedit consuetudo, optima Legum interpres, quâ constat, hujusmodi Venationem passim etiam à doctis, & timoratis Clericis pro licita reputari, indèque sine scrupulo practicari.

5 Quæritur 4. an rectè Clericis, & Religiosis prohibita sit *Venatio clamorosa?* Videtur, etiam ipsam permissam, vel saltem permittendam esse, ex duplici argumento. Nam 1. eisdem permissa est Piscatio *can. nunquam 33. ỳ. taxantur de consecr. dist. 5.* huic autem Venatio in Jure æquiparatur *arg. §. flumina 2.* & *§. feræ 12. Inst. de rer. divis. 2. c. cùm venerabilis 21. de Censib.* mentio fit de Spallis, seu ut Dufresne *Glossar. V. Spalla* explicat, de armis, sive partibus ferarum, v. g. aprorum, aut cervorum, ab Abbate pro licentia venandi pendendis Episcopo.

6 *Sed dicendum*, rectè Venationem Clamorosam, & Quietam nimis frequentatam prohiberi Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis. *Ratio prohibitionis* est, quia Venatio hæc partim propter tumultum, & clamorem satis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam; partim quia propter immitem calidi sanguinis animalium effusionem refert, quandam speciem belli, simúlque excitat in animis aliquam asperitatem, & truculentiam debitæ mansuetudini, & lenitati Clericali valde adversam. Accedit, quia per Venationem etiam Quietam, nimis tamen frequentatam, Clerici à Divinis Officiis, & Spiritualibus aliísque Clericalem Statum decentibus occupationibus abstrahuntur, hoc ipso, quòd Venationi nimiùm dediti primas diei curas, & primum, idemque nobilissimum tempus, quod Divino obsequio, & præfatis occupationibus consecrare deberent, feris, aut volucribus investigandis, & insectandis, capiendisque impendant, prout cum aliis bene observat Menoch. *de arbitr. cas. 413. n. 15.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 5. n. 15.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 7.* Pirh. *hic n. 2.* König *n. 1.* Reiffenstuel *n. 7.*

7 Multò magis Venatio interdicta est Monachis, & aliis Religiosis. *Clem. 1. §. porro de Stat. Monach.* quia adhuc magis illos dedecet, ita, ut nec recreationis causâ Venatio eis liceat, si per se Venationi dent operam, ut est communis opinio apud Diaz *pract. crim. can. V. Venatores c. 71. in addit. Lit. C. ỳ. recreationis.* Palao *tr. 30. D. un. p. 14. n. 1. ỳ. quæ dicta sunt.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 4.* & *in c. fin. n. 2.* Pirhing *hic n. 3. fin.* Addit tamen Palao *l. cit.* & *tr. 16. de Stat. Relig. D. 4. p. 13. §. 5.* in his Venationis usum, si scandalum absit, non esse peccatum mortale. Quod multò magis verum est de Clericis Sæcularibus; nam hi etiamsi Venationem etiam Clamorosam per se ipsos exerceant, secluso scandalo, vel aliâ circumstantiâ extrinsecâ, rarò peccant mortaliter, ut expressè docuerunt Medin. *Cod. de Restit. q. 12.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 44.* Less. *l. 2. c. 5. n. 43.* Emm. *Sa V. Venatio art. 4. Edit. Roman.* Rebell. *l. 1. de oblig. Just. q. 14. sect. 2. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. n. 15.* Palao *n. 1. cit.*

8 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* negatur paritas; quia Venatio propter saltus, & clamores magis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam, nutrit otium, & vitia, ac per crebram, & immitem calidi sanguinis animalium effusionem, ut *n. 6.* dictum est, excitat in homine asperitatem, & truculentiam contra Clericalem mansuetudinem; quod non contingit in Piscatione: ut proinde illa, non ista meritò prohibeatur Religiosis, & Clericis, præsertim cùm plures sanctos Piscatores, & inter hos ipsos Apostolos, qui artem istam etiam post conversionem exercuerunt, ut passim in Evangelio legitur; Venatorem autem, teste S. Hieron. *can. Esau 11. dist. 86.* ne unum quidem Sanctum in Scripturis legamus. *Ad 2.* Spalli ferarum ab Abbate non pendebantur pro licentia venandi per se, vel per suos Monachos, sed per extraneas, & Sæculares personas, per quas exercere Venationem Religiosis, & Clericis non est prohibitum. Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 9.* Wiestner *hic n. 9.*

9 Quæritur 5. sub qua pœna Clericis, & Religiosis prohibita sit Venatio? *ỳ.* si sæpius exercita fuerit, *c. Episcopum 1. h. tit.* Episcopus jubetur tribus mensibus à communione arceri, Presbyter duobus, Diaconus verò suspendi ab Officio, sine

sine determinatione temporis : ideóque post aliquot dies , vel quando placuerit , Episcopus cum Diacono poterit dispensare; non autem dispensari poterit cum Episcopo vel Presbytero ante trimestre, vel bimestre elapsum. Diaz *pract. crim. can. c. 71. n. 1.* Porro suspensionem hanc in Diaconum Venatorem latam, Gloss. *fin. in c. 1. cit.* extendit etiam ad Subdiaconum. Minores verò Clerici arbitrio Judicis plectendi sunt *arg. c. de causis 4. de Offic. Deleg.* Host. *Summ. n. 4.* Anchar. *h. t.* Vivian. *in c. 1. h. tit. prop. fin.* Barbos. *ibid. n. 6. & 10.* Medices *de Venat. q. 9. n. 8. & 9.* Vallens. *hic n. 1.* Pirhing *n. 1. & 4.* König *n. 2.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 9.* quod tamen restringendum est ad solos Clericos in Minoribus, qui Beneficia Ecclesiastica obtinent: secus quoad alios ; hi enim nullam pœnam incurrunt. Pirhing *n. 4. cit.*

10 Porro ad incurrendam pœnam, in Clericos statutam, idem Pirhing *l. cit.* cum Host. *in c. 1. cit. fin.* requirit , ut præcedat monitio *arg. can. indignè 21. caus. 12. q. 2.* ubi dicitur , quòd vindictam debeat præcedere admonitio. *Sed contrarium* tenet Diaz *c. 71. cit. n. 4.* ubi ait , quòd monitio hæc operetur, ut, si Clericus admonitus à Venationibus cessare nolit, possit deponi, non propter Venationem, sed propter inobedientiam.

11 Imò has pœnas consuetudine abrogatas , notat Wagnereck *h. tit.* quâ consuetudine etiam derogatum est Canonibus , siqui essent , quibus talis quoque Venatio , & requisita ad eam v. g. canes , retia &c. prohiberentur , quæ nec ab Officiis Divinis avocant , nec mansuetudini Clericali contraria sunt; cùm enim talis Venatio , & requisita ad eam ex se indifferentia , & Jure naturali , permissa sint, ut dictum est *n. 4.* utique valebit consetudo contra Legem talia prohibentem *arg. c. fin. de Consuet.* Pirhing *n. 4. fin.* Reiffenstuel *n. 10.*

Quæritur *6.* an bene gravior pœ 12
na Episcopo , quàm Presbytero , & huic , quàm cæteris Clericis sancita sit ? *Videtur* non bene sancita esse; quia *c. usurarum 1. V. qui verò de Usur. in 6.* Episcopalis Ordinis Prælato minor , quàm inferioribus Clericis , ubi par delictum est, pœna imponitur ; & aliàs generalis est Regula , quòd qui majori nobilitate, & dignitate fulget , mitiùs puniatur *c. pastoralis 28. pr.* ibi , *Dignitati deferat de Offic. Deleg.* & *l. sacrilegii 6. pr.* ibi , *Aut si honestiori loco natus sit ff. ad Leg. Jul. Peculat.*

Verùm hæc Regula , ut Tiraquell. 13
de pœn. temper. cas. 37. notat , solùm procedit , quando Dignitas Delicti gravitatem non auget : secus , si ex delinquentis Dignitate crescat , prout fit in casu præsenti. *Hinc dicendum* , meritò Venatores Episcopos graviori , quàm inferiores Clericos pœnâ affici. Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 8. fin.* Wiestner *hic n. 4.*

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1. *Specialiter prohibentur Clerici percutere alios.*
2. &c. *Quibus id liceat?*
3. *An Prælatus Clericos sibi subditos disciplinæ causâ possit percutere manu propria?*
6. *Et, si per alium, per quem?*
7. *Qualis debeat esse ista percussio?*
8. &c. *Pœna Clerici Percussoris.*
10. *Hodierna observantia circa hoc.*
11. *Privilegia.*
12. *Quando Clericus percussor deponi possit etiam ob percussionem non enormem?*

1 VEnationem sequitur *Percussio* , quæ duplex est, manu , & linguâ. Manu percutientes *Malefici* , linguâ percutientes *Maledici* , appellantur : de his sermo erit *Titulo sequente* , in præsenti de prioribus. Specialiter autem cuivis Clerico , præsertim in Majoribus constituto , prohibitum est Laicum etiam delinquentem sive fidelem, sive infidelem propriis manibus percutere *can. quid autem 1.* & *can. Episcopum 7. dist. 45. can. non licèt 25. dist. 86.* & *c. siquis 1. h. tit.* Ratio est quia percussio repugnat modestiæ Clericali , ac mansuetudini Christi , quàm imitari debent Clerici. König *hic n. 1.* Reiffenstuel *ibid. n. 2.* Verùm prohibitio hæc limitationem patitur; nam aliquibus Clericis percussio moderata sibi subditorum non est prohibita. Hinc

Quæritur *1.* quibus Clericis licitum 2
sit percutere alios Clericos, vel Laicos ? *R. 1.* id possunt Præceptores, aut Magistri Artium Liberalium , si verba , & minæ non proficiant , tunc enim possunt venire ad verbera , sed moderata , prout ratio culpæ , & qualitas personæ exigit ,

& consuetudine receptum est *can. aut facta 19. dist. 1. de Pœnit.* & *l. sed & si 5. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* *Proceditque hoc*, etiamsi Discipuli, quos ita corrigunt, sint Clerici; nam si moderata, & correctionis causâ sit facta percussio, eâ utentes Excommunicationem Canonis non incurrunt *c. super eo 1. §. nec Clerici. ℣. neque Magister. c. ex tenore 10.* & *c. cùm voluntate 54. §. fin. de sent. Excomm.* quia nec suadente Diabolo facta, nec violenta censetur. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 1.* Navar. *Man. c. 27. n. 81.* Suar. *de Censur. D. 22. sect. 1. n. 48.* Molin. *tr. 5. de Just. D. 56. n. 4.* Conink *D. 14. de Censur. dub. 15. n. 190.* & *seqq.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. ℣. quarta.* Bonacin. *D. 2. de Censur. in part. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 23. §. 3. n. 6.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Wiestner *hic n. 2.* Reiffenstuel *n. 3.* & *9.*

3 2. Similiter Excommunicationem Canonis non incurrunt Seniores Sacerdotes, & alii Clerici, si zelo devotionis pueros, vel adolescentes, in minoribus Ordinibus constitutos, dum Officium Divinum turbant, leviter percutiunt *c. cùm voluntate cit. §. fin.* & *c. veniens 16. de sent. Excomm.* Abb. *ibid. n. 1.* Barbos. *n. 1.* Palao *l. cit. n. 6.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 9.*

4 3. Possunt Prælati Ecclesiastici tam Sæculares, quàm Regulares disciplinæ causâ moderatè percutere Clericos, & Religiosos sibi subditos, in Minoribus quidem Ordinibus constituros etiam pro levioribus culpis, in Majoribus autem tantùm pro gravioribus *can. cùm Beatus 8. dist. 45. can. non licet 25. pr. dist. 86.* Palao *l. cit. n. 10.* Pirh. *hic n. 1.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 9.*

5 Quæritur 2. an Prælatus Ecclesiasticus Clericos sibi subditos disciplinæ causâ percutere propria manu possit? ℟. distinguendo inter Episcopum, & alios Prælatos inferiores Episcopo: hi verberare Clericos sibi subditos etiam in propria persona possunt; non verò Episcopus, sed id facere per alium debet *can. non licet 25. dist. 86.* *Excipitur*, si alium Clericum, qui id faciat, reperire non possit; tunc enim etiam Episcopus per se verberare Clericum potest. Gloss. *in can. non licet cit.* Abb. *in c. 24. n. 8. de sent. Excomm.* Pirhing *hic n. 1.*

6 *Dubitatur*, cui demandari verberatio Clerici, vel Religiosi ab Episcopo, vel Prælato Ecclesiastico possit? ℟. demandari debet alteri Clerico, vel Religioso, non verò Laico; alioquin tam Episcopus verberari mandans, quàm Laicus ex mandato Clericum percutiens Excommunicationem incurrunt, etiamsi justa verberandi causa subsit *arg. c universitatis 24. de sent. Excomm.* Diaz *pract. crim. can. V. verberari c. 136. n. 2.* & *3.* Suar. *de Censur. D. 22. sect. 1. n. 42.* Barbos. *in c. 24. cit. n. 2.* Pirhing *hic n. 1.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 7.* *Excipitur*, nisi Clericus penitus esset incorrigibilis; tunc enim per Laicum verberari poterit *arg. c. ut famæ 35. de sent. Excomm.* Gloss. *in cas. Summ. dist. 45.* Pirhing *l. cit.* de quo tamen dubitat Diaz *l. cit.* cùm *c. cit.* loquatur solùm de captura facienda per Laicum, & nihil de verberibus.

7 Quæritur 3. qualis debeat esse hæc percussio? ℟. debet esse hæc moderata *can. disciplina 9.* & *seqq.* cum *præfat. Gratiani* incipit *Salomon dist. 45.* Engl *hic ℣. quodsi.* Et hinc si Prælati debitam correctionem in verberando excedant notabiliter, incidunt in Excommunicationem *can. siquis suadente* 1 reservatam Papæ, & mittuntur in exilium *can. cùm beatus 8. fin. pr. dist. 45.* Abb. *in c. 24. desent. Excomm. n. 9.* & si ex immoderata, & incauta percussione, etiam disciplinæ causâ facta, sequatur mors, vel mutilatio, contraheretur Irregularitas *c. Presbyterum 7. de Homicid.* Pirhing *hic n. 1.*

8 Quæritur 4. quæ sit pœna Clerici alium, etiam Laicum, illicitè percutientis? ℟. *c. siquis 1. h. tit.* primò jubetur corripi pro excessu percussionis, & qualitate delicti, ac delinquentis ad arbitrium Superioris; & si non resipuerit, deponi. *Ex quo sequitur* 1. quòd, si se emendaverit, non sit deponendus. Gloss. *fin. in c. 1. cit.* Engl *hic pr.* Pirhing *n. 2.* Reiffenstuel *n. 4.* & hinc iterum. *Sequitur* 2. non esse deponendum Clericum de gradu, & statu Clericali propter unicam, vel alteram simplicem percussionem; quia post correptionem exspectanda est emendatio proutdictum est.

9 *Excipitur* autem, si Clericus aliquem lethaliter, vel enormiter percussisset; nam hic etsi istud vel semel tantùm fecisset, deponendus esset, etiam sine ulla monitione *arg. can. fin. dist. 25.* & *c. præterea 2. h. tit.* Gloss. *in c. 1. eod.* Host. *ibid.* Pirhing *hic n. 2.* Reiffenstuel *n. 4.* & *5.* Ratio est, quia talis percussio gravissimè adversatur Statui, modestiæ, & mansuetudini Clericali.

10 Quæritur 5. quæ sit hodierna observantia Statutorum de percussione Clericorum, vel Laicorum? ℟. hodie per consuetudinem recessum est in multis à rigore Canonum, præsertim circa prohibitionem, ne Prælati Clericos delinquentes verberari curent per Laicos; nam ut de consuetudine Galliæ testatur Barbos. *in c. 24. de Sent. Excomm. n. 2.* ibidem Episcopi Clericos delinquentes castigant per Laicos. Et hanc consuetudinem, ut Prælati Ecclesiastici mediis Laicis capiant, in vincula conjiciant, flagellorum publica punitio-

nitione afficiant, &, si opus fuerit, torqueant, ac in triremibus puniant, etiam alibi passim vigere docent Abb. *in c. 12. cit. n. 6.* Navar. *comment. 3. de Regul. n. 52.* Clar. §. *fin. q. 77. n. 3.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 56. n. 8.* Suar. *D. 22. de Censur. sect. 1. n. 44.* Coninck. *D. 14. dub. 15. n. 191.* Avil. *p. 2. de Censur. c. 5. D. 3. dub. 12.* Filliuc. *tr. 15. c. 1. q. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9. V. porro.* Bonacin. *de Censur. in part. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 5.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 23. §. 3. n. 11.* Wiestner *hic n. 6.* idque meritò; ne aliàs contra *c. ut famæ 35. de Sent. Excomm.* delicta maneant impunita, cùm difficile sit reperire Clericos, qui velint in se suscipere munus capiendi, incarcerandi, & verberandi alios delinquentes Clericos. Accedit, quia hujus generis punitionis executio minùs decet personam Ecclesiasticam.

11 Imò id FF. Minoribus ab Alexandro VI. & Leone X. concessum est per Privilegium, ut subditos suos castigare verberibus possint per Religiosos Laicos, seu Conversos, habetur *Compend. Privil. Minor. V. Absolutio ordinaria §. 20. & 27.* cons. id etiam competit cæteris Prælatis Ordinum, qui cum iisdem privilegiorum communicationem habent, ut notat Palao *l. cit. fin.* Quapropter partim his Privilegiis, partim consuetudine introducta possunt Religiosi Prælati absque ulla necessitate Religiosos sibi subditos correctione dignos punire medio Religioso etiam Laico. Navar. *de Sent. Excomm. cons. 42. aliàs 28.* Molin. *tr. 3. D. 51. n. 5.* Coninck *l. cit. n. 191.* Laym. *n. 9.* Palao *l. cit.*

Quæritur 6. quando Clericus percussor deponi possit etiam ob percussionem non enormem? R. tunc, quando consuetudinem habet percutiendi, ita, ut facilè procedat ad verbera, etiam pro minimis rebus, præsertim juncto scandalo; nam hic, si admonitus se non correxerit, non debet in Gradu, seu statu Clericali permanere, cùm Clericos deceat imitatio mansuetudinis Christi. Pirhing *hic n. 2.* König *ibid. n. 2.* 12

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Maledictum?*
2. *Quis dicatur Maledicus in proximum privatum?*
3. *Quale peccatum committat?*
4. *Et quam pœnam incurrat?*
5. &c. *Quid sit statutum in eos, qui maledicunt Principi Sæculari?*
7. &c. *Vel Pontifici?*
10. &c. *Aut alii Prælato Ecclesiastico?*
13. &c. *Modi, quibus aliquis Maledicus possit fieri in DEUM.*
15. &c. *Hujus pœna.*
18. &c. *Quando pœnæ hæ incurrantur?*
20. &c. *Quæ sit hodierna pœnarum istarum observantia?*
23. &c. *Quis sit Judex competens respectu criminis Blasphemiæ?*

1 QUæritur 1. quid, & quotuplex sit *Maledictum*: R. *Maledictum*, vel *Maledictio* à *malè dicendo*, vel *loquendo* sic nuncupatum est, & dicitur malum dictum, seu mala locutio de alio: & qui ita malè loquuntur, *Maledici* vocantur. Host. *Summ. n. 1. h. tit.* Pirhing *hic. n. 1.* König *n. 1.* Reiffenstuel *n. 2.* Dividitur in Detractionem, Calumniam, & Blasphemiam, indéque Maledici in Detractores, Calumniatores, & Blasphemos. Blasphemia committitur in DEUM, vel Sanctos; Detractio, & Calumnia in homines, idque vel in Principem, vel in privatum aliquem.

2 Quæritur 2. quis dicatur Maledicus in proximum privatum? R. qui famam, & existimationem ejusdem deprimit vel aliquid mali e. g. quòd sit fur, aut adulter &c. de eo enuntiando, vel bonum, & qualitatem ipsi competentem v. g. ingenuitatem, nobilitatem &c. inficiando: quòd dupliciter fieri potest, scilicet vel absente proximo; & tunc est *Detractio*: vel eo præsente; & tunc *Calumnia* appellatur. Pirhing *hic n. 1.*

Utrumque peccatum ex genere suo 3
mortale est, & ejus reus in foro conscientiæ ad reparationem famæ, & existimationis læsæ; in externo autem Actione injuriarum, & Palinodiæ, seu Recantationis tenetur *l. item 15. §. generaliter 27. ff.* & *l. qui liberos 9. cum seqq. C. de Injur.*

Clericus in proximum maledicus, 4
maximè Sacerdos, olim ad injuriæ veniam postulandam cogebatur; & si renueret, degradabatur, i. e. suspendebatur, neque ante præstitam satisfactionem ad Officium Ecclesiasticum unquam revocabatur ex Decreto *Concil. Carth. IV.* relato *can. Cle-*

ricus 5. junct. *Gloss. V. revocetur dist. 46.*

5 Quæritur 3. quid statutum sit in eos, qui maledicunt Principi vel Prælato Ecclesiastico ? R. distinguendo inter eum, qui maledicit Principi Sæculari, & inter eum, qui Ecclesiastico qui *Principi Sæculari* v. g. Imperatori, Regi &c. maledicit, præterquam quòd gravissimum crimen adversùs Legem Divinam *Exod. 22. v. 28.* & *Tit. 3. v. 1.* committat, secundùm Leges humanas olim Majestatis crimine tenebatur, ob criminis atrocitatem, teste Arnobio *libr. adverf. Gentes* : postea tamen Imperatores Christiani, quòd maledicta negligere excelsi, & verè Regii animi esse ducerent, voluerunt, ut, qui hujusmodi maledicta effunderet in Principem, non facilè ad supplicium traheretur; quia, ut prudentissimè, & piissimè Theodosius, Arcadius, & Honorius Impp. *l. un. C. siquis Imperat. maledic.* inquiunt, *si id ex levitate processerit, contemnendum est ; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab injuria, remittendum:* conf. pœna illius certa non est, sed arbitraria. Menoch. *de arbitr. cas. 377. n. 9.* Brunnem. *ad l. cit. n. 2.* Wiestner *hic n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 6.*

6 *Excipitur*, nisi maledictum contineret verba spectantia seditionem, aut acclamationes turbulentas, quibus Principis salus, aut status adduceretur in discrimen; tunc enim, & quoties aliàs id justa ratio, vel exempli necessitas scelus puniri exigit, causa remittenda erit ad Principem, ut cognoscat, an, & quâ pœnâ petulantis linguæ audacia puniri debeat. Gloss. *in l. un. cit. V. remittendum.* Menoch. *l. cit.* Brunneman. *n. 7.* Wiestner & Reiffenstuel *l. citt.*

7 Quodsi maledictum in *Ecclesiasticum* v. g. Pontificem, vel Episcopum conjectum fuerit, distinguendum est, an processerit ex temulentia, levitate, insania vel animi injuriâ exulcerati commotione, an verò ex animo injuriandi. *Si primum*, convenit sic maledicentibus injuriam remitti, juxta *can. inter querelas 27. caus. 23. q. 4.* & *l. siquis 10. C. de Episc. & Cler.* quia, ut ibi dicitur, cuilibet Sacerdoti Statûs sui *Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit*, quòd mansuetudo eundem, tanquam Christi Vicarium, maximè omnium deceat.

8 *Si secundum*, videndum, an per ejusmodi maledictum soli personæ derogetur, an verò etiam Sedi Apostolicæ, & Dignitati Pontificali. *Si prius ;* iterum mansuetudo Christi, cujus Papa in terris Vicarius est, omnino requirit, ut ipse talem injuriam, suæ personæ illatam, remittat *arg. l. un. cit.* si enim juxta hanc Legem Principes Sæculares suæ personæ maledicentibus ignoscunt, multò magis id facere debet Papa, qui illis in moribus, & mansuetudine debet esse exemplo. Wagnereck *in Exeg. c. 1. h. tit.* Qua in re illustre exemplum dedit S. Pius V. qui famosi criminis in se confícti authorem ad se adductum, & supplicia metuentem pari tam demissione, quàm magnitudine animi liberum dimisit, postquam eum his verbis est allocutus : *Si tu mihi, ut summo Pontifici, maledixisses, impunè non ferres; verùm quia in Fratrem Michaëlem* (hoc nomen ei ut Religioso erat) *in Monachum Scarponensem &c. convitia jactásti, liber abi, quò vis : ego verò humilitatem generis mei, vitæ, & habitûs semper animo retinebo, & libenter confitebor.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Pirhing *hic n. 4.* König *n. 3.* Reiffenst. *n. 9.*

9 *Si posterius* contigerit, aut grave scandalum sequeretur, condonari maledictum nec potest, nec debet per textus *can. Salonitanæ 24. dist. 63. can. Guilisarius 30. caus. 23. q. 4.* & *c. innotuit 1. h. tit.* ubi Clericus, qui *verba quædam in depressionem Offícii, & Beneficii* (Papalis) *protulit*, à Clemente III. ita compesci jussus est, *ut pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant.* Pirhing *hic n. 2.* Reiffenstuel *ibid. n. 8.* Quia verò in *c. innotuit cit.* nulla certa pœna est declarata, arbitrio Judicis determinanda venit, quæ varia erit pro gravitate culpæ, personæ maledicentis, & loci, aliisque circumstantiis. Diaz *pract. crim. can. V. maledici c. 70. n. 2.* Pirh. *n. 5.*

10 Porro distinctio hæc observanda est etiam in Principe Sæculari, per maledictum offenso, ut putat König *hic n. 3.* Item in Episcopo: ubi adverto cum Host. *Summ. h. tit. §. alii maledicunt Principem.* Farin. *prax. crim. q. 105. n. 402. & seqq.* Pirhing *hic n. 5. not. 6.* Reiffenstuel *ibid. n. 10. & 11.* etsi Episcopus aliquem ob maledictum, soli suæ personæ illatum, ipsemet punire non possit, tum ob Statum suum, quem, ut dixi, Christi mansuetudo præprimis decet, tum ne in propria causa sit Judex; nihilominus talem arbitrio alterius Judicis pro qualitate delicti puniendum esse. Et quidem Judices Sæculares ex officio punire debent illum, qui maledicto offendit Episcopum, vel Sacerdotem, aut alium Clericum, etiamsi Episcopus, vel alii Clerici eum non accusent; quia universaliter Judicibus Sæcularibus incumbit punire quemlibet, qui aliquam injuriam (qualis utique est etiam maledictum) infert locis, aut personis Sacris, ut expresè statuitur *l. siquis 10. C. de Episc. & Cler.* Reiffenst. *n. 11. cit.*

Si

Si Religiosi aliquem Ecclesiæ Prælatum offendant, vel ei detrahant de Jure 11
communi debent per duos menses subjacere illis pœnis, quæ juxta Regulas, vel Statuta eorum ob gravia crimina imponuntur, textu expresso *Clem. 1. §. quibus etiam de privil.* Pirhing *n. 5. cit. not. 7.* Reiffenstuel *n. 13.*

Quæritur 4. quot modis maledicus aliquis fieri possit in DEUM ℟. fit 12
hoc triplici modo. 1. quando aliquid affirmatur de DEO? quod ipsi non convenit; e. g. quòd sit crudelis, injustus &c. vel negatur, quod ei competit, v. g. Scientia, Potentia, Providentia &c. aut quod Divinitatis proprium est v. g. Omniscientia, Omnipotentia &c. alicui creaturæ v. g. Dæmoni attribuitur: hæc blasphemia *Hæreticalis* vocatur. S. Thom. *2. 2. q. 13. art. 1.* Sylv. *V. Blasphemia q. 1.* Farin. *prax. crim. q. 20. n. 11.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 6.* Engl *hic n. 1.* Pirh. *n. 7.* König *n. 2.* Wiestner *n. 7.* Reiffenstuel. *n. 15.*

2. Quando DEUM quis detesta- 13
tur; vel ei imprecatur malum aliquod, v. g. ut pereat, aut moriatur, ut confundatur, contemnatur, vel non ampliùs cognoscat, & punire possit peccatum; item cùm quis DEUM, aut Christum, vel ejus membra contemptim, & indecenter nominat: hæc Blasphemia *Simplex* dicitur.

3. Quando indecentia, & contu- 14
meliosa verba in Deiparam, aliósque Sanctos jaciuntur, v. g. illam non esse Virginem, istos non esse in cœlo &c. sicut enim DEUS laudatur in Sanctis suis, ita etiam Blasphemia quæ fit contra Sanctos, in ipsum redundat, indéque ut Blasphemia in DEUM reputatur, ac punitur. S. Thom. *art. 1. cit. in Corp.* Covar. *in c. quamvis de Pact. p. 1. §. 7. n. 8.* Clar. §. *Blasphemia n. 1.* Farin. *q. 20. cit. n. 25.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 6.* Engl *hic n. 1. ℣. quod porro,* Pirhing *n. 7.* Wiestner *n. 7.* Reiffenstuel *n. 15.*

Quæritur 5. quale peccatum sit 15
Blasphemia, seu maledictum in DEUM? & quibus pœnis per Jus commune, vel consuetudinarium afficiatur? ℟. est gravissimum scelus, & severissimis pœnis ipso Jure castigatur. Nam 1. in *Veteri Testamento*, qui nomen Dei blasphemavisset, à populi tota multitudine lapidibus opprimebatur, ita præcipiente supremo Legislatore DEO. *Lev. 24. v. 16.*

2. *Jure Ecclesiastico* olim, si Cle- 16
rici fuerunt, deponebantur ab Officio; si Laici, per Sententiam excommunicabantur *can. siquis 10. caus. 22. q. 1.* Postea verò istis Pœnitentia publica, & mulcta pecuniaria decreta est *c. fin. h. tit.* Demum in eosdem, & Clericos Blasphemos variæ tam pecuniariæ, quàm corporales pœnæ, pro delicti, delinquentium, & aliarum circumstantiarum varietate infligendæ, statutæ sunt per *Const. Leonis* X. incipit *Supernæ dispositionis*, quæ est septima in *tom. 1. Bullar. Cherub.* Julii III. incipit *in multis* quæ est 23. in *dicto com. 1. Bullar.* & S. Pij V. incipit *cùm primùm*, quæ est quinta *in tom. 2. Bullar.* quas tamen usu ferè non receptas, & propterea in Blasphemorum punitione locorum consuetudines & Statuta observandas monet Palao *tr. 17. D. 2. p. 2. §. 5. n. 1.* Qui Blasphemiam Hæreticalem proferunt, de Hæresi suspecti sunt: proinde contra eos per Ordinarios locorum inquisitio fieri debet. Engl *hic n. 3.*

3. *Jure Civili* per *Novell. 77. c.* 17
1. §. fin. in eos constitutum est ultimum supplicium: quod confirmavit Carolus V. *in Recess. August. de Anno 1548. §. 1. & seqq.* ubi blasphemi in DEUM jubentur puniri morte vel amputatione membrorum; blasphemi in B. V. & Sanctos, si moniti non resipiscant, vel in corpore, puta, fustigatione, linguæ sectione, aut amputatione &c. vel in bonis pro qualitate personæ, gravitate maledicentiæ, & aliarum circumstantiarum.

Quæritur 6. quando pœnæ hæ in- 18
currantur? ℟. incurruntur, quando Blasphemia pronuntiatur plenè deliberato animo; nam si hoc fiat ex mala consuetudine, in plena ebrietate, vel etiam in calore, & impetu iracundiæ, ortum habentis ex gravi, & justa causa, talem blasphemiam pronuntians ordinariæ pœnæ non subjacet, sed mitiùs arbitrio Judicis puniri debet. Clar. §. *Blasphemia n. 16.* Menoch. *de arbitr. cas. 375. n. 33.* Farin. *prax. crim. q. 20. n. 24.* Pirhing *hic n. 11.* Reiffenstuel *ibid. n. 24.* arg. *c. fin. h. tit.* ibi *præsumpserit*, quod importat deliberationem, quam ebrii non habent, nec satis habere censentur iracundi, utpote qui nesciunt, quomodo aut quid agant.

Dixi autem notanter, *Ortum ha-* 19
bentis ex gravi, & justa causa: qualis esset, si vir, uxorem in adulterio deprehendens, irâ commotus blasphemet; si enim iracundia ex levi, vel etiam gravi quidem, sed injusta causa proveniat, v. g. siquis justè privatus Officio, aut aliàs graviter punitus, vel ob perditam lusu magnam summam pecuniæ, indéque irâ commotus blasphemet, pœnæ ordinariæ, & per consequens etiam ultimo supplicio subjacet, ut cum DD. *citt.* notat Abb. *in c. fin. cit. n. 6.* Clar. §. *fin. q. 60. n. 9.* Farin. *q. 20. cit. n. 48. & 49.*

Quæritur 7. quæ sit hodierna pœ- 20
narum istarum observantia? ℟. hodie à pœnarum istarum rigore multùm recessum est. Covar. *in c. quamvis de Pact. p. 1.*

p. 1. §. 7. n. 10. Clar. §. *Blasphemia n. 3.* Pirhing *hic n. 12.* König *ibid. n. 4. fin.* Hinc considerandæ sunt Statuta particularia locorum. In aliquibus Provinciis Blasphemi puniuntur fustigatione, sectione linguæ, vel amputatione labii &c. Engl *hic n. 3.* Commutantur tamen hæ pœnæ aliquando in arbitrarias ex qualitate personæ, scilicet ætate, & dignitate illius, ac qualitate Blasphemiæ, si levis fuerit, aut sine sufficienti deliberatione, ex subitaneo impetu iræ, aut in ebrietate, ut *n. 18.* dixi, prolata.

21 In Bavaria ut plurimùm vigent pœnæ Jure communi Statutæ, ex Jure ejusdem speciali Polizey-Ordnung *libr. 5. tit. 7. art. 1.* ubi blasphemi pro varietate circumstantiarum aut pecuniariâ, aut corporali, & si enormes Blasphemiæ sint, amputatione linguæ, aut capitis pœnâ plecti possunt. Wiestner *hic n. 10.*

22 Qui sine respectu ad DEUM, & Sacramenta, ex mala consuetudine, vel ex subitanea ira, indignatione contra hominem, vel jumentum erumpunt in voces GOtts-Sacrament, GOtts-tausendt-und Million-Sacrament &c. & non quidem rei erunt Blasphemiæ saltem formalis, rei tamen fient de indignè pronuntiato Divino nomine contra secundum Præceptum Decalogi. Engl *n. 2.* Et hinc pœnas Blasphemorum ordinarias non incurrunt, bene tamen extraordinariam, quæ in Bavaria nostra per Judices magis timentes DEUM imponitur, juxta dispositionem Statutorum Bavariæ *tit. 7. cit. art. 2.* Reiffenstuel *n. 26.*

23 Quæritur 8. quis sit Judex competens respectu criminis Blasphemiæ? R. cum distinctione: Vel enim ista Hæreticalis, i. e. conjuncta cum expressa Hæresi est, vel non. *Si primum*, cognitio de illo ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, prout constat ex dictis *Tit. 7. à n. 175.* & tradunt Farin. *prax. crim. q. 20. n. 39.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 93.* & *in c. fin. h. tit. n. 6.* Wiestner *hic n. 11.*

Si secundum, est mixti fori. Abb. *in* 24 *c. fin. h. tit. n. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 32. n. 37.* Farin. *q. 20. cit. n. 39.* Marta *de Jurisd. p. 2. c. 13. n. 11.* Barbos. *alleg. cit. n. 93.* & *in c. fin. n. 6.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic n. 14.* Wiestner *n. 12.* Reiffenstuel *n. 28.* & sumitur ex *c. fin. cit.* ibi, *Per Episcopum suum pœnæ subdatur, --- & per temporalem præterea potestatem coactione, si necesse fuerit, Episcopi Diœcesani adhibita --- mulctetur.*

Ex quo sequitur, in crimine Blas- 25 phemiæ non Hæreticalis contra reum Laicum esse locum præventioni, ita tamen, ut, si unus Judex v. g. Ecclesiasticus Blasphemum punivit, per hoc non impediatur Judex Sæcularis, quin eundem etiam ipse in suo foro punire valeat, si prior minorem commeritâ reo pœnam imposuerit. Farin. *n. 39. cit.* Barbos. *alleg. cit. n. 95.* Pirhing *n. 14.* Wiestner *n. 12.*

Imò etiam Blasphemiam Hæretica- 26 lem, consuetudine in his partibus passim vigente. Judices Sæculares judicare, & punire consueverunt: idque, ut appareat, ideo, quia etiam Hæreticalis ordinariè potiùs ex mente blasphema, quam Hæreticali, & ex errore intellectûs profecta præsumitur. Reiffenstuel *n. 29.*

TITULUS XXVII.

De Clerico Excommunicato, Deposito, vel interdicto ministrante.

SUMMARIUM.

1. *Pœna Clerici depositi ministrantis in Ordine, vel Officio sibi prohibito.*
2. &c. *Pœna ministrantis in Censura Ecclesiastica.*
5. &c. *Requisita, ut Irregularitas ab hoc incurratur.*
11. &c. *Causæ ab Irregularitate hac excusantes.*
16. &c. *An Irregularitatem incurrat etiam Excommunicatus non vitandus ministrans in Ordine?*
21. &c. *An Sacerdos Excommunicatus, suspensus &c. Sacramentaliter absolvens?*
24. &c. *Quando per administrationem invalidam Sacramentorum Excommunicatus incurrat Irregularitatem?*
27. &c. *An Irregularitatem incurrat Sacerdos Excommunicatus, quando non conficit Sacramentum, sed tantùm aliquo modo ad illud concurrit?*
32. &c. *An exercens actum proprium Ordinis minoris?*
36. &c. *An qui dubitat, num verè Excommunicatus sit?*
41. &c. *An irretitus Excommunicatione solùm minore?*

Vena

VEnatio, Percuſſio, Maledicentia Delicta ſunt, quæ Clericos præ Laicis dedecent: ab his tranſimus ad ea, quæ Clericis ſunt magis propria. Talis eſt temeraria ſuſceptio, & uſus SS. Ordinum: quod primò fit, quando in iisdem Clericus miniſtrat, qui ab Ordine eſt depoſitus, vel irretitus aliquâ Cenſurâ Eccleſiaſticâ, per quam uſus Ordinis ipſi prohibetur.

1 Quæritur 1. quæ ſit pœna Clerici depoſiti miniſtrantis, & exercentis actum Ordinis, vel Officii ſibi prohibiti? ℟. Clericus depoſitus, ſive verbaliter degradatus, i. e. perpetuò remotus ab Ordinibus, & Gradibus Eccleſiaſticis propter crimen, ſi celebret, vel actum Ordinis, aut Officii, à quo eſt depoſitus, exerceat, vel in eo miniſtret, excommunicari debet, prout ſtatutum eſt *c. ſiquis Epiſcopus 1. & c. ſeq. h. tit.* Hoſt. *in c. 1. cit. V. abſcindatur*, Abb. *n. 1. not. 2.* Barboſ. *n. 1.* Gonzal. *n. 3.* Pirhing *hic n. 1. & trib. ſeqq.* König *ibid. n. 2.* Et ſi ſit incorrigibilis, exilio mulctatur *c. ſiquis 2. h. tit.* Wagnereck *ibid. in Summ.* Præcedere tamen debet monitio, ut volunt Alex. de Nevo *in Gloſſ. ad Abb. ad c. ſacro 48. de ſent. Excomm. lit. B.* Vivian. *in c. 1. h. tit. pr.* & *in c. 2. eod. pr.* Wagnereck *ibid. not. 1.* Vallenſ. *hic ℣. ſiquis.* Pirhing *ibid. n. 1.* quod ſumunt ex *c. ſacro cit.* & *c. ſiquis 2. h. tit.* ibi, *Et poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus &c.*

2 Quæritur 2. quæ ſit pœna Clerici, qui Cenſurâ Eccleſiaſticâ inſuper habitâ, ſe SS. Miniſteriis ingerit, & exercet actum Ordinis proprium? ℟. ab hoc triplex incurritur pœna. 1. Depoſitio ab Officio, & Beneficio Eccleſiaſtico, infligenda per ſententiam, etiam monitione non præmiſſa, ut ex *c. latores 4. h. tit.* deſumunt Gloſſ. *in c. Clerici 3. V. moniti tit. eod.* Abb. *ibid. n. 2.* Vivian. *ibid. pr.* & *in c. 4. cit. pr.* Wagnereck *in idem c. 4. in Exeg.* Pirhing *hic n. 5.* Wieſtner *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 2. & 3.* Neque obſtat *c. Clerici cit.* ibi, *Niſi moniti*; quia per hunc textum plus non indicatur, quàm quòd Epiſcopus poſſit, ſi velit, priùs monere reum, eique, ſi monitus ſtatim ſe emendet, ex gratia Diſpenſationis hanc Depoſitionis pœnam remittere. Suar. *de Cenſur. D. 11. ſect. 3. n. 2.*

3 2. Privatio omnium Beneficiorum *c. fraternitati 6. h. tit.* & quidem ipſo Jure, prout colligitur ex *c. cit. V. ſpoliare*, quod Sententiæ Jure latæ executionem denotat. Tiraquell. *in l. ſi unquam 8. V. teneantur n. 167. C. de revocand. Donat.* Vivian. *in c. 6. cit. pr.* Barboſ. *ibid. n. 1.* Wagnereck *in Exeg. c. ejusdem*, Wieſtner *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 4.*

3. Irregularitas: quæ etiam ipſo Jure, & facto incurritur, prout de ſuſpenſo conſtat ex *c. Apoſtolicæ 9. h. tit. c. cùm æterni 1. ℣. fin. de Sent. & re judic. in 6.* & *c. cùm medicinalis 1. ℣. fin. de Sent. Excomm. eod.* de interdicto perſonaliter, & exercente hujusmodi actus in loco interdicto ex *c. is qui 18. §. fin.* & *c. is cui 20. de Sent. Excomm. in 6.* de Excommunicato ex *can. ſiquis Epiſcopus 6.* & *can. ſeq. cauſ. 11. q. 3.* & *c. fin. hic.* 4

Quæritur 3. quid requiratur, ut Irregularitas incurratur à Cenſuratis? ℟. 1. requiritur, ut exerceant actum Ordinis. Atque hinc 1. Irregularitatem non incurrit, qui in Cenſura exiſtens ſuſcipit Ordinem; nam hic tantùm incurrit ſuſpenſionem *c. veniens 1. de eo, qui furtivè &c.* 2. qui exercet actum Jurisdictionis, diſpenſando in Votis, & Juramentis ferendo Cenſuram, vel ab ea abſolvendo, ſi hoc faciat ſine ſtola. 3. qui aſſiſtit Matrimonio, modò illud non benedicat &c. Suar. *de Cenſur. D. 11. ſect. 3. n. 18.* Fagnan. *in c. ſiquis 1. h. tit. n. 15.* Gonzal. *ibid. n. 7. & in c. 4. n. 4.* Pirhing *hic n. 36. not. 2.* Engl *n. 2.* Wieſtner *n. 6.* Reiffenſt. *n. 6.* 5

2. Ut exerceant actum proprium Ordinis. *Ex quo ſequitur*, Irregulares non fieri Clericos Cenſuratos, ſi in Cenſura cantent Evangelium, vel Epiſtolam ſine Stola, & manipulo; ſi baptizent privatim, & non ſolenniter &c. quia hi actus exerceri etiam à non ordinatis poſſunt, & quandoque ſolent. Sylv. *V. Irregularitas q. 13. dict. 1. & 4.* Navar. *Man. c. 27. n. 244.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 4.* Engl *hic n. 2.* Pirhing *n. 35. & 36.* Wieſtner *n. 7.* Reiffenſtuel *n. 6.* 6

3. Ut actus Ordinis proprius exerceatur temerè; quia Irregularitas iſta Jure lata eſt in pœnam culpæ gravis, & quidem cum temeritate conjunctæ, prout conſtat ex *can. ſiquis Epiſcopus 6. cauſ. 11. q. 3. c. cùm medicinalis 1. §. fin. de Sent. Excomm. in 6. c. latores 4. h. tit.* quibus textibus Irregularitatis pœna fertur in eos, qui, cùm Cenſurâ ſint irretiti, audent, & præſumunt ſe Divinis ingerere. Suar. *D. 11. cit. ſect. 3. n. 5.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 15.* Pirhing *n. 40.* Reiffenſt. *n. 9.* 7

Atque hinc hujusmodi Ordinum exercitio Irregulares non fiunt 1. qui invincibiliter ignorant, ſe Cenſurâ aliquâ irretitos *c. Apoſtolicæ 9. h. tit.* quia Irregularitas hæc pœna eſt, & oritur ex delicto, quod in ſic ignorantem non cadit. Gloſſ. *in c. 9. cit. V. probabili.* Abb. *ibid. n. 3.* Suar. *n. 5. cit.* Avil. *p. 7. D. 9. ſect. 2. dub. 1. §. hinc ſequitur.* Vivian. *in c. 9. cit. pr.* Barboſ. *ibid. n. 1.* Gonzal. *n. 7.* Vallenſ. *hic ℣. dixi.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 40. & 41.* Wieſtner *n. 12.* Reiffenſtuel *n. 10.* 8

Secus est de illis, qui habent ignorantiam vincibilem, seu crassam, & supinam; nam ignorantia invincibilis, & probabilis, non verò crassa, & supina excusat à culpa. Vivian. *in c. 9. cit. ℣. cæterùm.* Barbos. *n. 1.* Gonzal. *n. 17.* Vallens. *l. cit.* Pirhing *n. 41. coroll. 1.* Reiffenstuel *n. 10.*

9 2. Irregularis non est, qui ejusmodi actum Ordinis exercet, exigente extrema necessitate, ut si Sacerdos excommunicatus absolvat moribundum, non habentem copiam alterius Sacerdotis non censurati; quia in hoc articulo absolvere potest quilibet, ut constat ex Trid. *sess. 14. c. 7. de Reform.* Avil. *l. cit.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 42.* Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *n. 11.*

10 3. Non incurritur Irregularitas per Exercitium actuum Ordinis, si ex omissione eorum sequeretur grave scandalum, & infamia Sacerdotis, maximè, si ex tali omissione periculum foret, ne ex eo manifestaretur crimen illius occultum; quia Lex Ecclesiastica non videtur obligare casu, quo ejus observantia cum tali incommodo est conjuncta. Avil. *l. cit.* Engl *n. 3.* Pirhing. *n. 42.* Wiestner *n. 14.* Reiffenstuel *n. 12.*

11 Quæritur 4. quænam aliæ causæ Censuratum, exercentem actum Ordinis ab Irregularitate propterea incurrenda excusent? R. 1. excusatur, si celebret talem actum ob gravem metum alterius gravis mali, dummodo metus iste non fuerit incussus in contemptum Censurarum, & Ecclesiæ. Engl *hic n. 3.*

12 2. Excusatur, quando sententia Censuræ est evidenter nulla. Avil. *p. 7. D. 9. sect. 2. dub. 2. concl. ult.* Pirhing *hic n. 44.* Reiffenstuel *ibid. n. 13.* Ratio est, quia universaliter loquendo non debet is pœnam Canonicam sustinere, in cujus damnationem non est canonica lata sententia; & *sicut hujusmodi Sententia Juris caret effectu, sic authoritate, & nomine rei careat judicatæ, ut nec in opinione communi, aut vulgi labiis nomen habere mereatur judicatæ*, ut dicitur *Clem. 2. ℣. ut igitur prop. fin. de Sent. & re judic.* & concordat *l. si se 4. §. condemnatum 6. ff. de re judic.*

13 3. Si excommunicatus, suspensus, vel interdictus, post interpositam Appellationem à sententia Censuræ contra se latæ, etiam illegitimam, quam tamen putat esse validam, ante absolutionem à Censura exerceat actum proprium Ordinis, à quo est suspensus, vel interdictus, vel etiam alium, si sit excommunicatus. Avil. *dub. 1. §. præterea notandum.* Pirhing *n. 43.* Si tamen sciret, vel scire posset, ac deberet, appellationem suam non esse justam, non esset immunis à peccato in foro animæ, & coram DEO. Pirhing *l. cit.*

14 4. Excusat ab Irregularitate paritas materiæ: qualis esset Benedictio Episcopalis, facta ab Episcopo suspenso, excommunicato &c. sine solennitate in itinere. Suar. *D. 12. de Censur. sect. 2. n. 21.* Bonac. *q. 3. p 9. n. 3.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 4.* Item si Clericus suspensus, privatim Horas recitans, dicat *Dominus vobiscum.* Suar. *l. cit. n. 13.* Gonzal. *n. 4. cit.* Vel siquis faciat Officium Hebdomadarii in Choro more Monialium. Leander *de Irregul. tr. 2. D. 20. q. 19.* & *D. 21. q. 15.* Gonzal. *l. cit.*

15 5. Denique universim loquendo, quoties intervenit quædam causa sufficienter excusans à peccato mortali, potest actus Ordinis proprius exerceri etiam ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, absque nota Irregularitatis; quia hæc gravem culpam in Censuram violante supponit, cùm sit valde gravis pœna. Suar. *l. cit. sect. 3. n. 5.* Pirhing *n. 42.*

16 Quæritur 5. an per exercitium actuum Ordinis Irregulares efficiantur etiam Excommunicati tolerati, seu non vitandi? *Ratio dubitandi* oritur ex *Const. Extrav. Martini V. editâ in Concil. Constant.* incipit *Ad evitanda*, ubi communicatio cum non excommunicatis Excommunicatis toleratis permittitur. Sed quia Constitutio hæc non Excommunicatis, sed fidelibus ab ea Censura liberis favorem conferre voluit, ideo

17 *Dicendum*, Excommunicatos, etiam toleratos, si temere, & non rogati exercitio Ordinum suorum se ingesserint, Irregularitatem incurrere; quia Jura, quibus hæc irrogata est, generaliter loquuntur de Excommunicatis &c. non distinguendo inter toleratos, & non toleratos. Covar. *in c. alma p. 1. §. 2. n. 11.* Suar. *D. 11. de Censur. sect. 4. n. 29.* Zœs. *hic n. 6.* Pirh. *n. 34. not. 2.* Wiestner *n. 16.* Reiffenst. *n. 19.*

Dixi, *si temere, & non rogati se ingesserint.* Aliud est, si hujusmodi actum exercitium alius ab hujusmodi Excommunicato petat; tunc enim, ut monet Suar. *l. cit. n. 11.* videtur servanda hæc Regula generalis, ut si ad favorem petentis pertineat, seu moraliter sit necessarium, aut valde utile, ut Excommunicatus hujus actum exerceat, id possit facere sine peccato; si verò non ita pertineat ad favorem petentis, non possit. *Ex quo sequitur*, in primo Regulæ casu ipsum Irregularitatem non incurrere, incurrere autem in secundo; quia ad Irregularitatem hanc incurrendam, ut *n. 15.* notavi, requiritur, & sufficit culpa gravis, quæ adest in secundo, abest in primo casu.

19 In hoc tamen primo casu Regulæ, ut licitè, & conf. absque periculo Irregularitatis

tis ab Excommunicato tolerato adminiſtretur Sacramentum hoc petenti, requiritur 1. ut hic & nunc non poſſit priùs abſolutionem Cenſuræ petere: nam ſi poſſit facilè, ſine dubio ad id tenetur; quia per ſe illi prohibitum eſt Sacramentum cum Cenſura miniſtrare: & tunc nulla jam neceſſitas imminet, cùm poſſit priùs à Cenſura ſe liberare. Dixi autem *hic & nunc*; quia non obſtat, quòd antea potuerit, & fuerit in mora: ſed attendenda eſt præſens opportunitas. Suar. *n. 11. cit.*

02 2. Ut non poſſit per alium non excommunicatum ſatisfacere petenti: nam ſi hoc poſſit, tenetur abſtinere ab exercitio Ordinis; quia jam nihil refert petentis, quòd ipſemet potiùs à quo petit, quàm alius loco illius Sacramentum adminiſtret. Suar. *n. 11. cit.*

3. Ut, ſi is, à quo petitur, ex officio non teneatur miniſtrare Sacramenta, qui hoc petit, cum aliqua neceſſitate ab ipſo petat. Suar. *l. cit. n. 12.* quia aliàs illicitè petet. ſufficit autem, ut idem Suar. *l. cit.* monet, communis aliqua neceſſitas, quæ ante *Extrav. cit.* non ſuffeciſſet.

11 Quæritur *6.* an Irregularitatem incurrat Sacerdos excommunicatus, ſuſpenſus &c. Sacramentaliter abſolvens? R. diſtinguendo inter Excommunicatum &c. toleratum, & non toleratum. *Si toleratus ſit*, juxta dicta à *n. 16.* incurrit, vel non incurrit Irregularitatem; quia poteſt aliquando licitè adminiſtrare hoc Sacramentum, aliquando illicitè.

De Excommunicato non tolerato ratio dubitandi eſt; quia hic, utpote Jurisdictione privatus, non abſolvit validè: ac proinde in Ordine verè non miniſtrat, ſed ſolùm miniſtrare attentat. atqui *non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum* juxta *Reg. non præſtat 52. in 6. Conf.* quia ad contrahendam Irregularitatem, cùm aliud Jure expreſſum non eſt, exiguntur actus in ſua ſpecie conſummati, ac perfecti, ut patet ex homicidio, & mutilatione, quæ ſi attentata duntaxat ſint, Irregularitatem non inducunt.

12 *Sed dicendum*, à Cenſurato ſic abſolvente Irregularitatem incurri. Ita Suar. *D. 11. de Cenſur. ſect. 3. n. 15.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 8. n. 12.* Zœſ. *hic n. 14.* Wieſtner *n. 9.* Reiffenſtuel *n. 7.* Ratio eſt, quia talis actum Ordinis Sacerdotalis proprium exercet, quantùm eſt in ſe, cùm habeat Ordinem, & idem faciat, quod alius, qui abſolvit invalidè pœnitentem rite diſpoſitum, & qui baptizatum legitimè invalidè rebaptizat, qui tamen ex communi DD. incurrunt Irregularitatem.

13 *Ad Rationem dubitandi*, talis abſolutio, licèt non ſortiatur effectum liberationis à peccato, ſortitur tamen effectum attentationis, & exercitii Ordinis. Sufficit autem ad effectum Irregularitatis inducendæ attentatio, ut patet in rebaptizante. *Ad Conf.* ejusmodi abſolutio in ratione exercitii actus Ordinis, ſub Irregularitate prohibiti, eſt perfecta, & conſummata.

Quæritur *7.* quando per invalidam 14
adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, vel aliorum, Excommunicatus incurrat Irregularitatem? R. diſtinguendo; nam dupliciter Sacramentum tale poteſt eſſe invalidum: *uno*, ſi talis adminiſtratio fuerit invalida ex defectu Ordinis, vel intentionis requiſitæ; *altero*, ſi invalida fuerit ratione materiæ, aut ſubjecti, veluti ſi Clericus excommunicatus ſolenniter baptizat infantem non debitâ materiâ, vel baptizatum rebaptizat, aut ſi Sacramentaliter abſolvat hominem, qui revera carebat dolore neceſſario ad valorem Sacramenti.

Si primo modo, ſcilicet ex defectu 15
intentionis, invalidum ſit Sacramentum, probabiliſſimum judicat Suar. *D. 11. de Cenſur. ſect. 3. n. 14.* ita adminiſtrantem non incurrere Irregularitatem; quia actio illa, etiam ut procedit à tali operante, ex intentione ejus non eſt uſus Ordinis, ſed fictio illius. *Et confirmari poteſt* à ſimili de Hæretico purè exteriori absque interiori infidelitate; nam ille non incurrit Cenſuras, vel alias pœnas, ipſo Jure in Hæreticos latas: *Excipitur*, niſi aliunde admiſceatur alia communicatio in Divinis Officiis, propter quam Irregularitas contrahi poſſit, ut ſiquis faciat Sacrum ſervando ritum Eccleſiaſticum, ſolúmque in conſecratione ſit fictus, non intendendo verum Sacramentum conficere, aut Sacrificium offerre: nam talis nihilominus Irregularis erit; quia illius officii adminiſtratio in Excommunicatione facta, etiam ſine Sacramento, ad Irregularitatem incurrendam ſufficit. Suar. *n. 14. cit.*

Si ſecundo modo, & ex defectu 16
materiæ, vel ſubjecti invalidum ſit Sacramentum, id hoc modo adminiſtrans Excommunicatus &c. Irregularitatem incurrit; quia verè violat Cenſuram per exercitium Ordinis. Suar. *l. cit. n. 15.* Gonz. *in c. 4. b. tit. n. 4.* *Proceditque* ſive ita adminiſtrans ſciat, materiam, aut ſubjectum non eſſe aptum, ſive ex aliquo errore Juris, aut facti hoc ignoret, ut ſi attentet conſecrare in aqua, vel aceto, aut pane hordeaceo, exiſtimans ſe habere panem, & vinum uſuale; aut ſi Epiſcopus Excommunicatus ordinet fœminam, exiſtimans ſe ordinare virum. Nam quamvis caſus iſti ſint magis extraordinarii tamen in iisdem procedit ratio data; quia ſcilicet, quantùm eſt ex parte operantis, ille fuit uſus activus poteſtatis Ordinis, & hic eſt, qui prohibetur ſub pœna Irregularitatis,

tis, sive in re sequatur effectus, sive non. Suar. *l. cit n. 16.*

27 Quæritur 8. an Irregularitatem incurrat Sacerdos Excommunicatus etiam, qui non conficit ipsum Sacramentum, sed tantùm concurrit aliquo modo ad illud? Dubium hoc locum habet in tribus Sacramentis, scilicet in Matrimonio; in Eucharistia, quando aliquis eam non conficit, sed distribuit; & in Baptismo, quando aliquis solenniter illum confert quoad ceremonias, non verò quoad substantiam, quia supponitur privatim collatus validè.

28 *Quoad 1. punctum* Sacerdos ad Matrimonium concurrere potest dupliciter: *unus modus* est, quem requirit *Trid.* ad substantiam matrimonii, dum requirit, ut fiat coram Parocho, & testibus; *alter*, qui pertinet ad solennitatem illius accidentalem, & consistit in solenni Benedictione novorum conjugum. *Primo modo* concurrens non fit Irregularis; quia ad illum actum ex vi *Trid.* non est necessarius aliquis actus Ordinis, cùm valeat Matrimonium contractum coram Parocho etiam non Sacerdote. Suar. *D. 11. de Censur. sect. 3. n. 18.* *Altero modo* concurrens Irregularis efficitur; quia actio illa ex institutione Ecclesiæ necessariò requirit Ordinem Sacerdotalem, & exercitium illius, cùm publicum, & solenne sit, continet materiam gravem, & sufficientem ad peccatum mortale. Suar. *n. 19.*

29 *Quoad 2.* de Eucharistiæ distributione, iterum dicendum, per hoc Irregularitatem incurri, si distributio talis fiat extra necessitatem à Sacerdote Excommunicato, vel à Diacono, saltem si hoc faciat ex Parochi commissione; Suar. *n. 21.* Ratio est, quia est gravissimum ministerium, & divinum ac proprium Sacerdotis ratione sui Ordinis. Accedit, quia Sacerdoti excommunicato non solùm sub pœna Irregularitatis prohibetur, ne Sacramenta conficiat, sed etiam, ne illa ministret, ut minister ex officio, sed hæc dispensatio est ministratio Sacramenti ex officio: ergo &c. Dixi, *saltem si hoc faciat ex Parochi commissione*; nam si hoc faciat absque commissione Parochi, aliqui illum ab Irregularitate, per textus *Rubr. præsentis* latâ, excusant, quòd putent ejusmodi distributionem, à Diacono sine licentia factam, non esse actum Ordinis Diaconatûs, utpote quem tali modo non exercet ut publicus Minister ex officio deputatus. Sed esto, non possit actum hunc exercere licitè sine commissione Parochi, hujus tamen commissionis defectus magis ad defectum Jurisdictionis pertinet, qui non facit, ut evitetur Irregularitas, prout patet in Episcopo excommunicato, conferente Ordines in alieno Episcopatu sine licentia Diœcesani. Hinc Suar. *l. cit. n. 22.* putat; talem Diaconum adhuc incursurum Irregularitatem.

Quoad 3. de Baptismi ceremoniis videri posset, Irregularitatem propterea non incurri; quia plus est substantiam Baptismi sine ceremoniis dare, quàm ceremonias sine substantia. sed primum non sufficit ad Irregularitatem incurrendam, ut dixi *n. 6.* ergo nec secundum sufficiet. *Sed dicendum* incurri Irregularitatem; quia illud ministerium Sacrum est, & ceremonia satis gravis in Ecclesia, solique Sacerdoti ex officio commissa, & ad summum potest Diacono delegari, est ergo actus Ordinis in materia gravi: in quo differt à privata administratione Baptismi secundùm substantiam; nam illa non est actus Ordinis, etiamsi contingat ab homine ordinato fieri. Suar. *n. 20.* 30

Cæterùm quoad Irregularitatis hujus incursum ob exercitium Ordinum in Censura factum, adverto, ut ea incurratur, necesse esse, ut exercitium Ordinis sit prohibitum quoad substantiam; nam si prohibitum duntaxat quoad modum extrinsecum, & accidentalem, ut quando Episcopus, suspensus à Pontificalibus, Missam celebrat cum eo apparatu, per tale exercitium non fit Irregularis. Zerol. *prax. Episc. V. Irregularitas n. 18.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 4.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 4.* 31

Quæritur 9. an Irregularitatem incurrat, qui exercet actum proprium Ordinis Minoris? Negant Sylv. *V. Irregularitas q. 27.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 6. n. 9. v. decimò*, Wagnereck *in c. 2. not. 2. & 3.* & alii, præsertim TT. juxta quos ad incurrendam ex hoc capite Irregularitatem requiritur, ut Clericus Censuratus exerceat actum pro prium alicujus Ordinis Majoris. *Rationem* dant; quia minorum Ordinum functiones hodie non sunt actus proprii Ordinis Clericalis, cùm ad eas obeundas ex recepta consuetudine passim admittantur, & deputentur Laici. 32

Sed verisimilius est, incurrere Irregularitatem, si actum talem exerceat solenniter, & quasi ex officio proprio, h. e. eo modo, quo ab Ordinatis duntaxat solet. Ita Richard. *in 4. dist. 18. art. 7. q. 5.* Gabr. *q. 2. art. 3.* Host. *in c. siquis 2. §. sed quidquid h. tit.* Joan. Andr. *ibid. n. 2.* Abb. *n. 4.* Ugolin. *de Censur. tab. 1. c. 14. §. 1.* Suar. *de Censur. D. 11. sect. 3. n. 1.* Alterius *simil. tr. l. 2. D. 1. c. 1.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 3.* Fagnan. *n. 7. ibid.* Gonzal. *in c. eod. n. 2.* Pirhing *hic n. 37. & 39.* Wiestner *n. 11.* 33

Ratio est, quia Jura generaliter, & nulla facta distinctione, inter actus Ordinum Majorum, aut Minorum, pronuntiant, 34

tiant, Irregularitatem incurri ab eo, qui, cùm Cenſuratus ſit, exercet actum proprium ſui Ordinis, ut patet ex *c. ſiquis cit. c. cùm medicinalis 1. §. fin. & c. is cui 20. de ſent. Excomm. in 6. c. quia circa 22. de Privil.* & apertiùs ex *Conſt. Sixti V.* incipit *Sanctum*, editâ *contra malè & Simoniacè promotos Non. Jan. 1588.* ubi ſtatuitur, etiam Clericos primæ Tonſuræ, ac Minorum Ordinum ſuſpenſos, *ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, Irregulares effici.*

35 Addit tamen Pirhing *n. 39. cit.* ſecundùm præſentem Eccleſiæ uſum rarò incurri hanc Irregularitatem; quia vix aliquid, aut aliquo modo quoad hæc miniſteria faciunt Clerici in Minoribus conſtituti, quod Laici non conſueverunt facere. Poſſunt tamen contingere caſus, in quibus hæc Irregularitas contrahatur, ut ſi v. g. alicubi Acolythus in Miſſa Solenni munus ſuum non exerceat, niſi in peculiaribus veſtibus Sacris ad hoc munus deputatis, & non niſi ij, qui talem Ordinem ſuſceperunt; vel ſi Exorciſta excommunicatus, vel aliâ Cenſurâ ligatus, veſte Sacra indutus, Exorciſmos Eccleſiæ ſuper Energumenos recitaret: tunc enim uteretur poteſtate ſibi in Ordine data, adeóque fieret Irregularis; & ſic de aliis.

Ad Rationem dubitandi dicendum, id procedere tantùm de caſu quando tales Clerici non miniſtrant, ſolenniter, & quaſi ex officio proprio.

36 Quæritur 10. an Irregularitatem incurrat, qui dubitat, an ſit verè excommunicatus, & ſtante hoc dubio, exercet actum Ordinis proprium? Bz. diſtinguendo. Vel enim talis certò ſcit, ſe à Judice Eccleſiaſtico excommunicatum fuiſſe, & ſolùm dubitat, num Excommunicatio hujusmodi legitimè lata, & valida ſit, necne: vel contrà dubitat etiam, an defacto excommunicatus ſit, eò quòd id audiat quidem per famam, aut rumorem, dubitans tamen, an rumor ille ſit verus; & idem eſt, ſi dubitat, utrùm commiſerit revera actum, v. g. homicidium, cui aliàs Excommunicatio certò annexa eſt.

37 *Si prius*, talis debet pro excommunicato ſe habere, ac propterea etiam ſub pœna Irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abſtinere. Ita communis, & certa ſententia teſte Reiffenſtuel *hic n. 15. arg. c. illud 5. h. tit.* & *c. per tuas 40. de Sent. Excomm.* cum concordantiis, ubi habetur, etiam caſu, quo per Epiſcopum injuſtè lata eſt ſententia Excommunicationis, eam ſervari debere, donec Excommunicatus abſolvatur. ergo multo magis in dubio. Hinc *can. ſententia 1. cauſ. 11. q. 3.* dicitur, quod *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda ſit.* Neque juvat, ſi contra eam jam latam appelletur; bene tamen, ſi appelletur contra minas illius ferendæ *arg. c. per tuas cit.* & *c. paſtoralis 53. c. præterea 40. de ſent.* & *re judic.* prout ampliùs dictum eſt *Libr. 2. tit. 28. de appell. n. 109.* & *trib. ſeqq.*

Si poſterius, ſatis conveniunt DD. 38
eum pro Irregulari non habendum, ſi poſtea conſtet, ipſum excommunicatum non fuiſſe. *Dubium* tantùm eſt, quando ita dubitans revera eſt excommunicatus? quo caſu Irregularem fore exiſtimant Sylv. *V. Irregularitas n. 15. dict. 5.* & Ugolin. *de Cenſur. tab. 1. c. 14. n. 12. fin.* quod ſumunt ex *c. illud 5. h. tit.* ubi Epiſcopus in dubio de ſua Excommunicatione Divinis ſe ingerens, à pœna Canonica per miſericordiam liberatur, non obſcuro indicio, quòd pœnam iſtam contraxerit.

Sed veriſimiliùs negatur, ſic mini- 39
ſtrantem Irregularitatem incurrere, ſi debitam diligentiam adhibuit ad rei veritatem cognoſcendam: ſecus ſi omiſit; quia hanc omittens habet ignorantiam craſſam & ſupinam, quæ ſcientiæ æquiparatur *c. licèt 1. de Conſt. in 6.* Zœſ. *hic n. 9.* Engl *n. 3. fin.* Wieſtner *n. 15.* Addo tamen, etiam priorem teneri abſtinere ab exercitio Ordinum, donec ad cautelam abſolvatur à Cenſura; nam tutior in hac re via eſt eligenda: & hinc factum Epiſcopi *c. illud cit.* improbavit Pontifex.

Ad textum *c. cit.* dico, ibi ſermo- 40
nem non eſſe de Irregularitate, ſed de alia pœna, videlicet ſuſpenſione, vel Depoſitione, per ſententiam infligenda, ut patet ex ejusdem verbis, *Et non duximus infligendam;* nam Irregularitas non ab homine, ſed à Jure infligitur.

Quæritur 11. an Irregularis efficia- 41
tur etiam is, qui, dum Excommunicatione minori irretitus eſt, celebrat? Quæſtio hæc diu fuit controverſa inter DD. ex ratione, quia etiam iſte peccat graviter, & Cenſuram Eccleſiaſticam violando, Clavium poteſtatem apertè contemnit, quæ ratio vel unica, vel præcipua eſt, ob quam in Cenſurarum violatores à Jure ſtatuta eſt Irregularitatis pœna.

Sed ab hoc nullam Irregularitatem 42
contrahi, meritò docent Suar. *D. 11. de Cenſur. ſect. 3. n. 1.* Leander *de Irregul. D. 21. q. 1.* Gibalin. *ſimil. tr. c. 5. q. 2. conſect. 1. n. 7.* Vivian. *in c. fin. h. tit. pr.* Barboſ. *ibid. n. 1. & 4.* Gonzal. *n. 11.* Vallenſ. *hic v. addidi*, Pirhing *n. 45.* Wieſtner *n. 5. & 6.* & aperte deciſum eſt *in c. fin. cit.* ubi ſupponitur, Irregularitatem ſolùm contrahi ab eo, qui id facere præſumit in Excommunicatione majori: & meritò; nam majori Excommunicatione irretitus Clericus pro toto tempore, quo in ea perſiſtit, ſuſpenſus eſt à propriis Ordinibus, ſcilicet ab adminiſtratio-

ne Divinorum Officiorum ; ſuſpenſus autem celebrare præſumens Irregularis evadit, juxta dicta *n. 4.* Contrà ligato Excommunicatione minori ſolùm interdicta eſt Sacramentorum ſuſceptio, non verò Ordinum exercitium ; conſ. hos exercens Cenſuram non violat. *Conf.* quia nullo Jure expreſſum eſt, quòd ligatus Excommunicatione minori per hoc, quòd Divina celebret, Irregularitatem incurrat. Irregularitas autem non incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis.

43 *Ad Rationem dubitandi* ita ligatus peccat graviter, dum inſuper habitâ eâ Cenſurâ Excommunicationis minoris, Sacramentum celebrando recipit, non verò quatenus exercet actum Ordinis Sacerdotalis ; nam hunc exercens, ſi cum perceptione Sacramenti conjunctus non ſit, juxta Navar. *Man. c. 27. n. 24.* Ugolin. *de Cenſur. tab. 3. c. 6. §. 2.* Henriq. *l. 13. c. 3. §. 1.* Suar. *D. 24. ſect. 2. n. 12.* Bonac. *D. 2. de Excomm. q. 3. n. 4.* nullam etiam venialem culpam admittit. Juxta Anchar. *in c. fin. cit.* Hoſt. *Summ. hic n. 2.* Sot. *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 8. n. 2.* Avil. *p. 2. de Cenſur. c. 6. D. 12. dub. 3.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 21. n. 10.* Barboſ *in c. fin. cit. n. 6.* Pirhing *hic n. 54.* culpam quidem committit, ſed venialem duntaxat.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato miniſtrante.

SUMMARIUM.

1. *Graviter peccat miniſtrans in Ordine non ſuſcepto.*
2. &c. *Hujus pœna eſt Excommunicatio, ſuſpenſio, & Irregularitas.*
6. &c. *Requiſita ad incurrendam propterea Irregularitatem.*
10. &c. *An eam incurrat exercens actum Ordinis ſine tententione eum exercendi?*
13. &c. *An miniſtrans in Ordine defectuoſè ſuſcepto?*
15. &c. *Vel in ordine minore?*
18. &c. *An Irregularis fiat Sacerdos ſimplex conferens Ordines, conſecrans Eccleſias &c.*
21. &c. *An eam incurrat Laicus ſolenniter baptizans, Miſſas legens &c.*
26. &c. *Quis diſpenſare poſſit in iſta Irregularitate?*

1 UT uſu Ordinis ſuſcepti, à quo ſuſpenſus eſt, ita, & non minùs delinquit Clericus uſu Ordinis non ſuſcepti, ut ſi in Minoribus duntaxat conſtitutus cum Dalmatica, & Manipulo ſolenniter cantaret Epiſtolam, vel Diaconus celebraret Miſſam, baptizaret ſolenniter, benediceret nuptias &c.

2 Quæritur 1. quæ ſit pœna Clerici miniſtrantis in Ordine non ſuſcepto? R. triplex à Jure ſtatuitur. 1. Excommunicatio *c. ſiquis 1. h. tit.* ſed ferendæ tantùm ſententiæ, prout ex verbo *Abjiciatur*, quod miniſterium hominis indicat, colligit Suar. *de Cenſur. D. 42. ſect. 4. n. 2.* Barboſ. *in c. 1. cit. n. 1.* Wagnereck *ibid. in Exeg.* Pirhing *hic n. 3.* Wieſtner *n. 1.* Reiffenſtuel *n. 5.*

3 2. Suſpenſio ad biennium, vel triennium ab exercitio Ordinis, non cujuscunque (nam diſpoſitio *c. fin. h. tit.* ubi ſuſpenſio iſta ſtatuitur, pœnalis eſt, conſ. ad Ordines non expreſſos non porrigenda) ſed proximè, ſeu ultimò ſuſcepti, infligenda Diacono, qui Miſſam celebrare præſumpſerit. Suar. *ſect. 4. cit. n. 2. & 4.* Avil. *p. 7. de Cenſur. D. 9 ſect. 2. dub. 15. concl. 2.* Vivian. *in c. 2. hìc pr.* Pirhing *hic n. 3.* König *n. 2.* Wieſtner *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 3. & 4.*

4 3. Irregularitas, ſaltem partialis, vi cujus ad ſuperiores Ordines nequeat promoveri *c. ſiquis 1. & c. ſeq. h. tit.* quæ Irregularitas tum demum ſit totalis, quando durante Suſpenſione biennali, vel triennali, ut dictum eſt, ad actus Ordinis, à quo ita ſuſpenſus eſt, exercendos temere ſe ingeſſerit. Suar. *n. 4. cit. fin.* Coninck *D. 18. dub. 6. concl. 1.* Barboſ. *in c. fin. h. tit. n. 1.* Gonzal. *ibid. n. 1.* Vallenſ. *hic v. Diaconus*, Engl *n. 1.* König *n. 2.* Wieſtner *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 2.*

5 Easdem pœnas innovavit, & inſuper novas ſtatuit poſt *Gregorium XIII.* & *ſixtum V.* Clemens VIII. *Conſtit.* incipit *Etſi aliàs 81. Bullar. tom. 3.* & Urbanus VIII. *Conſt.* incipit *Apoſtolatûs 79. tom. 4.* qui decrevit pœnis à Clemente ſtatutis procedi poſſe contra omnes ſive Laicos, ſive Clericos Sæculares, vel Regulares non promotos, præſumentes Miſſas celebrare, & Sacramentales Confeſſiones audire, dummodo vigeſimum ætatis ſuæ annum compleverint. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 4. v. Sacrilegam*

6 Quæritur 2. quid requiratur, ut Irregu-

regularitas incurratur per miniſtrationem in Ordine non ſuſcepto? R. 1. requiritur, ut, qui in Ordine non ſuſcepto miniſtrat, ſit capax Irregularitatis, ac proinde mas, & baptizatus; nam fœmina, & mas non baptizatus hoc ipſo, quòd Jure Divino incapaces ſint Ordinis, ut dictum eſt *Libr. 1. Tit. 11. n. 21.* etiam incapaces ſunt Irregularitatis: & hinc ſi exerceant actum Ordinis, aliter puniendi ſunt. Angel. *V. Irregularitas n. 31.* Roſell. *V. eod. n. 2.* Armill. *n. 65.* Henriq. *l. 2. c. 29. n. 5.* Suar. *D. 42. de Cenſur. ſect. 4. n. 20.* Sayr. *de cenſur. l. 7. c. 10. n. 6.* Bonacin. *de Irregul. D. 3. q. 3. p. 6. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3.* Dian. *p. 4. tr. 2. reſolut. 77. & 91.* Cornejus *p. 3. tr. de Irreg. D. 7. dub. 291.* Gibalin. *de Irreg. c. 5. conſect. 1.* Barboſ. *in c. 1. b. tit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Pirhing *hic n. 8.* Wieſtner *n. 4. ibid.*

7 2. Ut exerceat actum Ordinis proprium, & eo modo, quo vi Ordinis ſolet, & non niſi ab ordinatis licitè exerceri poteſt: quod contingeret, ſi ſimplex Sacerdos conferret Ordines, Diaconus celebraret Miſſam, aut Solenniter baptizaret ſine licentia Epiſcopi, vel Presbyterii, ſubdiaconus cantaret cum Stolâ Evangelium, & in Minoribus conſtitutus cum Manipulo Epiſtolam &c. Sylv. *V. Irregularitas q. 12. limit. 6.* Navar. *Man. c. 27. n. 242.* Avil. *p. 7. de Cenſur. D. 9. ſect. 2. dub. 13. limit. 5.* Suar. *ſect. 4. cit. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 18. n. 2.* Vivian. *in c. 1. b. tit. fin.* Wagnereck *in Exeg. ibid.* Barboſ. *n. 2.* Pirhing *n. 5.* König *n. 2.* Wieſter *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 6.* Unde Irregularitatem non incurrit, qui in Officio ſolenni canit Epiſtolam, vel Evangelium, etiam Dalmaticâ indutus, modo Manipulum, & Stolam non deferat, cùm proprium inſigne Diaconi ſit Stola, & Subdiaconi Manipulus. König *n. 2. cit.*

8 3. Ut id faciat temere per textum *c. ſiquis 1. b. tit.* ibi, *propter temeritatem*, ac proinde ſcienter; quia Irregularitas iſta pœnalis eſt, & ſupponit actum culpabilem. Avil. *dub. 13. cit.* Suar. *n. 16.* Pirhing *n. 5.* Wieſtner *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 8.* Hinc, qui ex ignorantia invincibili probabiliter putat, ſe Ordinem, cujus actum exercet, habere, Irregularitatem non incurrit; quia tali caſu culpa abeſt. Imò Avil. *l. cit.* putat, non incurri hanc Irregularitatem etiam ab eo, qui ex craſſa ignorantia miniſtrat in Ordine, quem non habet; quia eſt valde gravis pœna, ideóque non incurritur, niſi à ſciente, & temerariè præſumente, ſive per contemptum miniſtrante.

9 4. Ut actio, ſive exercitium Ordinis, ſaltem externum, fiat ſeriò; nam ſi id joco tantùm, ſive per modum ludicræ, aut ſcenicæ actionis facit, non cenſetur in Ordine miniſtrare, vel illum exercere, ſed potiùs exercitium, vel miniſterium ejus repræſentare: quod intercedente honeſta cauſa, & ſecluſo rerum Divinarum contemptu licitum eſt, ac proinde nequit Irregularitati ſubjici. Sylv. *V. Irregularitas q. 12. limit. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 241.* Sot. *in 4. diſt. 26. p. 1. art. 3.* Henriquez *l. 14. c. 6. n. 1.* Sayr. *l. 7. Theſaur. c. 10. n. 2.* Suar. *ſect. 4. cit. n. 16.* Bonac. *p. 6. cit. n. 1.* Palao *n. 2.* Pirhing *n. 6.* Wieſtner *n. 6.* Reiffenſtuel *n. 7.*

Quæritur 3. an, ut incurratur hæc 10
Irregularitas, etiam requiratur, ut actus Ordinis exerceatur cum intentione eundem exercendi? Affirmant Tabien. *V. Irregularitas 4. §. 3.* Navar. *Man. c. 27. n. 242.* Ugolin. *de Cenſur. c. 37. n. 10.* Avil. *p. 7. D. 9. ſect. 2. dub. 13. v. quintò*, Hurtad. *D. 2. difficult. 2. n. 5.* Bonacin. *de Irregul. D. 7. q. 3. p. 6. n. 2.* Moventur 1. quia in *c. ſiquis 1. b. tit.* ſtatuitur hæc Irregularitas, eò quòd non ordinatus ſolenniter baptizaverit, vel aliud officium Ordini annexum exercuerit, ſed qui ſine intentione Ordinem exercendi actum Ordinis ponit, revera non ponit actum Ordinis, utpote ad quem vel maximè requiritur intentio faciendi id, quod facit Eccleſia, ergo &c. 2. ad incurrendam hanc Irregularitatem opus eſſe videtur, ut Officium Ordinis exerceat, ſi non verè, ſaltem quantum eſt ex ſe. ſed qui intentionem non habet illud Officium exercendi, illud, quantum eſt ex ſe, non exercet, cùm deficiat in intentione, ergo &c. 3. confirmant exemplo rebaptizantis exteriùs ſine intentione, qui ex communi Irregularitatem impoſitam adversùs rebaptizantes non incurrit; quia, quantum eſt ex ſe, non rebaptizavit.

Sed verior eſt negativa, quam 11
etiam defendunt Suar. *de Cenſur. D. 42. ſect. 4. n. 18.* Coninck *D. 18. dub. 6. n. 47.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 18. n. 8.* Pirhing *hic n. 6.* Wieſtn. *n. 6.* Reiffenſt. *n. 7.* *Ratio eſt*, quia aliàs Irregularitas hæc à non ordinatis, miniſtrantibus in Ordine non ſuſcepto, facilè eluderetur, dicendo, ſe fictè duntaxat, & ſine intentione actum Ordinis exercendi miniſtrâſſe: imò Irregularitate hâc nemo afficeretur, niſi Hæreticus aut craſſiſſimâ laborans ignorantiâ, cùm nemo alius Officium Ordinis, quod ſibi ſcit impoſſibile, exercendi voluntatem habere poſſit.

Ex quo patet *ad 1. argumentum* 12
contrarium; nam SS. Canones punire intenderunt actum externum ſeriò exercitum. *Ad 2.* ille Miniſter, qui ſeriò ponit actum externum Ordinis, quem non habet, jam facit, quantum ex parte ſua facere poteſt ad officium Sacrum exercendum

dum; quia aliam habere intentionem est ei ferè impossibile, ut probatum est. *Ad 3.* negatur paritas; nam illa Irregularitas imposita fuit Hæreticis rebaptizantibus, ac proinde supponitur, illos habere intentionem rebaptizandi, & judicare, dari posse rebaptizationem. at hæc Irregularitas, de qua in præsenti, instituta est ad puniendos Sacrilegos, qui cùm ordinati non sint, Ordinis officium usurpant.

13 Quæritur 4. an Irregularitatem istam incurrat, qui ministrat in Ordine, quem ipse quidem suscepit, sed defectuosè, quòd in collatione illius omissum sit aliquid, quòd aliàs poni debebat? R. distinguendo: Vel enim omissum est aliquid accidentale tantùm, quod certum est, non esse de substantia v. g. Unctio aliqua; vel contrà omissum est aliquid substantiale. *Si primum*, ministrans in Ordine sic suscepto, antequam suppleatur omissum, peccat quidem graviter (nisi omissa esset parva cerimonia, quæ necessariò supplenda non est) per hanc tamen culpam, etsi gravem, non incurrit Irregularitatem; quia ea nullo Jure expressa est, quamvis prohibeatur interim ministrare, donec defectus ille suppleatur. Angel. *V. Irregularitas n. 39.* Sylv. *V eod. q. 12. limit. 5.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 12.*

14 *Si secundum*, interest, an collatio per omissionem ejusmodi fuerit omnino invalida, an verò remanserit valida, eò quòd Ordinatio substantialiter dividua sit, prout est Ordinatio Sacerdotis, in qua per traditionem patenæ cum Hostia, & calicis cum vino confertur potestas consecrandi Corpus, & sanguinem Christi; & per impositionem manuum Episcopi datur potestas absolvendi. *Si prius*, exercens Ordinem ita susceptum, nisi ipsum excusset ignorantia defectûs, Irregularitatem incurrit, ut communis habet sententia, teste Suar. *l. cit. n. 11.* *Si posterius*, ordinatus cum traditione patenæ cum Hostia, & Calicis cum vino, omissa impositione manuum, Irregularis quidem efficitur absolvendo à peccatis; quia revera ministrat in Ordine, quem non habet: probabiliùs tamen, ut putat Suar. *n. 13.* non fit Irregularis, si missam celebret; quia defectus impositionis manuum respectu talis ministerii accidentarius est. Neque obstat *c. fin. h. tit.* ubi Irregularis esse dicitur, qui sine manuum impositione Missas celebrare ausus est; quia per manuum impositionem ibi significatur tota Ordinatio Sacerdotalis, ut ex contextu constat, & notavit Gloss. *ibid.* Suar. *n. 11. & 13.*

15 Quæritur 5. an ad Irregularitatem hanc incurrendam necessarium sit, ut ministret aliquis in Ordine Sacro? Affirmant aliqui cum Angel. *V. Irregularitas n. 38.* Sylv. *V. eod. q. 15.* Avil. *p. 7. de Censur. D. 9. sect. 2. dub. 15.* quia in Minoribus ministrare etiam Laici solent, & licitè possunt.

Sed adhibenda est distinctio insinuata *Tit. præc. n. 33.* 16 Vel enim ministrat in tali Ordine minore, tanquam ex officio proprio, & eo modo, quo ministrari non nisi ab ordinatis licitè potest; vel ministrat eo modo, quo solet ministrari à Laicis. *Si hoc secundum*, ita ministrans nullam incurrit Irregularitatem; quia non exercet actum proprium Ordinis. Navar. *Man. c. 27. n. 242. dict. 7.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 15.* Wiestner *hic n. 7.* Reiffenstuel *ibid. n. 9.* Pirhing *n. 9.*

Si primum, incurrit Irregularitatem, 17 prout sumitur ex *c. fiquis 1. h. tit.* ubi generaliter constituitur, ut *fiquis - - aliquod Divinum Officium exercuerit non ordinatus, - - nunquam ordinetur.* atqui etiam Officia minorum Ordinum ad Divinum Officium pertinent. ergo &c. *Conf.* à pari cum Excommunicato, ministrante in Ordine minore, qui secundùm dicta *Tit. præc. n. 33. cit.* Irregularitatem incurrit *DD. citt.*

Quæritur 6. an Irregularitatem in- 18 currat Sacerdos simplex Confirmans, conferens SS. Ordines, consecrans Ecclesias, vel Altaria &c. *Ratio dubitandi* est; quia Episcopatus secundùm aliquos non est Ordo, vel saltem non est Ordo distinctus ab Ordine Sacerdotali.

Sed tenenda est affirmativa Sen- 19 tentia, quam etiam defendunt Suar. *D. 42. cit. sect. 4. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. à n. 5.* Pirhing *hic n. 3.* Wiestner *ibid. n. 8.* quia ut *Libr. 1. Tit. 11. n. 4.* dictum est, Episcopatus revera est Ordo: & esto, Ordo non sit, ab omnibus tamen instar Ordinis reputatur comparatione Ordinis Sacerdotalis, vi cujus ejusmodi actus ante consecrationem Episcopalem exerceri nequeunt, & per hanc primùm ad eos exercendos Sacerdos elevatur.

Unde eo casu Sacerdos Irregularis 20 efficitur, ne in Episcopum consecrari possit; in Sacerdotio verò manebit suspensus biennio, vel triennio arbitrio Episcopi; cæteros verò Ordines inferiores exercere non prohibebitur. Suar. *l. cit.*

Quæritur 7. an Irregularitatem in- 21 currat etiam Laicus, solenniter baptizans, vel alios actus Ordini proprios exercendo? Affirmant Navar. *Man. c. 27. n. 242. ỳ. septimò*, Sot. *in 4. dist. 18. q. 4. art. 1. §. in dubium.* & *dist. 25. q. 1. art. 3. post concl. 4.* Valent. *tom. 4. D. 4. q. 2. p. 1.* & *D. 7. q. 10. p. 1.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 10.* Avil. *p. 7. D. 9. sect. 2. dub. 13.* Coninck *D. 18. dub. 6. n. 45.* Filliucc. *tr. 20. c. 7. q. 8. n. 208.* Hurtad. *D. 2. de Irregul. diffic. 2. n. 4.* Vallens. *hic ỳ. at verò.*

Zoes.

Zœſ. *n. 4. & 5.* Engl *n. 1.* Wieſtner *n. 9.* & plures alii valde probabiliter.

21 *Moventur 1.* quia Laicus Ordinum Officium temere uſurpando æquè, imò graviùs delinquit, quàm Clericus ad divina per primam Tonſuram jam deputatus. 2. quia *c. ſiquis 1. b. tit.* Irregularis eſſe pronuntiatur non ordinatus miniſtrans indiſtinctè, & nullo facto diſcrimine, an Clericus ille ſit, an verò Laicus. 3. quia per *Conſt. Clem. VIII.* incipit *Etſi aliàs editam 4. Dec. 1691.* à foro Eccleſiæ abjici, & ab Ordinibus, ſiquos habuerint, degradati, Curiæ Sæculari tradi jubentur quicunque non Presbyteri generaliter, qui Miſſam celebrare, aut Sacramentalem Confeſſionem audire præſumpſerint.

23 Sed non minùs probabiliter Irregularitatem tali caſu à Laico incurri negant Angel. *V. Irregularitas 1. n. 38.* Roſell. *V. eod. n. 2. pr.* Tabien. *ibid. 4. n. 2.* Henriq. *l. 2. de Baptiſm. c. 29. n. 5.* & *l. 14. c. 6. n. 2.* Sayr. *l. 7. c. 10. n. 6.* Bonacin. *de Cenſur. D. 7. p. 6. n. 1. ℣. I dixi Clericus.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 18. n. 10.* Barboſ. *in c. ſiquis 1. b. tit. n. 5.* Ratio eſt, quia Irregularitas non incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis. atqui nullo Jure expreſſum ſatis invenitur, quòd talis Laicus Irregularitatem incurrat: imò iſtum diſpoſitione Juris, ſtatuentis Irregularitatis pœnam miniſtranti in ordine non ſuſcepto, non incurri, ſatis clarè indicat Rubrica *præſ. Tit.* quæ loquitur *de Clerico non ordinato miniſtrante.*

24 Interim tamen fatendum omnino eſt, quòd Laicus, Miſſam celebrans, vel Confeſſionem Sacramentalem audiens, committat peccatum, & Sacrilegium graviſſimum, dum Divinis Sacramentis illudit, & fidelibus per falſitatem purum panem cum vino loco veri Corporis, & Sanguinis Chriſti adorandum proponit: non minùs talis Laicus decipit fideles, qui ipſi peccata ſua aperiunt, putantes eum eſſe Sacerdotem; nam exiſtimant ſe obtinere remiſſionem peccatorum ſuorum, quam tamen per abſolutionem, à tali homine factam, ob defectum Ordinum, & Jurisdictionis obtinere nequeunt. Hinc meritò ab Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis, tanquam Idololatriæ, & graviſſimi *Falſi* rei omni miſericordiâ indigni judicari, & Curiæ Sæculari debitis pœnis afficiendi tradi poſſunt, & debent, juxta *Conſt. Clem. VIII.* incipit *Etſi aliàs cit.* quàm confirmavit *Urbanus VIII. Conſt.* incipit *Apoſtolatûs*, prout dictum eſt *ſuprà n. 5.*

Ad Argumenta *n. 22.* allata in 25
contrarium non difficilis eſt reſponſio. *Ad 1.* dici poteſt, quòd hîc verſemur in materia pœnali, in qua à paritate rationis Argumentum non rectè ducitur. *Ad 2.* generalitas textûs ad Clericos ſatis reſtringitur per Rubricam, quæ de Clerico expreſsè loquitur. *Ad 3.* Conſtitutio illa non meminit Irregularitatis: conſ. eidem in caſu præſenti non erit locus.

Quæritur 8. quis in Irregularitatè, 26
quam quis per uſum temerarium Ordinum non ſuſceptorum incurrit, diſpenſare poſſit, & poteſtatem concedere ſuſcipiendi Ordines? *R.* diſtinguendo inter Jus antiquius & Jus novum Trid. *Jure antiquo* Decretalium diſpenſare poterat ſolus Pontifex *c. cùm æterni 1. ℣. ſciturus de Sent. & re jud. in 6.*

Jure novo Trid. autem in Delicto 27
hoc, ſi adhuc occultum ſit, diſpenſare permittitur etiam Epiſcopus *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* Ugol. *de Offic. Epiſc. c. 57. §. 3. n. 1.* Bonacin. *de Cenſur. D. 7. q. 3. p. 6. n. 10.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 18. n. 12.* Barboſ. *in c. fin. h. tit. n. 4.* Pirhing *hic n. 10.* Wieſtner *n. 10. fin.* Reiffenſtuel *n. 16.*

TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promoto.

SUMMARIUM.

1. *In suscipiendis Ordinibus servandi sunt gradus.*
2. *His non observatis, Ordo quidem susceptus valet.*
3. *Ita tamen suscipiens ipso Jure suspensus est.*
4. *Irregularis tamen non est.*
5. *Nisi in Ordine ita suscepto ministret.*
6. 7. *Effectus hujus suspensionis.*
8. 9. *An ipso Jure incurratur?*
10. 11. *An eam incurrat, qui omissâ primâ Tonsurâ, ascendit ad minores Ordines?*
12. 13. *Vel qui non recepit antea Sacramentum Confirmationis?*
14. &c. *Quis dispensare possit in pœnis, ob Ordines per saltum susceptos contractis?*

1 CIrca Ordines etiam delinquunt, qui ad eos promoventur *per Saltum*, & uno vel pluribus Ordinibus prætermissis, ad Superiorem ascendunt; nam sicut natura, ita & Ecclesia voluit, ut à minimis initium caperetur, & ab inferioribus Ordinibus per sequentes Ordines gradus ad Ordinem supremum fieret *can. un. dist. 52. can. si officia 2.* & *can. fin. dist. 59.* Trid. *sess. 23. c. 2. de Sacr. Ordin.* & *c. 11. de Reform.*

2 Quæritur 1. quid sit constitutum circa eum, qui contra has Ecclesiæ Sanctiones sive scienter, sive ignoranter per Saltum promotus est? ℟. distinguendo inter Ordinem Episcopatûs, & reliquos Ordines. *Ordo Episcopatûs* invalidè suscipitur ab eo, qui non suscepit priùs Ordinem Sacerdotalem; quia hunc essentialiter supponit. Si verò quis ordinatus Sacerdos sit, quamvis unus, vel plures, aut etiam omnes Ordines Sacerdotio inferiores eidem desint, validè consecratur Episcopus. Non tamen talis poterit conferre Ordines, quos non recepit; quia sic per saltum ordinatus in Sacerdotem, & Episcopum, suscepit quidem characterem Ordinis Episcopalis, sed non ejus executionem. Gloss. *fin. in c. un. h. tit.* Pirhing *hic n. 8. not. 8.* & hoc teste communis contra Abb. *in c. cit. fin.*

3 Similiter characterem Ordinis recipit, qui per saltum ordinatur Sacerdos omisso Ordine Diaconatûs, aut qui Diaconus, omisso Subdiaconatu. Gloss. *in can. un. V. Subdiaconus dist. 52.* Gloss. *fin. in c. un. cit.* Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *n. 8.* Gonzal. *n. 7.* Fagnan. *n. 4.* Vallens. *℣. cùm igitur h. tit.* Pirhing *n. 1. & 8.* König *n. 1.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 2.* Ipso tamen Jure suspensus est, donec omissus Ordo suppleatur, ut habetur *c. un. cit.* & colligitur ex Trid. *sess. 23. cit. c. 14. fin. de reform.* ubi permittitur Episcopo potestas dispensandi ex justa causa cum promotis per saltum, si non ministraverint: conf. suspensio ab ipsis contracta est. Navar. *Man. c. 27. n. 242.* Avil. *de Censur. D. 9. sect. 1. dub. 2. concl. 2.* Fagnan. *in c. un. cit. n. 22.* Barbos. *n. 3.* Gonzal. *n 2.* Pirhing *n. 3.* Zœs. *n. 4.* König *n. 2.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 3.*

4 Quæritur 2. an sic promotus incurrat Irregularitatem? ℟. non incurrere, nisi ministrando temere in Ordine sic suscepto, Sylv. *V. Irregularitas q. 11. n. 12.* Suar. *de Censur. D. 31. sect. 1. n. 45. & seqq.* Avil. *dub. 2. cit. concl. 1. & 2.* Sperell. *decis. 114.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 47. n. 2. & in c. un. h. tit. n. 2.* Fagnan. *ibid. n. 22.* Engl *hic ℣. quamvis.* Pirhing *n. 2.* Wiestner *n. 3.* quia hoc nullo Jure expressum est: imò ex *c. un. cit.* & Trid. *c. 14. cit.* satis clarè colligitur non incurrere, dum Episcopus permittitur dispensare cum sic promotis, si non ministraverint, non alia certè ex causa, quàm quòd casu, quo non ministraverunt, Irregularitatem nullam incurrant.

5 Dixi, *nisi ministrando temere in Ordine sic suscepto*; nam casu quo ministravit in Ordine sic suscepto, Irregularis efficitur, tanquam violator Censuræ, & sic dispensationem à Papa obtinere debet secundùm dicenda *n. 15.* Imò ita promotus Irregularitatem incurrit, si minister etiam in Ordine prætermisso: idque verum est, sive in eo ministret ante eum susceptum, sive post susceptum, si hoc faciat absque legitima Dispensatione. Si enim ministravit antè, fit Irregularis tanquam ministrans in Ordine, quem non habet juxta dicta *Tit. præc. n. 4.* Si post illum susceptum, itidem fit Irregularis; quia cùm suspensus sit à receptione Ordinis prætermissi, postquam illum sine Dispensatione suscepit, manet adhuc suspensus ab ejus executione. ergo si in illa Censura ministret, fit Irregularis juxta dicta *Tit. 27. n. 4.*

6 Quæritur 3. an dicta Suspensio prohiheat etiam Usum Ordinum ritè susceptorum?

rum? Affirmant Majol. *l. 4. de Irregul. c. 12.* & inclinare videtur Navar. *Man. c. 27. n. 242.* ubi indefinitè dicit, eum, qui per saltum promotus est, manere suspensum, non declarans, an Suspensio illa totalis sit. Consentit Gonzal. *in c. un. h. tit. n. 6.* Sed melius negant. Sylv. *V. Irregularitas q. 11.* Diaz *pract. crim. can. c. 29.* Suar. *de Censur. D. 31. sect. 1. n. 48.* Avil. *dub. 2. cit. concl. 2. fin.* Riccius *Decis. 216. n. 2.* Barbos. *in c. un. h. tit. n. 5. ℣. non est.* Pirhing *hic n. 5. not. 1.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 4.* & alii, ex quorum doctrina sic promotus dispensatione non indiget, ut ministrare possit in Ordinibus ritè susceptis; quia dispositio *c. un. cit.* & Trid. *l. cit.* pœnalis est: cons. strictè interpretanda.

7 Triplex tamen hujus suspension's effectus est. Nam 1. inducit impedimentum respectu Ordinis, ad quem per saltum promotus, omisso Ordine inferiore, ascendit. 2. impedit, ne ascendere possit ad superiores Ordines; nam Suspensio à quolibet Ordine, durante illa, consequenter impedit ascensum ad superiorem. hæc autem est vera suspensio. 3. speciale impedimentum inducit respectu Ordinis prætermissi, ne suscipere illum sine dispensatione possit; nam hoc etiam Jura adducta probant. Suar. *n. 48. cit.*

8 Quæritur 4. an promotus per saltum ad Ordinem aliquem ipso Jure ab hoc Ordine suspensus sit? Archidiaconus *in can. un. dist. 52.* Turrecr. *ibid. art. 4.* Diaz *pract. c. 24.* & alii, etsi concedant, sic promotum non posse licitè ministrare in Ordine per saltum suscepto, vel ascendere ad superiorem, donec Ordinem, quem prætermisit, accipiat; negant tamen hoc fieri propter suspensionem ipso Jure latam, sed hoc refundunt in specialem prohibitionem Ecclesiæ, ex qua receptio inferioris Ordinis est dispositio prærequisita ad convenientem usum superioris. *Fundantur in can. un. cit.* ubi solùm dicitur, *A Sacerdotali officio illum prohibeas*, quæ verba vel significant executionem prædictæ prohibitionis, vel ad summum suspensionem ferendam. *Confirmant* ex *c. un. h. tit.* ubi solùm dicitur, ut imponatur pœnitentia, & sic ordinetur in prætermisso Ordine; & tunc permittatur ministrare in superiore jam suscepto.

9 *Sed dicendum*, hanc suspensionem ipso facto incurri, saltem quando scienter ita quis ordinatus est. Ita Sylv. *V. Irregularitas q. 11.* Host. *Summ. hic §. 1.* Sot. *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3.* Navar. *Man. c. 27. n. 242.* Suar. *de Censur. D. 31. sect. 1. n. 45.* & *seqq.* qui hoc colligit ex Trid. *sess. 23. c. 14. de reform.* ubi permittitur Episcopo potestas cum eo, qui per saltum promotus est, si non ministraverit in eo Ordine, dispensandi ex causa legitima, non autem permittitur ipsi potestas dispensandi, ut ascendat ad superiores Ordines, vel in eo, quem ita per saltum suscepit, ministret, antequam prætermissum recipiat; quia utrumque prohibitum est ex natura rei, supposita institutione talium Ordinum. ergo potestas dispensandi Episcopo data solùm terminari potest ad hoc, ut possit Ordinem prætermissum ita ordinatus recipere, & sic in suscepto ministrare, atque ascendere ad superiorem Ordinem. cons. supponit Concilium hoc ipsi prohibitum esse ipso facto: quod non est, nisi per Censuram suspensionis.

Quæritur 5. an Suspensionem istam 10
incurrat etiam is, qui omissâ primâ Tonsurâ, ascendit ad minores Ordines? Videtur non incurrere; quia prima Tonsura secundùm dicta *Libr. 1. Tit. 11. n. 3.* non est Ordo. Sed etsi Ordo non sit, est tamen primus gradus, & quasi fundamentum Ordinum, ad quos disponit, & capaces fideles efficit.

Quare dicendum à sic ordinato Su- 11
spensionem incurri, ut exequi Officium Ordinum sic susceptorum nequeat, donec primam Tonsuram recipiat. Ita Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 47. n. 7.* & *in c. un. tit. n. 5.* Sperell. *decis. 114. à n. 17.* Pirhing *hic n. 7.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 6.* & declaratum est à *S. Congr. Cardd. Trid. Interpp.* teste Gallemart. *ad Trid. c. 14. cit. n. 4.*

Quæritur 6. an suspensus etiam 12
sit, qui ad minores Ordines promotus est ante receptum Sacramentum Confirmationis? Videtur suspensionem incurrere, ob paritatem cum Baptismo, ante cujus susceptionem siquis susceperit Ordinem, in eodem ministrare nequit.

Sed lata inter Baptismum, & Confirmationem disparitas est: nam ille, cùm omnium Sacramentorum janua sit, ad valorem Ordinis suscepti requiritur; non ita requiritur Confirmatio. igitur cùm nullo Jure expressum sit, quòd Suspensionem incurrat, qui Confirmatione non suscepta est ordinatus.

Dicendum, non incurrere. Ita 13
Ugolin. *de Irregul. c. 38. §. 1.* Henriquez. *l. 14. c. 6. n. 3.* Sayr. *l. 7. c. 9. fin. n. 42.* Suar. *tom. 3. de Sacram. p. 3. D. 38. sect. 3.* Filiuc. *tr. 20. n. 205.* Avil. *de Censur. p. 7. D. 9. sect. 1. dub. 3.* Bonac. *de Irregul. D. 7. q. 3. p. 4. n. 8.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 17. n. 2.* Zœs. *hic n. 5.* Pirhing *n. 10.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 7.* Imò Navar. *Man. c. 22. n. 9.* Henriq. *n. 3. cit.* cùm aliis modò allegatis satis probabiliter existimant non peccare mortaliter eum, qui non suscepto Sacramento Confirmationis, susci-

pit Ordinem ; vel in ſuſcepto miniſtrat ; quia licèt Trid. *ſeſſ. 23. c. 4. de reform.* velit, ut priùs ſuſcipiatur Sacramentum Confirmationis, non tamen hoc, ſaltem ſub gravi præcipit.

14 Quæritur 6. quis diſpenſare poſſit in pœnis, ob Ordines per ſaltum ſuſceptos contractis ? R. ſi per ſaltum ordinatus in Ordine ita ſuſcepto, vel prætermiſſo non miniſtravit, poteſt diſpenſare Epiſcopus in Suſpenſione, quatenus in Ordine per ſaltum ſuſcepto miniſtrare valeat, ita tamen, ut priùs Ordinem omiſſum recipiat *c. un. h. tit.* & Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 14. de reform. fin.* Engl *hic ỳ. præterea.* Pirhing *n. 4. coroll. 2.* Reiffenſtuel *n. 8.*

15 Contrà non poteſt diſpenſare Epiſcopus cum ſic promoto per ſaltum 1. ut aſcendat ad ſuperiores Ordines, antequam inferiorem prætermiſſum receperit ; quia id repugnat primæ inſtitutioni Ordinum, adeóque Juri Divino adeò, ut nec Pontifex in eo videatur diſpenſare poſſe. Suar. *de Cenſur. D. 31. ſect. 1. n. 4.* Pirhing *hic n. 5. not. 3.* 2. ut ante ſuſceptum Ordinem prætermiſſum poſſit miniſtrare in Ordine per ſaltum ſuſcepto ; quia hoc eſt per ſe malum, & prohibitum quaſi ex natura rei, ſuppoſita inſtitutione talium Ordinum. Suar. Pirhing *l. citt.* 3. denique diſpenſare Epiſcopus nequit cum eo, qui in Ordine per ſaltum ſuſcepto, vel prætermiſſo miniſtravit ; quia *Trid.* poteſtatem diſpenſandi Epiſcopo concedit ſub conditione, *Si non miniſtraverit.*

16 Quare ſolùm Epiſcopus cum ita per ſaltum promoto diſpenſare poteſt ad hunc effectum, ut recipiat Ordinem prætermiſſum, & deinde in illo miniſtret, & ad ſuperiorem aſcendat, modò ſtante iſta ſuſpenſione non miniſtraverit in Ordine per ſaltum ſuſcepto, vel in prætermiſſo, vel hunc ſine diſpenſatione receperit ; tunc enim, ſaltem, quando delictum publicum, & notorium eſt, pro Diſpenſatione recurri ad Papam debet. *Ratio eſt*, quia incurrit novum genus Suſpenſionis, & præterea Irregularis efficitur ob violationem Cenſuræ, à qua, ſaltem quando delictum eſt publicum, diſpenſare alius præter Papam non poteſt. Barboſ. *alleg. 47. cit. n. 11.* Wagnereck *in Exeg. c. un. h. tit.* Pirhing *hic n. 5. not. 2.*

17 Quæritur 7. an Epiſcopus diſpenſare poſſit etiam cum ſcienter promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverunt ? Negat Fagnan. *in c. un. h. tit. n. 24. & 25.* cum ita promotis etiam hodie diſpenſare Epiſcopum poſſe ; quia cùm Jus commune antiquum diſtinguat inter promotum per ſaltum ſcienter, vel ignoranter, ut patet ex *c. un. h. tit.* quod loquitur de ordinato per ſaltum ignoranter, & ante annos diſcretionis ; & ex *can. un. diſt. 52.* ubi ſermo eſt de eo, qui ex negligentia ſeu ignorantia potiùs quàm ex ſuperbia, Subdiaconatu poſtpoſito, ad Diaconatum, & Preſbyteratum cognoſcitur aſcendiſſe, idcirco idem *Fagnanus* putat eodem modo diſtinguendum eſſe Decretum *Trid.* quòd juxta communem axioma Lex nova, diſponens in materia antiqua, omnes interpretationes, & limitationes recipiat, quas illa materia recipiebat à Legibus antiquis, quamvis Lex nova loquatur generaliter.

18 Contrà Suar. *de Cenſur. D. 31. ſect. 1. n. 47. fin.* Barboſ. *alleg. 47. cit. n. 6.* Pirhing *hic n. 6.* docent, poteſtatem hanc diſpenſandi poſt *Trid.* competere Epiſcopo, ſive ſcienter, ſive ignoranter promotus aliquis per ſaltum fuerit, modò Suſpenſionem per miniſtrationem in Ordine ita ſuſcepto vel prætermiſſo non violaverit ; quia Concilium non diſtinguit, utrùm ſcienter & ex ambitione, aut malitia, an verò ex negligentia, vel ignorantia ſic aliquis ordinatus fuerit : ſed ſimpliciter, & indiſtinctè dicit poſſe diſpenſare Epiſcopum. Neque obeſt, quamvis delictum ſit publicum ; quia Concilium facultatem diſpenſandi non limitavit ad delictum occultum. Gonzal. *in c. un. h. tit. n. 6.* König *hic n. 2.*

19 *Ex quo ſequitur* diſcrimen inter ſic promotum, qui miniſtravit, & inter eum, qui non miniſtravit in Ordine per ſaltum ſuſcepto ; nam prior diſpenſari non poteſt ab Epiſcopo, ſive ſcienter, & dolosè, ſive ex ignorantia ſic ordinatus fuerit ; quia Concilium hoc caſu poteſtatem diſpenſandi Epiſcopo indiſtinctè negat. Suar. Barboſ. Pirhing *l. citt.* *Excipitur*, niſi delictum occultum ſit ; nam ſi occultum ſit, tam in Irregularitate, quàm in Suſpenſione à ſic ordinato contracta diſpenſare valet Epiſcopus vi Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* ibi, *Liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, - - - diſpenſare.* Gonzal. *l. cit. n. 6.* Engl *hic ỳ. præterea.* Pirhing *n. 6.* König *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 10.*

TITU-

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur furtivè suscipere Ordines?*
2. *An valeant ita furtivè suscepti?*
3. 4. 5. *Quid si præmissa est ab Episcopo protestatio tales non ordinandi?*
6. &c. *Pœnæ suscipientis furtivè Ordines.*
10. &c. *Causæ à pœnis his excusantes.*
12. &c. *Quis relaxare has pœnas possit?*

DEnique circa Ordines delinquunt Clerici, qui illos suscipiunt furtivè.

1 Quæritur 1. quinam dicantur *furtivè suscipere Ordines?* R. ita suscipere Ordines dicitur 1. qui absque licentia, & consensu Episcopi vel sine prævio Examine, & approbatione dolosè, & Ordinatore ignorante se ordinandis immiscet *can. quando 5. dist. 24. can. extra 5. dist. 64.* & *c. veniens 1. juncct.* Gloss. *V. furtivè h. tit.* Abb. *ad Rubr. h. tit.* Host. *Summ. eod. n. 1.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 6.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 2.* Vallens. *hic n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 1.* 2. qui ad Ordines minores admissus, eadem die recipit, Subdiaconatum *c. cùm H. 2. h. tit.* Vallens. Pirhing, König *l. citt.* *Excipitur*, nisi alicubi consuetudine obtentum sit, ut eadem die Minores Ordines cum Subdiaconatu conferantur, quæ consuetudo in pluribus locis viget, & à DD. communiter approbatur apud Barbos. in Trid. *sess. 23. c. 12. de reform.* 3. qui contra Superioris inhibitionem eodem tempore dolosè recipit duos Majores Ordines *c. fin. h. tit.* Engl *hic pr.* Vallens. *n. 1.* Wiestner *n. 1.* Reiffenst. *n. 2.*

2 Quæritur 2. an valeant Ordines furtivè, præsertim primo modo suscepti? *Rationem dubitandi* faciunt verba, quæ in collatione Ordinum ab Episcopis, vel eorum nomine ab Officialibus præmitti solent, quibus is protestatur, se *non intendere ordinare non examinatos, aut approbatos.* Sed Argumentum hoc ad summum probat, quòd Ordo ita susceptus valore careat, quando Ordinans protestationem ejusmodi præmisit. Secus dicendum, si non præmisit; tum enim habendus est pro valido, cùm nuspiam constet esse irritum. Abb. *in c. veniens 1. h. tit. n. 1. not. 1.* Pirhing *hic n. 5. not. 5.* Reiffenstuel *n. 3.* & sumitur ex *c. veniens cit.* ubi furtivè ordinatus non ampliùs jubetur reordinari, & sublatâ Censurâ, quam incurrit, permittitur ministrare, manifesto argumento, Ordinem furtivè collatum valere. Dixi *ad summum*; nam ulteriùs

2 Quæritur 3. an Ordo furtivè susceptus valeat, quando Ordinans protestationem ejusmodi præmisit? *Certum est*, valore destitui, si revera Ordinans habeat intentionem tales non ordinandi, nisi hanc intentionem postea corrigat. Rebuff. *prax. Benef. tit. de Cler. ad Ord. mal. promot. Gloss. 4. n. 19.* Pirhing *hic n. 5.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 4.* nam si postea nihilominus habeat intentionem ordinandi omnes præsentes, vel faciat intentionem generalem faciendi circa personas sibi præsentes, quòd facit Ecclesia, talis intentio priori prævalet, & collationem Ordinis etiam furtivè suscepti validam reddit. Et talem intentionem ab Ordinante subjungi communiter docent Henriq. *l. 2. c. 8. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 1. c. 4. n. 6.* Bonacin. *de Sacram. D. 2. q. 2. p. 4. n. 6.* Lugo *de Sacram. D. 8. n. 119.* Imò aliqui apud eundem Lug. *l. cit.* putant, hujusmodi protestationes ab Ordinariis adjectas præsumi potiùs animo absterrendi hic volentes furtivè ordinari, quàm animo non ordinandi, quòd habere præsumantur intentionem absolutam ordinandi omnes præsentes.

Verùm hoc dicere non audet 4
Reiffenstuel *hic n. 6.* quia Episcopus, si revera vult, omnino potest habere intentionem seriam non ordinandi: cons. si contrarium non manifestat verbis, censetur eam in dubio seriò habuisse, *arg. l. Labeo 7. §. Servius 2. ff. de Supell. legat.* ibi: *Nemo existimandus est dixisse, quod mente non agitaverit;* & *l. generaliter 13. C. de non num. pecun.* ibi. *Nimis enim indignum judicamus, quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.* Quare subsequens intentio ordinandi præsentes non censebitur afficere, nisi eos, qui prævia seriâ voluntate non fuerunt exclusi. Hinc idem Reiffenstuel *n. 7.* putat, non solùm tutius, sed etiam probabilius, cons. amplectendum, casu, quo Episcopus veram, & seriam intentionem præmittit, & notificat non ordinandi certas personas, illos, qui furtivè se ingerunt, validè non ordinari: ac proinde Ordinem sic susceptum repetendum.

Quidquid sit, consultum, prout 5
DD. notant, nequaquam est, ut Episco-

pi intentionem, & protestationem præmittant tales, vel tales non ordinandi; tum quia hoc est difforme ritibus, & praxi universalis Ecclesiæ; tum quia secum trahit gravissima incommoda, & pericula, quæ ex dubia, & irrita Ordinatione oriuntur: quamvis consultum, & Juri conforme sit, ut sub Excommunicatione prohibeatur, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures Ordines eadem die furtivè recipiant *arg. c. veniens 1. & seqq. h. tit.* Reiffenstuel *n. 8.*

6 Quæritur 4. quas pœnas incurrant furtivè suscipientes Ordinem? ℟. 1. incurrunt Suspensionem ab executione Ordinum sic susceptorum. Engl *hic* ℣. *pœna.* König *n. 2.* Reiffenstuel *n. 9.* & patet ex *c. fin. h. tit.* ubi sic ordinatus prohibetur ministrare in Ordinibus sic susceptis.

7 2. Si susceptionem hujusmodi Episcopus prohibuit sub Excommunicatione, tanquam excommunicati suspenduntur ab executione etiam cæterorum Ordinum rite susceptorum. Abb. *in c. fin. cit. n. 4.* Pirhing *hic n. 2. 4. & 9.* Wiestn. *n. 4.* Reiffenstuel *n. 9.* & patet ex *Tit. 27. suprà.*

8 3. Ex sententia Abb. *in c. 2. h. tit. not. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 241.* Engl ℣. *pœna h. tit.* Reiffenstuel *ibid. n. 10.* & aliorum, contrahunt Irregularitatem, quod Ordinem suscipiant ligati Censurâ: cujus suæ doctrinæ fundamentum accipiunt ex *c. veniens 1. h. tit.* ubi statuitur, quòd ita ordinatus furtivè nequeat etiam dispensativè ad altiores Ordines promoveri: quod est præcipuus effectus Irregularitatis, teste Covar. *in Clem. si furiosus pr. n. 1.*

9 Ego cum Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 1.* Bonacin. *D. 7. de Irreg. q. 3. p. 4. n. 6.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 2. fin.* Wiestner *hic n. 4.* Irregularitatem incurri credo tunc solùm, quando susceptio furtiva prohibita ab Episcopo antecedenter fuit sub Excommunicatione, non verò, si alio modo; nam Jura *citt.* solùm dicunt, quòd ita ordinatus ministrare nequeat in susceptis, quo modo loquendi Suspensionem significari observat Pirhing *n. 3.* & ex eo Wiestner *n. 5. fin.* Quòd verò durante hac Suspensione, per furtivam susceptionem Ordinum incursa, non possit ascendi ad Superiorem Ordinem, non Irregularitatis, sed Suspensionis etiam effectus est, cùm omnis Censura talem ascensum prohibeat Censurato.

Quæritur 5. quænam causa furtivè promotum excuset à suspensione hactenus declarata? ℟. ab ea excusat ignorantia, quæ excusat à peccato mortali; cùm enim Suspensio hæc imponatur tanquam pœna, necessariò supponit culpam, & quidem gravem, cùm gravis pœna sit. Suar. *de Censur. D. 31. sect. 1. n. 59.* Zoes. *hic n. 4.* Pirhing *ibid. n. 4.* 10

Ob eandem rationem non incurrit Suspensionem istam per vim, aut metum gravem furtivè ordinatus; quia metus gravis, & justus excusat à culpa. Suar. *n. 60.* Zoes. *n. 5.* Pirhing *l. cit.* modò metus iste incussus non fuerit in contemptum prohibitionis ab Ecclesia factæ. *Conf.* à pari; nam ut *Tit. 27. n. 11.* dixi, propter metum mortis, aut gravis infamiæ potest aliquis Censurâ ligatus, secluso scandalo, & contemptu Religionis, se immiscere Divinis. ergo propter eundem etiam poterit furtivè suscipere Ordinem sine periculo Suspensionis propterea incurrendæ. 11

Quæritur 6. quis possit relaxare pœnas, ob furtivam Ordinum susceptionem incursas? ℟. distinguendo: Vel enim talis susceptio antecedenter prohibita fuit sub Excommunicatione, vel non? *Si hoc posterius*, cum sic ordinato dispensare potest Episcopus *c. veniens 1. & 6. seq. h. tit.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 17. n. 4.* Vivian. *in c. 1. pr. h. tit.* Wagnereck *ibid. not. 2.* Barbos. *n. 1.* Valsens. *hic n. 2.* Pirhing *n. 5. & 7. ℣. additur.* König *n. 2.* Reiffenst. *n. 12.* 12

Si prius, interest, an sic ordinatus intret Religionem, an verò maneat in sæculo. *Si primum*, & ibidem aliquamdiu laudabiliter vivat, cum eodem, ut in susceptis ministrare, & ad superiores promoveri valeat, dispensare iterum potest Episcopus, vel etiam Abbas ipsius, juxta *c. citt.* *Si secundum*, dispensatio soli Papæ competit, ex *textibus allegatis*, nisi delictum esset occultum; hoc enim casu dispensare posset Episcopus ex concessione *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* Palao *n. 4. cit.* Barbos. *n. 1. & 2.* Vallens. *n. 2.* Engl ℣. *competit.* Pirhing *n. 2. & 5. not. 5.* König *n. 2.* Reiffenstuel *n. 13.* 13

TITU-

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3 *Quomodo Episcopi, & his Superiores delinquant in inferiores sibi subjectos?*
4. *Quomodo Prælati inferiores?*
5. *Quomodo subditi in suos Prælatos?*
6. *De unione Ecclesiarum, ædificatione Monasteriorum &c. remissivè.*

HUcusque egimus generaliter de Delictis Clericorum: nunc specialiter agendum de quibusdam, quæ Prælati committunt in Subditos, & illi in suos Prælatos.

Quæritur 1. quomodo Episcopi, & his superiores delinquant in inferiores sibi subditos? R. hoc variis modis fieri posse. Et 1. quidem, si eos gravent indebitis oneribus, & exactionibus novis, vel si vexent Censuris, & aliis pœnis indebitè inflictis, aut viliter, & inhonestè tractent, ut aliis, etiam Laicis, sint despicatui *c. pervenit 1. h. tit.* 2. si eorum Jura, immunitates & Jurisdictionem, privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta ipsis competentem, diminuant, aut tollant, vel Ecclesias ipsis subjectas iisdem eripiant *c. adhèc 2. eod.* 3. si Ecclesias, vel Beneficia, quorum ordinatio, vel collatio ad eos spectat, sibi retineant, vel sibi ipsis conferant *c. ad aures 3. eod.* 4. si beneficia conferant indignis *c. inter dilectos 11. eod.* de qua materia vide *Libr. 1. Tit. 6 n. 19. cum duob. seqq.* & *Tit. 14. à n. 36.* 5. si directè, vel indirectè causam præstent homicidio; eo enim commisso, fiunt Irregulares, ita, ut privari debeant Officio Pontificali & Sacerdotali, & ab Episcopatûs administratione amoveri *c. ex literis 10. h. tit.* 6 si Sacerdotes sibi subjectos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confessione Sacramentali *c. dilectus 13. eod.*

2 7. Si sub dictis suis privilegiatis aliquid præcipiant, aut interdicant contra tenorem Privilegiorum Apostolicorum *c. sanè 5. h. tit.* ubi etiam conceditur, quòd hujusmodi indebito Episcopi mandato gravati Prælati Regulares authoritate Apostolica obedientiam denegare possint; item *c. cùm ad quorundam 7. eod.* ubi declaratur, Excommunicationem latam contra subditum, quia non paret contra privilegium, esse ipso Jure nullam; & denique *c. nimis 16. & 17. junct. Clem. un. eod.* ubi plures excessus, & gravamina Monasteriis, & Regularibus, præsertim FF. Prædicatoribus, & Minoribus illata, summatim referuntur. Ratio decisionis est, quia etiam Episcopi aliique Prælati, seu Superiores tenentur libertates, seu immunitates inferioribus Ecclesiis, vel Clericis Sæcularibus, aut Regularibus à Papa concessas, conservare, cùm inferior tollere legem Superioris nequeat *c. cùm inferior 16. de major. & obed.*

3 Fatendum tamen, quòd in nonnullis casibus Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, non obstantibus Regularium privilegiis possint procedere contra illos vi *Concilii Trid.* per quod, uti etiam per aliquot Constitutiones Pontificias quædam illorum privilegia fuerunt revocata: quænam autem illa sint, dictum est *Libr. 1. Tit. 31. de Offi. Judic. Ordin. n. 30.*

4 Quæritur 2. quibus modis excedant Prælati Episcopis inferiores? duplex hoc *Tit.* maximè eorum excessus refertur, quibus ex iis, quæ dicta sunt *Libr. 3. Tit. 35. à n. 38.* accedit tertius, specialis Prælatorum Regularium. 1. cùm Ecclesias sibi subjectas uniunt, authoritate propria *c. sicut unire 8. h. tit.* de qua Unione, quomodo, & à quo, quáque ex causa fieri possit, dictum *Libr. 3. Tit. 5. à n. 150.* 2. cùm sibi vendicant concessionem Indulgentiarum, publicarum Pœnitentiarum impositionem, & cognitionem causarum Matrimonialium, si hoc faciant, seclusò privilegio, & consuetudine legitimè præscripta *c. accedentibus 12. h. tit.* 3. cùm Prælati Regulares contra formam, à Jure, & Constitutionibus Pontificiis præscriptam, ædificant Monasteria: de qua materia vide *Libr. 3. Tit. 36. à n. 28.*

5 Quæritur 3. quotmodis subditi peccent in suos Prælatos? R. 1. quando Festivitates ab Episcopo indictas, aut Censuras, & Interdicta ab iisdem promulgata non observant; nam in his etiam Regulares Exempti parere debent Episcopo *c. fin. h. tit.* Trid. *sess. 25. c. 12. de Regular.* & dictum est *Libr. 1. Tit. 31. n. 30. V. quintò tenentur cum seqq.* 2. si contra fidem Episcopo datam eundem negent esse dominum suum, illúmque trahant ad Judicium Sæculare, aut invadant; id enim agens deponendus, seu Officio, & Beneficio privandus est *c. gravem 15.* 3. quando Beneficiati sibi in Beneficio mutant causam possidendi, sicut fieret, si

Vi-

Vicarius sibi arrogaret personam, & titulum Rectoris principalis: quod faciens tanquam perjurus, & infamis ab Officii sui executione est amovendus *c. illud 6.* 4. quando plures Clerici sine consensu Prælati sibi faciunt, & usurpant commune sigillum, aliáque Collegiorum jura *c. dilecta 14.* quia licèt sint ejusdem Ecclesiæ Beneficiati, non tamen constituunt unum Corpus, sive Collegium, vel Capitulum, nisi ita ordinatum sit in prima fundatione, vel postea privilegio, aut præscriptione obtentum. 5. quando violantur Clausuræ Monialium, & Monasteriorum per ingressum, vel egressum sine licentia: de quo vide *Libr. 3. Tit. 35. de Stat. Monachor. à n. 98.*

Disputant hìc aliqui de Unione Ecclesiarum, & Beneficiorum, de Monasteriorum ædificatione, de Religiosorum, & Monalium è Monasteriis suis egressu, & aliorum in ea ingressu. Sed de primo, ut *n. 4.* monui, jam dictum est *Libr. 3. Tit. 5. à n. 150.* de Secundo *Libr. eod. Tit. 36. à n. 28.* de tertio, & quarto *Libr. cit. Tit. 35. à n. 98.* Unde opus non est de his plura disserere. 6

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Nuntiatio Novi operis?*
2. &c. *Quis nuntiare illud possit?*
8. &c. *Cui?*
12. *Quo tempore?*
13. *Quo loco?*
14. *Ex quibus causis?*
15. &c. *Quot modis fieri nuntiatio possit?*
19. &c. *Requisita, ut ritè fiat.*
22. &c. *Effectus nuntiationis rite factæ.*
29. &c. *Quibus casibus vim non habeat?*
36. &c. *An quilibet in fundo suo ædificare valeat, quidquid, & quo modo ipsi placuerit?*

DElinquere aliquando tam Prælati, quàm subditi solent Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, aut domos ædificando in damnum, vel præjudicium vicinarum vel aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum &c. quod facientibus occurritur per *Novi operis nuntiationem.*

1 Quæritur 1. quid sit *novi Operis, Nuntiatio?* R. est legitima prohibitio, ne Ecclesia, Monasterium, vel aliud novum opus extruatur aut extructum, fenestrâ alicubi apertâ, novâ malè impositâ &c. immutetur, vel in cœpta constructione, aut mutatione pergatur, donec constiterit de ædificantis jure, aut præstita sit eo nomine satisdatio *l. hoc Edicto 1. §. opus novum 11. ff. h. tit.* Host. *Summ. hic n. 1.* Wesenbec. *ff. eod. n. 6.* Zoes. *ff. ibid. n. 2.* Gonzal. *in c. 4. hic n. 3.* Piching *n. 1.* Wiestner *n. 1.* De hac agitur etiam in Jure Civil *ff. & Codic.* cujus Leges Papa quoad hoc observari vult etiam in Ecclesiis, aliísque piis locis, post novi operis nuntiationem ædificatis *c. intelleximus 1. h. tit.* ubi inter alia dicitur, quòd, *sicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari ita & SS. Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.* Ex quo desumitur illud axioma Juris receptum, quòd Jus Canonicum, & Civile sibi invicem succurrant, & quæ in uno desiderantur, ex altero suppleri possint, ac debeant, Engl *hic n. 2.*

2 Quæritur 2. quis nuntiare novum opus possit? R. distinguendo; nam nuntiari novum opus potest vel circa res publicas, vel circa privatas. *Circa res publicas*, & quando ædificium fit in præjudicium boni publici, nuntiare novum opus possunt omnes de populo *l. in provinciali 3. §. fin.* & *l. seq. ff. h. tit.* quo casu si multi nuntient idem opus novum, Judex ex iis seligit magis idoneum, ut causam hanc prosequatur, ut notat Gloss. *in §. fin. cit.* & habetur *l. si plures 2. ff. de popular. act.* Non admittitur tamen 1. Pupillus, nisi simul suâ interfit *l. de pupillo 5. pr. ff. h. tit.* & *l. mulieri 6. ff. de popul. act.* 2. Mulier *l. mulieri cit.* juxta quam mulier universim à populari actione excluditur, nisi cùm ad eam res pertinet. 3. infamis; quia, ut *l. popularis 4. ff. de popul. act.* dicitur, *Popularis actio integra personæ permittitur, hoc est, cui per edictum postulare licet.*

3 *Circa res privatas*, & ad commodum privatum nuntiare novum opus potest 1. is, ad quem pertinet res illa, cui damnum imminet *l. hoc edicto 1. §. Juris nostri 19. ff. h. tit.* vel qui prætendit, eam ad se pertinere, esto, verè ad ipsum non pertineat *l. hoc edicto cit. pr.* nuntiatio enim per ipsum facta non minùs impedit, ne opus fiat, donec pronuntietur, nuntiantem ad hoc nullum jus habere, acsi verè

rè res illa ad ipsum pertineret. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 706. n. 23.* ubi tamen addit, casu, quo nuntians scit, se verè jus nullum habere ad impediendum opus, cùm tali casu nuntiatio operis sit materialiter, & formaliter injusta, nuntiantem teneri ad omnia damna, etiam lucri cessantis, ex ea nuntiatione secuta. Non autem interest, an nuntians sit, vel prætendat dominium proprietatis in re, an verò dominium duntaxat utile; nam etiam, nuntiare potest, qui utile tantùm dominium habet, ut Feudatarius, Emphytevta, quin & Superficiarius *l. in provinciali 3. §. si ego 3. ff. h. tit.* imò etiam Creditor, cui prædium nomine Hypothecæ subjectum est *l. creditori 9. ff. eod.* Molin. *n. 24. & 26.* cum aliis.

4 2. Nuntiare novum opus potest habens servitutem realem in fundo, in quo de novo ædificatur §. *si ego cit. l. de pupillo 5. §. sed & si 8.* & §. *seq. ff. eod.* saltem Urbanam; imò & Rusticam *l. non solùm 8. pr. ff. tit. cit.* cùm utriusque juri ædificando noceatur. Host. *Summ. hic n. 5.* Molin. *l. cit. n. 24.* Zœs. *hic n. 6.* Pirhing *n. 5.* Secus est de eo, qui merum Usumfructum, aut aliam servitutem merè personalem habet in tali re; nam iste nuntiare non potest novum opus adversùs dominum ejusdem prædii, si aliquid ædificare attentet, in quo præjudicet Usufructui, neque nomine proprio, neque procuratorio alicujus alterius: sed solùm potest agere actione confessoria adversùs eum ad vindicandum Usumfructum, & simul ad interesse quod ei nocumentum secutum est in suo Usufructu ex tali ædificio *l. si autem 2.* junct. *l. hoc edicto 1. §. fin. ff. h. tit.* Molin. *n. 25.* Pirhing *n. 5.* König *n. 3.*

1 3. Nuntiare potest validè novum opus ad suum privatum commodum Pupillus, etiam sine authoritate Tutoris, quando non est in possessione rei, ob quam nuntiat; quia id in suum commodum cedere potest, & in nullum ejus detrimentum. Si autem sit in possessione rei, ob quam nuntiat, validè quidem nuntiat per Judicem, aut jactu lapilli; quia id similiter cedere potest in ejus commodum, & in nullum ipsius incommodum: valent autem, quæ agit Minor in suum commodum sine Tutoris authoritate. Solis autem verbis tunc nuntiare sine authoritate sui Tutoris nequit; quia eo ipso amitteret possessionem, prout dicetur *infrà n. 18.* ac proinde talis nuntiatio cederet in ipsius detrimentum *l. de pupillo 5. pr. ff. h. tit.* Molin. *n. 28.*

6 4. Nuntiare potest filius, mancipium, mercenarius, negotiorum gestor, qui negotiis ejus, cujus nomine nuntiatur, sit expositus; item Procurator, & amicus, non tamen proprio nomine, sed alieno illius, qui authoritate sua propria posset *l. hoc edicto 1. §. item nuntiationem 3. ff. h. tit.* modò caveant de rato, h. e. eum, cujus nomine nuntiant, ratam eam nuntiationem habiturum *l. de pupillo 5. §. qui procuratorio 18. ff. eod.* *Excipitur*, si Procurator haberet speciale mandatum ab eo, cujus nomine nuntiat; tunc enim non esset necesse, ut de rato caveat, cùm hoc ipso constet ratum id habere illum, cujus nomine nuntiat. In cæteris relatis nullum mandatum requiritur; nam si mandatum haberent, personam Procuratoris induerent: sufficiet ergo, si de rato caveant. Molin. *n. 29.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 6.*

7 5. Denique nuntiari opus novum potest à quovis, cujus interest, ne hujusmodi opus novum fiat. Gonzal. *in c. 4. cit. n. 6.* Vallens. *hic n. 3.* König *n. 3.* Reiffenstuel *n. 8.* arg. *l. hoc edicto cit. §. nuntiatio 16.* Neque necesse est, ut is, qui ita nuntiat propter suum interesse, habeat mandatum ab alio, vel adhibeat authoritatem Judicis, juxta *l. cit. §. nuntiatio 2.* ibi, *Nuntiatio ex hoc edicto non habet necessariam Prætoris additionem; potest enim nuntiare quis, etsi eum non adierit.* Reiffenstuel. *n. 8.*

8 Quæritur 3. cui nuntiari novum opus possit? R. potest nuntiari cuivis, seu contra quemcunque, etiam proprium Superiorem suum, in præjudicium alterius novum opus molientem facere *l. non solùm 8. pr. ff. h. tit.* ibi, *Non solùm proximo vicino, sed etiam Superiori opus facienti nuntiare opus novum potero:* idque vel mediatè, vel immediatè; adeóque non solùm ipsi domino, opus novum inchoanti, sed etiam isto absente, & ignorante, in loco novi operis præsentibus v. g. fabris, opificibus, servis, vel aliis quibuscunque tandem, etiam mulieribus, qui domino referre valent nuntiationem factam, nuntiatio fieri potest, dummodo in, vel prope locum novi operis fiat, ut per hoc dominus rescire possit, per textum expressum *l. de pupillo 5. §. nuntiari 3. ff. h. tit.*

9 *Neque refert 1.* quis sit iste, qui in re præsenti fuerit, & cui nuntiatum est, ut §. *nuntiari cit.* dicitur; quia nuntiatio fit in rem, sive rei, non personæ *l. operis 10. ff. eod.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 2.* Engl *hic n. 2. ℣. hæc nuntiatio.* Pirhing *n. 6.* Reiffenstuel *n. 13.* adeò, ut etiam fieri possit infanti, & furioso, rationis usum non habentibus; nam contra istos vim habet, etsi non adsit Tutor, vel Curator illorum: modò tamen facta sit in præsentia fabri aut alterius intelligentis, qui operi insistant, agentes rem ita carentium usu rationis;

alioquin contra carentes usu rationis vim non habebit. Molin. *D. 706. n. 19.*

20 *Non refert 2.* quale sit ædificium, an profanum, an verò pium, aut sacrum v. g. Ecclesia: item in quo loco id fiat, an in publico, vel privato, sacro, aut religioso, an profano &c. nam etiam contra ædificantem Ecclesiam, aut molientem opus in via publica nuntiatio fieri potest *c. cùm ex injuncto 2. h. tit.* & *l. hoc edicto 1. §. hoc autem 1. ff. eod.* ibi, *in loco sacro, religiosóve, & - - in flumine publico, ripáve publica.* Et hinc *c. intelleximus 1. h. tit.* conceditur novi operis nuntiatio contra ædificantem Capellam in præjudicium Parochialis Ecclesiæ: imò contra ædificantes quamcunque Ecclesiam in præjudicium alterius; *quia*, ut *ibi* dicitur *nulla Ecclesia in præjudicium est alterius construenda.* Intellige, nisi id fiat ex justa causa per Episcopum cognita, & approbata, eóque permittente, v. g. ob numerositatem populi, amplitudinem Parochiæ &c. Vivian. *in c. intellexímus cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1.* Fagnan. *in c. cùm ex injuncto cit. n. 1.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 2.* Pirhing *hic n. 3.* König *n. 8.* Reiffenstuel *n. 15. & seqq.*

21 *Non refert 3.* utrùm Jure, vel injuriâ, seu injustè nuntiatio fiat; nam locum nuntiatio habet etiam contra eum, qui jus ædificandi habet, quando istud non est notorium. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 706. n. 1. & 2.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 7.* Barbos. *in c. 1. n. 1. & in c. 3. n. 2.* Engl *hic n. 3.* Pirhing *n. 8.* Reiffenstuel *n. 19.* Sumitur ex *c. intellexímus cit.* Ratio datur *l. Prætor ait. 20. §. interdictum 1. ff. h. tit.* ibi: *Qui igitur facit, etsi jus faciendi habuit, tamen contra Interdictum Prætoris facere videtur, & ideo hoc destruere cogitur. Conf. 1.* quia is, cui facta est nuntiatio operis, potest se tueri viâ juris adeundo Judicem, & petendo ab eo remissionem operis: si ergo istud non fecerit, sed processerit viâ facti, ac perrexerit ædificare, contemnere videtur authoritatem Prætoris, & ideo, etiamsi jus ædificandi habuerit, meritò opus postea factum demoliri cogitur. *Conf. 2.* quia si post novi operis nuntiationem licitum esset ædificanti excipere, se jus ædificandi habere, idque probare paratum esse, denuntians verò hoc negaret, orirentur rixæ, & facilè deveniretur ad arma.

22 Quæritur 4. quo tempore, quo loco, & ex quibus causis fieri novi operis nuntiatio possit? *R.* potest fieri quavis die *l. hoc edicto 1. §. item nuntiatio 4. ff. h. tit.* adeóque etiam tempore sacro, & feriato. Gloss. *in §. cit. v. omnibus diebus.* Molin. *tr. 2. D. 706. n. 18.* Pirhing *hic n. 7. Resp. 2.* Reiffenstuel *ibid. n. 12.* Ratio est, quia extra jus, sive Judicium fieri potest: & quamvis interdum adeatur Prætor, seu Judex, non tamen proceditur per causæ cognitionem, Judice sedente pro Tribunali, sed de plano tantùm. Zoes. *ff. h. tit. n. 22.*

Locum quod attinet, necesse est, ut 13
nuntiatio fiat, vel prope locum, ubi fit, vel intenditur novum opus *l. de pupillo 5. §. nuntiationem 2. ff. tit.* ibi, *Nuntiationem autem in re præsenti faciendam meminisse oportebit, i. e. eo loci, ubi opus fiat, sive quis ædificet, sive inchoet ædificare.* Molin. *n. 20.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Pirhing *n. 6.* Reiffenstuel *n. 12.*

Causæ, ex quibus novi operis 14
nuntiatio fieri potest, tres enumerantur; potest enim fieri vel ad conservandum jus nostrum, quod novo opere violari cernimus; vel ad avertendum præjudicium, aut damnum, quod nuntians ex eo opere sibi oriturum timet; vel ad tuendum Jus publicum, textu expresso *l. hoc statuto 1. §. nuntiatio 16. ff. h. tit.* ibi *Nuntiatio fit aut juris nostri conservandi causâ, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratiâ.* Molin. *n. 15.* Reiffenstuel *n. 17.*

Quæritur 5. quot modis novi ope- 15
ris nuntiatio fieri soleat? *R.* fieri solet tribus modis, prout habetur *l. de pupillo 5. §. meminisse 10. ff. h. tit.* 1. solo verbo extra judicium adversario id molienti denuntiando, ne quid novi operis moliatur, aut cœptum prosequatur. Neque ad hoc requiritur certa verborum forma, sed sufficiunt quævis verba, intentionem prohibentis, seu nuntiantis satis exprimentia. Reiffenstuel *hic n. 11.*

2. Per Magistratum, sive Judicem, 16
petendo ab isto, ut novum opus fieri prohibeat. Si Judex sit absens, isque, qui coram eo vult novum opus nuntiare, protestetur, quòd coram ipso velit id nuntiare, postea aut Judex adveniat, aut ipse nuntians, cùm primùm nactus opportunitatem fuerit, ad illum accedat, & coram eo id nuntiet, perinde reputabitur, acsi in puncto protestationis coram Judice id nuntiâsset, ad effectum, ut nuntiatus destruere teneatur, quod à protestatione usque ad nuntiationem coram Judice factam ædificavit. Molin. *tr. 2. D. 706. n. 17.* & habetur *l. de pupillo cit. §. siquis ipsi 7.*

3. Per appositionem manûs, sive 17
lapidum, aut materiæ ad ædificandum paratæ dispersionem: imò per jactum unius lapidis in locum, ubi opus fit, aut per lapidis ex opere cœpto amotionem *l. de pupillo cit. §. meminisse 10.* intervenientibus tamen verbis, aut nutu, vel alio signo æquivalente, & prohibitionem significante; non enim omnis, qui lapillum projicit, intendit novum opus nuntiare. Host. *Summ. n. 8.*

n. 8. h. tit. Sylv. *V. Nuntiatio novi operis q. 4.* Molin. *D. 706. cit. n. 15.* Zœſ. *ff. h. tit. n. 12.* Perez *Cod. eod. n. 11.* Gonzal. *in c. 4. hic n. 4.* Pirh. *n. 7.* König *n. 5.* Wieſtner *n. 4.* Reiffenſtuel *n. 9.* imò aliqui putant, projectionem lapilli, ut vim nuntiationis habeat, ter fieri debere.

18 Porro circa iſtos tres nuntiandi modos duo inſuper notanda ſunt. 1. quocunque modo fiat nuntiatio, conſultum eſt, ut coram teſtibus fiat, pro faciliori probatione, quòd facta ſit. Molin. *l. cit. n. 15. pr.* 2. etſi quilibet ex his nuntiandi modis ſufficiens ſit, tamen caſu, quo quis in noſtrò ædificare, aut novum opus inchoare vult, melius eſt per lapilli jactum, vel per Prætorem, quàm per ſimplicem verbalem nuntiationem opus prohibere; quia hanc in tali caſu qui facit, amittit poſſeſſionem, & eam acquirit adverſarius §. *meminiſſe cit.* Sylv. *q. 4. cit.* Molin. *n. 16.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 3.* Vallenſ. *n. 3.* Pirhing *n. 7.* König *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 10.* Ratio eſt, quia qui ſolo verbo opus novum nuntiat, videtur meticuloſus, & relinquere poſſeſſionem alteri. König *n. 5.*

19 Quæritur 6. quid requiratur, ut novi operis nuntiatio locum habeat? R. tria requiruntur. 1. ut ſit nuntiatio operis ſolo conjuncti, vel conjungendi, ut in eo permaneat; nam ſiquis meſſem colligat, arbores ſuccidat, vineam putet, etiamſi opus faciat, contra eum tamen novi operis nuntiatio non habet locum *l. hoc edicto 1. §. hoc autem 12. ff. h. t.* Gloſſ. *ibid. V. in ſolo.* Molin. *D. 706. cit. n. 8.* Zœſ. *ad eand. Rubr. ff. n. 3.* Perez. *Cod. eod. n. 2.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 2. & ad c. 4. not. 3.* Gonzal. *ibid. n. 3.* Pirhing *n. 2.* König *n. 4.* Wieſtner *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 5.*

20 2. Ut ſit nuntiatio operis novi. *Novum* autem *opus facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo priſtinam faciem operis mutat*, ut dicitur, *l. hoc edicto cit. §. opus novum 11.* Et hinc ſiquis vetus ædificium fulciat, vel reficiat, non habet locum hæc nuntiatio; quia *non opus novum facit, ſed veteri ſuſtinendo remedium adhibet*, ut habetur *l. cit. §. ſiquis ædificium 13.* modò in reficiendo priſtina forma ædificii ſervetur, & reficiens nihil addat, vel detrahat ædificio antiquo. Molin. *n. 10.* Gonzal. *in c. 4. cit. n. 5.* Wagnereck *ad Rubr. n. 1.* Vallenſ. *hic n. 1.* Pirhing *n. 2.*

21 3. Ut ſit nuntiatio operis novi inchoati, & nondum perfecti; quia *hoc edictum*, ut *l. cit. §. hoc autem 1.* dicitur, *adversùs futura opera inductum eſt, non adversùs præterita h. e. adversùs ea, quæ nondum facta ſunt, ne fiant.* Duar. *in c. 3. h. tit.* Molin. *n. 3.* Zœſ. *ff. h. tit. n. 4.* Perez *Cod. eod. n. 2.* Barboſ. *in c. 3. cit. n. 4.* Vallenſ. *hic n. 1. fin.* Pirhing *n. 2.* Wieſtner *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 3.* Ratio eſt, quia edictum de novi operis nuntiatione prohibitorium eſt, quæ autem jam facta, & perfecta ſunt, prohiberi nequeunt: & hinc adversùs opus jam factum, & perfectum recurrendum eſt ad Interdictum *Quod vi, aut clàm*, ut quod illicitè factum eſt, reſtituatur §. *hoc autem cit.* Præterea neceſſe eſt, ut opus, quod nuntiatur, defacto ſit inchoatum, ita, ut is, cui nuntiatur, actu proceſſerit ad actum aliquem præparatorium operis; nam ſi animo ſolùm deſtinavit opus facere, opus novum ipſi nuntiari non poteſt. König *n. 4.*

Quæritur 7. quem effectum habeat 22
novi operis nuntiatio? R. facit, ut is, qui ſtruere illud incepit, ab eo debeat deſiſtere, donec re examinata de ædificationis jure conſtet *l. non ſolùm 8. §. ſciendum 4. ff. h. tit.* Hoſt. *Summ. h. tit. n. 12.* Zœſ. *ff. eod. n. 13.* Perez. *Cod. eod. n. 13.* Gonzal. *in c. 4. hic n. 7.* Vallenſ. *n. 4.* Engl *n. 3.* König *n. 7.* Reiffenſtuel *n. 18.*

Si ſecus fecerit, & poſt nuntiatio- 23
nem pergat, quidquid poſtea ædificatum eſt, expenſis ipſius ædificantis demoliendum eſt, ante omnem cognitionem Judicialem, an jus habeat, vel non, ita quidem, ut non ſit audiendus ædificans, quantumvis cautionem præſtare voluerit de eo, quod poſt nuntiationem ædificatum eſt, demoliendo, ubi probatum fuerit, contra nuntiantis jus ædificatum eſſe *l. hoc edicto 1. & l. Prætor 20. §. interdictum 1. ff. h. tit.* Molin. *tr. 2. D. 706. n. 1. & 2.* Fagnan. *in c. cùm ex injuncto 2. h. tit. n. 2.* Barboſ. *ibid. n. 1.* Gonzal. *in c. 4. eod. n. 1.* Vallenſ. *hic n. 4.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 8.* König *n. 7.* Wieſtner *n. 6.* Reiffenſtuel *n. 18. 20. & 21.*

Habétque hæc Juris Imperialis di- 24
ſpoſitio locum etiam in foro Eccleſiaſtico, & quoad Eccleſias, aliáque ædificia pia, aut religioſa, in præjudicium alterius poſt nuntiationem conſtructa, prout notant Fagn. *l. cit. n. 1.* Barboſ. *in c. 1. n. 1.* Vivian. *ibid. pr.* Wagnereck *ad Rubr. n. 2.* König *n. 8.* Reiffenſtuel *n. 18.* & patet ex *c. 2. & c. fin. h. tit.* idque meritò; quia nuntiatio iſta habetur inſtar Appellationis extrajudicialis, quâ pendente nihil eſt attentandum, & attentata omnia revocanda. Gonzal. *l. cit. n. 7.* König *n. 7.* Wieſtner *n. 6.* Reiffenſt. *n. 20.*

Imò opus à vicino in eo, quod 25
poſſidemus, factum propria authoritate deſtrui poteſt, dummodo id non ex intervallo, ſed in continenti fiat; quia in continenti vis vi repelli videtur: quod Jure permiſſum patet ex *l. ſed ſi 27. ff. de ſervit.*

vit. urban. præd. & l. quod est 3. §. eum igitur 9. ff. de vi armat. Zœs. *ff. h. tit. n. 16.* Pirhing *n. 24.* Wiestner *n. 6. fin.* Reiffenstuel *n. 23.*

26 Dixi, *in eo, quod possidemus*; nam siquis in suo novum opus in tuum præjudicium faciat, non poteris propria authoritate statim illud in continenti violenter impedire, aut destruere, sed debet priùs adhibere novi operis nuntiationem *arg. l. de pupillo 5. §. meminisse 10. ff. h. tit.* ibi, *Si in suo quid faciat, quòd nobis noceat, tunc operis novi nuntiatio erit necessaria.* Ratio est, quia in suo ædificans ante nuntiationem vim alteri inferre non censetur *l. altiùs 8. C. de Servit. conf.* non intrat illud Juris axioma *vim vi &c. n. præc.* allegatum Reiffenst. *n. 24. & 28.*

27 Post nuntiationem autem, si ædificans pergat ædificare in præjudicium alterius, quamvis in fundo suo, potest nuntians in continenti talem propria authoritate, etiam vi adhibita, impedire, & ædificatum post nuntiationem in continenti destruere *arg. tot. tit. ff. quod vi, aut clàm.* Ratio est, quia ita ædificare pergens post nuntiationem injustam vim infert nuntianti, ac vi ædificare censetur, prout patet ex *l. prætor 1. §. sed & si 6. & §. seq.* item *l. vi facit 20. §. prohibitus 1. ff. quod vi, aut clàm.* Reiffenstuel *n. 24. & 28.*

28 Neque refert, quòd ædificans post nuntiationem ad tempus cessaverit, sicque paruerit nuntiationi, si deinde iterum incipiat; quia hujusmodi cessatio ab ædificio, ad tempus duntaxat facta, non relevat, quo minùs adhuc dicatur vi ædificâsse, qui tale ædificium sine permissione nuntiantis rursus assumit, prout expressè iterum decisum est *l. prætor 1. §. item Labeo 9. ff. quòd vi, aut clàm.* ibi: *si quem facientem probibuero, isque destiterit in præsentiarum, rursùsque postea facere cœperit, vi eum videri feciſſe, nisi permissu meo facere cœperit, vel qua alia justa causa accedente.*

29 Quæritur 8 quibus casibus novi operis nuntiatio vim hactenus declaratam non habeat? R. 1. quando jus ædificandi notorium est, & nuntiatio notoriè injusta; cùm enim nuntiatio tali casu remittatur *l. prætor 20. pr. ff. h. tit.* meritò etiam contemnitur; quia frustra Juris certi liquidatio exspectatur. Abb. *in c. 1. h. t. n. 10.* Molin. *tr. 2. D. 706. n. 2.* Gaill. *l. 1. obs. 16. n. 4.* Zœs. *ff. h. tit. n. 15.* Perez *Cod. eod. n. 15.* Wagnereck *in c. 1. V. sive jure not. 2.* Barb. *in c. 2. n. 2.* Gonzal. *in c. 4. n. 8.* Pirhing *hic n. 24.* König *n. 4.* Wiestner *n. 7.* Reiffenstuel *n. 29.* contra *Fachineum*, qui *l. 8. contr. c. 44.* contrarium sustinet ex Regula, quòd privatis concedendum non sit, quod Magistratûs publica authoritate fieri potest *l. factum 170. ff. de R. J.* Sed videtur adhuc retinenda prior sententia; nam authoritas Magistratûs hic necessaria non videtur, cùm Jus supponatur liquidum esse. *Neque obstant* textus *c. intelleximus 1. & concordantes h. tit.* ubi habetur, quòd ad nuntiationem novi operis alter ab opere cessare debeat, sive Jure, sive injuriâ aliquid construatur, conf. sive justa, sive injusta sit denuntiatio; quia textus isti intelligi solùm debent de ea, quæ vel dubia est, vel injusta apparet: non verò de illa, quam injustam esse manifestum, atque notorium est, cùm Leges manifestas injurias nequaquam foveant *arg. l. placuit 8. C. de Judic.* Molin. *D. 706. n. 2. fin.* Pirhing *n. 24.* Reiffenstuel *n. 30.*

2. Si nuntians re adhuc integra, 30
sive antequam aliquid ædificatum sit, moriatur *l. non solùm 8. §. morte 6. ff. h. tit.* Gloss. *in c. 2. V. remissionem h. tit.* Contrà non extinguitur nuntiatio morte ejus, cui opus nuntiatum est *l. non solùm cit. §. fin.* Ratio diversitatis est, quia ut advertit Gloss. *in l. cit. V. etiam heredis*, junct. *Gloss. marg. lit. H.* nuntiatio ex parte personæ nuntiantis est personalis, adeóque ad hæredes istius non transit, nisi quis suo, & hæredum nomine nuntiaverit: ex parte verò personæ nuntiatæ est realis; quia fit in rem *l. operis 10. ff. h. tit.* conf. ad successorem transit in id, quod ad ipsum pervenit, vel si dolo ipsius factum est, quò minùs veniret *l. prætor 20. §. planè 8. ff. eod.* Idque verum est non tantùm de Successore universali, sed etiam de particulari; nam etiam in Emptorem nuntiatio transit *l. fin. ff. eod. Ex quo sequitur*, si opus novum denuntiatum fuerit anteceſſori ædificantis, & successor id ratum habuit, vel post denuntiationem factam prosecutus est opus ab anteceſſore inchoatum, sciens nuntiationem esse factam, id, quod post nuntiationem constructum est, destruendum sumptibus Successoris. Gloss. *in c. 2. V. expensis h. tit.* junct. Gloss. *marg. lit. G.* Contrà si opus ab anteceſſore cœptum non prosequatur, vel ignoret, nuntiationem esse factam; hic enim solùm tenetur ad præstandam patientiam destruendi opus, non autem ad pœnam impensarum, ut suis sumptibus destruat. Molin. *D. 706. n. 19.* Fagnan. *in c. cùm ex injuncto 2. h. tit. n. 3. & seqq.* Pirhing *hic n. 9.*

3. Si nuntians ædificanti nuntiatio- 31
nem remittat *c. cùm ex injuncto 2. h. tit.* ibi, *Ante remissionem ædificaverit. l. non solùm 8. §. sciendum 4. ff. eod. l. un. pr. ff. de remission.* Item si nuntians novum opus cautionem ab ædificante sibi oblatam acceptet de opere destruendo, ubi injustè cœptum esse constiterit *c. significantibus 3. h. tit.*

h. tit. & *l. prætor 20. §. deinde 9. ff. h. tit.* quia favori, pro se principaliter introducto renuntiare quilibet potest. Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 4.* Pirhing *n. 15.* Reiffenstuel *n. 6.* & *n. 33.* Non tamen talem cautionem nuntiator accipere cogitur *c. significantibus cit.* & *c. fin. h. tit.* quia ubi semel ædificatum est, durior causa redditur, ac postea difficiliùs ad demolitionem devenitur. meliùs autem est intacta jura servare, quàm post causam vulneratam remedium quærere *l. fin. C. ex quib. caus. restit.* Vivian. *in c. 3. h. tit. prop. fin.* Gonzal. *in c. 4. eod. n. 8.* Pirhing *n. 16.* Engl *n. 3.* König *n. 9.* Reiffenstuel *n. 6.* *Neque obstat*, quòd *l. prætor 20. cit.* §. *& si 14.* & alibi dicatur, quòd præstita cautione de demoliendo, vel oblatâ, & non receptâ, possit quis licitè ædificare; nam, ut Gloss. *in c. fin. V. non obstante h. tit.* notat, id intelligendum est de casu, quo nuntians intra trimestre non probaverit prohibendi jus sibi competiisse: quem casum excipiam *infrà n. 33.*

32 4. Si nuntians ad instantiam ædificantis jurare nolit de calumnia, sive quòd existimet, se justam causam habere prohibendi operis incepti perfectionem *l. de pupillo 5.* §. *qui opus 14. ff. h. tit.* quia malitiosè nuntiâsse præsumitur, & ideo nuntiatio ædificanti remittitur, & pro non facta habetur. Host. *Summ. hic n. 11. fin.* Molin. *D. 706. n. 32.* Pirhing *n. 22.* Wiestner *n. 8.* Reiffenstuel *n. 34.*

33 5. Si idem nuntians intra trimestre non probaverit prohibendi jus sibi competiisse *c. significantibus 3.* & *c. fin. h. tit. l. un. C. eod.* nam hoc casu ædificans, præstita, vel oblata cautione de demoliendo cœptum opus prosequi permittitur, ne inanibus nuntiationibus ædificia nimis longo tempore prohibeantur Gloss. *in c. fin. cit. V. non obstante*, Abb. *ibid. not. 1.* Gonzal. *n. 8.* Barbos. *n. 4.* Wagnereck *ad Rubr. n. 4.* Zoes. *ff. h. tit. n. 17.* Vallens. *hic n. 4. ỹ. ne tamen.* Engl *n. 4.* Pirhing *n. 16.* & *seqq.* König *n. 9.* Wiestner *n. 9.* Reiffenstuel *n. 35.*

34 6. Si periculum sit in mora, & dilatio ædificii cessura esset in grave damnum volentis ædificare *l. de pupillo cit.* §. *præterea 12.* quia ubi periculum est in mora, recedere licet à Regulis Juris communis, & prohibitiva istius dispositio remittitur: debet tamen hoc casu nuntiatus præstare cautionem de destruendo, si jure ædificatum non fuerit, & eam debet acceptare nuntians. Abb. *in c. 2. h. tit. n. 9.* Molin. *D. 706. n. 11.* Barbos. *in c. fin. hic n. 2.* Pirhing *n. 23.* König *n. 9.* Wiestner *n. 10.* Reiffenstuel *n. 32.*

35 7. Si Judex nuntiationem, quam fieri jussit, iterum revocavit *l. si opus 16. ff. h. tit.* sicut etiam, quando ab alio factam, considerata æquitate naturali, pro arbitrio suo ante elapsum tempus remittit, ut si ex inspectione oculari, vel aliunde saltem summariter apparet de injuria nuntiationis vel de periculo damni ex dilatione oriturî. Barbos. *in c. fin. h. tit. n. 2.* Engl *n. 5.* Pirhing *n. 24.* Reiffenstuel *n. 36.* dummodo Judex interea petat, ut ædificans præstet cautionem de opere destruendo, quando injustè ædificatum constiterit. Reiffenstuel *l. cit.* Imò hac cautione omnino opus non est, quando Judex causâ cognitâ pronuntiavit, nuntiatum habere jus ad ita ædificandum, ac proinde nuntiationem fuisse nullam. Molin. *n. 1.*

36 Quæritur 9. an quilibet in fundo suo ædificare valeat, quidquid, & quomodo ipsi placuerit? R. regulariter loquendo id fieri posse, adeò, ut non possit quis propterea à vicino prohiberi, licèt ex tali ædificio vicinus quandam incommoditatem sentiat, quia v. g. domus ejus per hoc fit obscurior, vel quia liberior ex ea prospectus adimitur. Barbos. *in c. fin. h. tit. n. 6.* Engl *hic n. 6.* Reiffenstuel *n. 37.* Desumitur ex *l. altiùs 8. C. de Servit.* ibi: *Altiùs quidem ædificia tollere, si domus servitutem non debeat, dominus ejus minimè prohibetur* (adde cum Summario ibidem) *etiam usque ad cœlum*; nam ut DD. loquuntur, si domus est mea, tunc mea est usque ad cœlum, & infernum.

37 Dixi *Regulariter*; nam 1. excipitur, si vicinus habeat in domo ædificantis servitutem urbanam ex pacto, testamento, vel præscriptione acquisitam, ut sunt servitus altiùs non tollendi, non officiendi luminibus, vel prospectûi. Engl *n. 6. cit. except. 1.* Reiffenstuel *n. 38.* qui tamen rectè addit, per hoc, quòd quis longo tempore non ædificârit, non hoc ipso acquisitam censeri vicino servitutem altiùs non tollendi &c. quia ædificare in suo est actus meræ facultatis, contra quem præscriptio non inducitur.

38 2. Si ex novo ædificio vicini ædibus immineat periculum damni, vel ruinæ, rectè tunc ædificanti nuntiatur novum opus, ut cautionem damni infecti præstet *arg. l. hoc edicto 1.* §. *nuntiatio 16. ff. h. tit.* junct. *tot. tit. ff. de damn. infect.* Porro *damnum infectum* dicitur damnum, quod nondum factum est, sed futurum timetur *l. damnum 2. ff. de damn. infect.* Et hinc præstare cautionem de damno infecto idem est, ac se obligare ad compensandum omne damnum, siquid ex ædificio novo alteri obventurum est. Engl *except. 2.* Reiffenst. *n. 39.*

39 3. Rectè nuntiatur novum opus, si quis tantùm ad vicini æmulationem ipsius ædes obscurare, aut novas fenestras con-

contra domum, vel hortum ejus aperire velit; *neque* enim *malitiis indulgendum est*, ut dicitur *l. in fundo 38. ff. d. R. V.* præsertim si id agatur, ut nocumentum vicino fiat, vel eidem creentur molestiæ. Menoch. *de arbitr. cas. 156. & l. 6. præsumpt. 29. n. 28.* Engl *Except. 3.* Reiffenstuel *n. 40.* Præsumitur autem novum opus ad æmulationem vicini facere, si talis structura ipsi ædificandi nullam afferat utilitatem. Barbos. *in c. fin. h. tit.* cum *citt.*

40 4. Quandoque prohibetur quis novum opus facere favore Religionis, ac boni publici; nam etsi cuilibet per se liceat altius tollere ædificium suum *l. altius cit.* tamen Jure prohibitum est privatum ædificium ita altè attollere, ut ex eo videri possint Religiosi, aut Religiosæ personæ intra proprias domus religiosè habitantes: quæ ratio etiam probat, ex domo privata versùs Monasterium non posse aperiri fenestram, ut hujusmodi prospectus detur, quòd favor Religionis eo casu prohibeat, ne privatus Jure suo utatur. Reiffenstuel *n. 41.* cum *citt.* post *Cynum*, *Salicetum*, *Covarruviam &c.* Videantur etiam Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 34.* Sperell. *Decis. 58.* Donat. *prax. Reg. tom. 1. p. 1. tr. 2. q. 22.*

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

AD delicta etiam pertinet abusi Privilegiis sibi datis: cùm verò Delicti species non satis percipi possit, nisi sciatur, quid Juris sit de Privilegiis, idcirco hic etiam agitur de ipsis Privilegiis.

§. 1.

De Natura Privilegii.

SUMMARIUM.

1. *Privilegii diversa acceptio.*
2. *Hujus Definitio.*
3. *Definitionis explicatio.*
4. *Differentia Privilegii à Lege.*
5. *Dispensatione.*
6. *A Gratia, vel Beneficio Principis.*
7. *A Rescripto.*
8. &c. *An per Privilegium debeat concedi aliquid speciale?*
12. &c. *An ad valorem illius requiratur scriptura?*
16. &c. *Et justa causa?*
20. &c. *Quid requiratur, ut valeat, & effectum habeat Privilegium derogatorium Juris communis, vel tertii?*
33. &c. *An, & quomodo Promulgatio, seu notitia Privilegii ad Privilegium requiratur?*
29. &c. *Quando concessio Privilegii effectum habeat?*

1 QUæritur 1. quid sit *Privilegium*? ℣. *Privilegii* nomen dupliciter accipi potest; nam interdum accipitur pro Rescripto, seu Instrumento, in quo gratia, beneficium, seu indulgentia Principis continetur, ut *in c. cùm dilectæ 4. de Conf. util. & inut. & in c. ex parte 13. h. tit.* Verùm de eo sic accepto agitur in *Libr. 1. Decret. Tit. 3.* Frequentiùs, & prout ad locum præsentem pertinet, sumitur pro ipso jure, beneficio, seu gratia concessa à Principe. Suar *l. 8. de LL. c. 1. n. 1.* Pirhing *hic n. 1.* In hoc secundo sensu acceptum.

2 *Privilegium* definitur, quòd sit *Lex privata, speciale aliquod beneficium, aut favorem contra, vel præter Jus concedens.* Ita S. Anton. *p. 1. tit. 19. c. 1.* Suar. *c. 1. cit. n. 3.* Palao *p. 1. tr. 3. D. 4. p. 1. n. 1.* Engl *hic n. 1.* Pirhing *n. 2.* König *n. 3.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 3.* cum Summistis *V. Privilegium*, & DD. *ad hanc Rubricam.* Sensus est, quòd Privilegium sit favor, seu gratia, quâ à legitimo Superiore uni, vel pluribus personis particularibus, aut etiam Collegio, Universitati, vel ejus parti, aut loco, v. g. Ecclesiæ, Oppido, Castro cum aliqua duratione, & stabilitate conceditur facultas aliquid præter, vel contra Legem, seu Jus commune agendi, aut omittendi. Wiest. *l. cit.*

Dicitur 1. *Lex*, scilicet per Analo- 3
giam aliquam, & impropriè; quia dum durat, aliis necessitatem imponit, ne privilegiato usum ejus impediant. 2. additur, *Lex privata*; quia privatum aliquod beneficium privilegiato concedit, & regulariter pertinet ad personam privatam, vel si Communitati conceditur, hæc consideratur tanquam pars Communitatis superio-

rioris, quæ obligatur communi Lege. 3. dicitur, *ſpeciale aliquod beneficium, aut favorem concedens*, ut excludantur à ratione Privilegii Leges Pœnales, quæ licèt in defenſionem aliquarum perſonarum, vel Immunitatis Eccleſiaſticæ latæ ſint, Privilegii tamen naturam non obtinent; quia non per ſe concedunt beneficium, licèt iſtud ex impoſitione pœnæ, & delinquentis punitione aliquo modo reſultet.

4 Quæritur 2. qua ratione Privilegium differat à Lege, Diſpenſatione, Gratia, ſeu beneficio Principis, & ab hujus Reſcripto? ℟. 1. à *Lege* differt 1. quia privilegium immediatè ſpectat bonum perſonæ, aut loci, Collegii, ſeu Univerſitatis privatæ; Lex immediatè intendit bonum totius Reip. 2. Lex ſemper adſtringit ad ſui obſervationem eos, in quos fertur; non ita obligat ad ſui uſum Privilegium illos, quibus collatum eſt, cùm *invito beneficium non detur* juxta *Reg. invito 69. ff.* 3. per Legem conſtituitur Jus; per Privilegium privilegiatus eximitur à Jure. Vaſq. *D. 115. c. 1. n. 2. & 3.* Laym. *in c. 1. de Conſtit. n. 5.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 1. n. 5.* Wieſtner *hic n. 2.* Reiffenſtuel *n. 4.*

5 ℟. 2. *à Diſpenſatione* differt 1. quia Diſpenſatio ſemper eſt adverſa Legi, in qua diſpenſat; Privilegium verò, etſi aliquando ſit contra Legem, aliquando tamen etiam eſt præter Legem. 2. Diſpenſatio, ferè ſine durationè, aut notabili ſtabilitate conceditur; Privilegium contrà datur cum ſtabilitate aliqua, ad modum Legis. 3. Diſpenſatio plerumque ad unum duntaxat actum e. g. ad Matrimonium contrahendum, ad Ordinem ſuſcipiendum &c. datur; Privilegium autem ad actus plures. Suar. *l. 8. de LL. c. 2. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. 5.* Wieſtner *hic n. 3.*

6 ℟. 3. à *Gratia*, vel *Beneficio Principis* differt; quia reſpectu hujus ſe habet ut inferius ad ſuperius, & ut ſpecies ad genus: nam omne Privilegium gratiam, & beneficium Principis in ſe continet, & ex hujus favore deſcendit; non tamen omnis gratia, favor, aut beneficium Principis viciſſim eſt Privilegium. Ratio eſt, quia de ratione Privilegii, ut paulò antea monui, eſt, ut ad omnem actum generis privilegiati immunitatatem concedat illi, cui datum eſt Privilegium, quaſi Legis permiſſionem obtinuiſſet, at Beneficia, Gratiæ &c. etiam ad unum ſolummodo, ut *n. præc.* de Diſpenſatione dictum eſt, ſe poſſunt extendere: ſic abſolutio ab Excommunicatione incurſa eſt gratia, & beneficium, non tamen Privilegii rationem habet, cùm per ſe nullum jus, vel facultatem tribuat. Suar. *in c. 2. cit. n. 11.* Palao *p. 1. n. 5.* Wieſtn. *n. 4.*

℟. 4. à *Reſcripto* denique differt 7 1. quia Reſcriptum propriè dictum eſt Reſponſum Principis ſcriptum; Privilegium autem, ut *infrà n. 68.* dicetur, conceditur etiam viva voce. 2. Reſcriptum præcipuè tendit ad deciſionem Juris dubii; Privilegium autem à Jure communi eximit. 3. Reſcriptum, etſi ſubinde gratiam conferat, & conſ. appelletur *Reſcriptum Gratiæ*, ſæpe tamen etiam eſt *Reſcriptum Juſtitiæ*; Privilegium verò tantùm eſt gratia reſpectu illius, cui ipſum confertur.

Quæritur 3. an Privilegii nomine 8 venire poſſit, quo nihil ſpeciale conceditur, ſed id tantùm, quod Jure communi conceſſum jam antè fuerat? Rationem dubitandi facit duplex maximè textus, ubi tanquam Privilegia conceduntur, quæ aliàs jam à Jure communi conceſſa erant. Et 1. quidem *c. quia in cauſis 7. de Procurat.* ubi Univerſitati Pariſienſi datur facultas conſtituendi Procuratorem: quod tamen per Jus commune conceſſum eſt cuivis Communitati, prout conſtat ex *c. cit.* & *c. un. de Syndic.* 2. *c. etſi Chriſtus 26. ℣. fin. de Jurejur.* Religioſis facultas datur præſtandi Juramentum ſuppletorium in cauſis propriis, ſi alia legitima probatio deſit: quæ facultas tamen ipſis competit per Jus non ſolùm humanum, ſed etiam naturale.

Sed dicendum, eſſe de ratione 9 Privilegii, ut concedat aliquid ſpeciale, quod Jure communi conceſſum non erat. Ita Felin. *in c. 1. de Reſcript. n. 4.* Abb. *ibid. n. 11.* Navarr. *conſ. 5. de ſtat. Monach. n. 5.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 23. q. 3.* Salas *D. 17. ſect. 1. n. 4.* Suar. *l. 8. de LL. c. 1. n. 4.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 1. n. 2.* Pirhing *hic n. 2.* Wieſtner *ibid. n. 2.* Reiffenſtuel *n. 5.* Sumitur ex *c. Abbate 25. de V. S.* ubi circa finem dicitur, *Cùm privilegium ſit lex privata &c.* non eſſet autem privata Lex, niſi aliquid ſpeciale indulgeret. Et clariùs ex *can. fin. §. ſi ergo. ℣. neque enim cauſ. 25. q. 1.* ibi, *neque enim privilegia aliquibus concederentur, ſi præter generalem Legem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur.* Concordat *l. nemo 1. C. de Theſaur.* ubi *ſuperſluum* dicitur *hoc precibus poſtulare, quod jam Lege permiſſum eſt.* Ratio eſt, quia aliàs privilegium planè inutile foret.

Neque obſtant textus in contrarium 10 allegati; nam ut eosdem explicant Suar. *l. cit. n. 7.* Gonzal. *in c. etſi Chriſtus cit. n. 2.* König *n. 18.* ijs textibus ſpeciale aliquid conceſſum fuit: licèt enim utrumque, quod ibi conceditur, aliàs Jure communi liceat omnibus, Francis tamen non licebat per Leges proprias experiri in Judicio ſine Reſcripto Principis; & Religioſis S. Benedicti per propriam Regulam prohibitum fuit jurare,

rare. Igitur dum Universitati Parisiensi concessum fuit, ut constituere possent Procuratorem in Judicio, & Religiosis, ut possent deponere Juramentum suppletorium, concessum utrisque fuit aliquid, quod ipsis aliàs fuit Jure prohibitum. Si quæ aliæ concessiones reperiantur, quibus speciale nihil conceditur, verè, & propriè privilegia, non sunt, quo nomine solum veniunt *Concessiva*; sed impropriè solùm, & declarativa Juris communis: vocantur tamen Privilegia, quia dantur ad majorem securitatem, tollendámque dubitationem, & scrupulos, quod ipsum favorem specialem, & Principis beneficium continet.

11 *Dubitatur*, an, quando dubium est, an Privilegium sit concessivum, an verò declarativum tantùm, id intelligendum sit de concessivo, an solùm de declarativo? *n.* intelligendum de Concessivo. Ita Abb. *in c. 1. de Rescript.* Felin. *eod.* Azor *q. 3. cit.* Salas *n. 4.* Suar. *n. 9.* Hinc 1. si Episcopo concedatur facultas, & privilegium, ut testari possit, intelligi illud debet non de bonis Patrimonialibus, de quibus Jure communi testari potest, sed de Ecclesiasticis, quæ acquisivit ratione Ecclesiæ, cui præest. Palao *l. cit. n. 3.* & apud hunc *Azor*, *Salas &c.* 2. si detur privilegium, ut procedatur in causa, appellatione remota, intelligitur de justa appellatione; nam si injusta sit appellatio, eâ semotâ, procedere quilibet Judex potest. Palao *l. cit.* & apud hunc Rodric. *tom. 1. Regul. q. 18. art. 3.* 3. si facultas creandi novam Dignitatem in Ecclesia data Episcopo sit, censetur ita data, ut ad hoc faciendum non indigeat consensu Capituli; nam cum hujus consensu sine privilegio potest. 4. Si Princeps concedat alicui jus inquirendi, & animadvertendi in aliquos homines, intelligitur de his, in quos inquirere, & animadvertere sine privilegio non potuisset. 5. si concedatur alicui Judici potestas cognoscendi de certis delictis, de quibus cognoscere aliàs potuit, intelligitur, quòd in his etiam possit procedere, licèt fama publica non præcesserit. 6. si Pontifex mandatum dedit de conferendo Beneficio in certa Ecclesia, id protenditur usque ad Canonicatum, si in ea Ecclesia non sint alia Beneficia. Idem dicendum de aliis casibus. Et ratio horum omnium est; quia aliàs Privilegium nihil speciale concederet, & verba gratiam continentia cæteris paribus continent tantum, quantum possunt.

12 Quæritur 4. utrum ad valorem Privilegii requiratur scriptura? Affirmat non obscurè *Glossa*, dum illud accenset iis, quæ in scriptis redigi debent *c. Romana 1. V. in scriptis de Censib. in 6.* & *Rationem dubitandi* facit 1. *can. contra morem 8. dist. 100.* ibi, *aut ex scriptis Privilegiis se tueri.* 2. *Reg. 25. Cancell.* ubi dicitur: Ne judicetur juxta formam supplicationum signatarum super quibusdam impetrationibus, & concessionibus, subscripto verbo *Placet*, vel *Fiat*; quia Gratia Apostolica informis censetur, & imperfecta, sed informis, & imperfecta non est ex alio defectu, quàm quòd nondum scripto sit consignata. 3. *Reg. 53.* aliàs apud Rebuffum *56.* ubi cavetur, Dispensationem (idem multo magis procedere debet de Privilegio) non prodesse impetranti, nisi Litteris super ea re confectis. 4. Gregorius XIII. in *Reg. 50. Cancell.* sic disponit: *Nulla talis Dispensatio cuiquam in Judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea Litteræ Apostolicæ fint confectæ.* 5. quia Officiales Pontificis possunt expeditionem Litterarum impedire. ergo signum est, gratiam nondum esse plenè consummatam ante earum expeditionem.

13 Sed his non obstantibus, omnino tenendum, ad Privilegii substantiam, & valorem regulariter non exigi Scripturam Ita Sylv. *V. Privilegium n. 14.* Suar. *l. 8. de LL. c. 2. n. 2.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 509. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23 n. 15.* Engl *hic n. 6.* Wiestner *n. 8.* Reiffenstuel *n. 28.* & unanimis cœterorum. Patet in eo, quod per Consuetudinem, vel Præscriptionem inducitur; hoc enim Scripturam habere non potest. De reliquis Privilegiis concessis à Principe sumitur ex *can. institutionis 7. caus. 25. q. 2. Clem. 2. §. nos etenim de Sepult.* ibi, *Universa privilegia - - - verbo, seu scripto - - - concessa*: item *Extrav. 5. post pr. int. comm. de Pœnit. & Remiss.* ibi, *Tam verbo, quàm in scriptis, confectis inde Litteris, vel non &c.* Ratio est manifesta. 1. quia totus valor Privilegii pendet ex voluntate concedentis. hanc autem iste manifestare non minùs verbo, quàm scripto potest. 2. nemo potest arctari Lege lata à Principe contra Principis voluntatem. ergo si Princeps vult aliquem non arctare, sive verbo, sive scripto, sive alio modo id exprimat, is, quem arctare non vult, hoc ipso erit solutus à Lege. 3. Privilegium est quædam donatio, donatio autem perfecta est, etiamsi Litteræ non expediantur, ergo &c.

14 Dixi autem *Regulariter*; nam excipi 1. debent Collationes, Confirmationes, Uniones Beneficiorum, à Sede Apostolica factæ, quæ irritæ sunt, si illorum possessio apprehendatur ante Litteras expeditas, adeò, ut Beneficiatus, tanquam intrusus, & violentus possessor, fructus non faciat suos, & privetur ipsis Beneficiis obtentis. *Extrav. injunctæ 1. int. comm.*

comm. de Elect. junct. *Conſt. Pauli III.* incipit *Cùm nobis*, & *Julii II.* incipit *Romani Pontificis.* Azor *p. 1. l. 5. c. 2. q. 5.* Haun. *tr. proœm. n. 178.* Wieſtner *hic n. 10.* 2. Facultas non reſidendi in Beneficiis Curatis; nam hæc, ut valeat, ab Ordinario dari in ſcriptis debet, ex Decreto *Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de Reform.* 3. Facultas ingrediendi Monaſterium Monialium, ubi iterum opus eſt licentiâ Epiſcopi, vel Superioris in ſcriptis obtenta, ex Decreto ejusdem Concil. *ſeſſ. 25. c. 5. de Regul.* 4. deſignatio Judicum Delegatorum à Papa; hi enim Judicium validè inchoare non poſſunt, antequam Litteræ, Jurisdictionem concedentes, expediantur, per *Reg. 24. Cancellar.* 5. ſecundùm aliquos non valet gratia facta alicui, ut aliquid operetur, quod aliàs facere non poterat, quousque expediantur Litteræ. Dixi *ſecundùm aliquos*; nam Palao *tr. 3 D. 4. p. 2. n. 8.* putat, probabiliùs hoc caſu ſcripturam ad valorem non requiri. Addidi, *ut aliquid operetur*; nam gratia, quæ conſiſtit in facto ſolùm, & non in Jure ad agendum, e. g. Irregularitatis Diſpenſatio, aut inhabilitatis remiſſio, valida eſt etiam ſine Litteris.

15 Neque contrarium probant textus, & Ratio *n. 12.* allegata in contrarium. *Ad 1.* in eo textu ſcriptura ſolùm requiritur ad probationem, non verò ad uſum licitum privilegii, ut patet ex verbo *tueri.* *Ad 2.* dum *Reg. 25. Cancell.* dicit, gratiam, à Pont. ſine ſcripto conceſſam, eſſe informem, & imperfectam, intelligendum eſt tantùm in ordine ad Judicium, ut ex illa judicetur, non autem in foro conſcientiæ, ubi valida eſt, & jus impetranti dat; nam gratia quoad ſubſtantiam perfecta eſt per ſolam ſignaturam. *Ad 3. & 4.* eadem eſt explicatio. *Neque obſtat*, quòd in *Reg. 50.* addantur verba, *In Judicio, vel extra*; quia hoc intelligi poteſt, quòd ex tali Signatura, nondum expeditis Litteris, Epiſcopus v. g. vel Parochus procedere nequeat etiam extrajudicialiter: ex quo non ſequitur, quòd is, qui tali privilegio utitur, non etiam tutus ſit in conſcientia. *Ad 5.* ex eo, quòd Officiales poſſint impedire expeditionem Litterarum, ſolùm ſequitur, gratiam ſine ſcripto non eſſe perfectam in ordine ad probationem; nam gratiæ tales Apoſtolicæ per Litteras probari debent, ut in Judicio externo ſuffragentur: quod diſcrimen eſt inter ipſas, & inter eas, quæ ab aliis inferioribus Prælatis datæ ſunt; nam iſtæ, ſi per teſtes ſufficienter probentur, etiam ſine ſcriptura in foro externo ſuffragari poſſunt, cùm nullo Jure oppoſitum cautum ſit. Palao *p. 3. §. 1, n. 2.*

16 Quæritur 5. utrum ad valorem Privilegii requiratur juſta cauſa? *Rationem dubitandi* facit paritas cum Indulgentiis, quæ absque cauſa invalidè conceduntur, ex doctrina S. Thom. *in ſupplem. q. 25. art. 2.* S. Bonav. *in 4. diſt. 20. p. 2. art. 1. q. 6.* & aliorum TT. ferè omnium, teſte P. Wieſtner *hic n. 12.* Sed revera non eſt paritas; nam Papa Indulgentias concedit, non tanquam dominus, ſed tanquam diſpenſator meritorum Chriſti, qui non cenſetur conſentire in iſtius diſpenſationem, niſi ſalubriter h. e. ex rationabili cauſa facta ſit. *Extrav. Unigenitus 2. int. comm. de Pœn. & Remiſſ.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 5. n. 2.* Gobat. *tr. de Indulg. n. 86.* Wieſtner *n. 12. cit.*

Hinc dicendum, conceſſionem Privilegii, etiam ſine cauſa factam, validam eſſe, modò nil aliud obſtet. Ita Suar. *l. 8. de LL. c. 21. n. 4.* Palao *n. 2. cit.* Pirhing *hic n. 12.* König *n. 20.* Wieſtner *n. 12.* Reiffenſt. *n. 36.* & alii communiter. *Ratio eſt*, quia Lex unicè à voluntate Legislatoris pendet. Igitur ſicut tolli etiam ſine cauſa poteſt reſpectu omnium, ita ab ejus obligatione certa perſona, & locus eximi. *Conf.* conceſſio privilegii eſt quædam ſpecies donationis. atqui donatio, etiam ſine cauſa, & prodigè facta, valet. ergo &c. 17

Dixi 1. *valere Privilegia*; nam, ut licitè conferantur, ſemper requiritur juſta cauſa. Suar. *l. cit. n. 2.* Palao *n. 1.* Pirhing *n. 12.* Wieſtner *n. 11.* Reiffenſtuel *n. 35.* Ratio eſt; quia Privilegium ita conceſſum vel eſt contra Jus, vel præter Jus conceſſum. *Si primum*, repugnat Juſtitiæ Diſtributivæ, imò & Legali, quæ exigunt, ut à communi obligatione ſine cauſa nemo eximatur. *Si ſecundum*, conceſſo talis ſapit prodigalitatem, acceptionem perſonarum, & introducit improportionem inter membra Communitatis, ſicque aliis non privilegiatis dat occaſionem invidiæ, & perturbationis. 18

Dixi 2. *modò nil aliud obſtet.* Requiritur enim, ut Privilegium ſit de tali materia, ut uſus illis, ſaltem ſuppoſito Privilegio, licitus ſit, & reſpectu aliorum vel nullum, vel moderatum gravamen contineat. Hinc 1. non valet Privilegium, datum contra Jus Naturale, vel Divinum *can. lege 1. diſt. 10.* quidquid enim bonis moribus adverſatur, invalidum eſt, etſi pactum juratum acceſſerit *l. non dubium 5. C. de LL.* 2. etiam non valet datum in magnum Reip. damnum, vel contra manifeſtam ejus utilitatem *l. jubemus 16. C. de SS. Eccl.* quia poteſtas dandi Privilegia Principi data eſt, non in deſtructionem, ſed in conſervationem Reip. Et hinc Pontifex non ſolet concedere privilegia adversùs ſe, quatenus imminuunt ejus dignitatem, utpote quam non poteſt dividere, vel diminuere: neque illa, quæ ſunt Eccleſiaſticæ gubernationi contraria; quia 19

foret abusus suæ potestatis, & prodigalitas, quæ in Pontifice non præsumitur. 3. etiam non valent data in grave damnum tertii, nisi bonum, quod ex privilegio dato speratur eliciendum, multò sit melius; semper enim bonorum Reip. & privatorum etiam debet curam habere Princeps.

20 *Dubitatur*, quid requiratur, ut valeat, & effectum habeat Privilegium derogatorium Juris communis, vel tertii? ℣. aliter discurrendum de Privilegio, quod derogat Juri communi, & aliter de eo, quod derogat juri tertii, vel consuetudini, aut Statuto speciali. *Si privilegium sit contrarium Juri tertii, vel statuto, & consuetudini speciali*, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria hujus Juris, consuetudinis, vel statuti, etiam tum, quando Princeps illud concedit motu proprio. Suar. *l. 8. de LL. c. 14. n. 8.* & *c. 22. n. 14.* Sà *V. Gratia n. 14.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 10. n. 4.* & sumitur ex *c. licèt 1. de Const. in 6.* Ratio est, quia Princeps nunquam præsumitur specialibus Juribus derogare, nisi illorum mentionem faciat, eò quòd præsumatur illa ignorare.

21 At *si Privilegium Juri communi deroget*, etsi probabile quidem sit, etiam ibi requiri clausulam derogatoriam Juris communis, cui opponitur, probabiliùs tamen sufficit ipsa concessio Privilegii, sine adjecta tali clausula. Gloss. *in c. licèt cit. ℣. noscatur.* Felin. *in c. nonnulli de Rescript. Regul. 2. fallent. 2. n. 11.* Bald. *in l. item lapidi ff. de rer. divis. n. 8.* Suar. *6. 14. cit. n. 4. & 5.* Palao *p. 10. cit. n. 9.* Ratio est; quia Princeps non præsumitur ignorare Jus commune, sed potiùs illud scire *c. licèt cit.* ergo dum Privilegium concedit, quod derogat Juri communi, præsumitur per privilegium velle eidem derogare; aliàs nihil omninò concederet, & efficerer actionem inutilem. *Conf.* ex *c. in his 30. b. tit.* ubi privilegium datum FF. Prædicatoribus, & Minoribus, ut celebrare possint in Altari portatili, vim habet absque clausula derogatoria Juris communis, cui privilegium istud opponitur. *Procedit* hoc etiam de privilegio concesso adversùs aliud privilegium insertum Corpori Juris communis, ob similem rationem; hoc ipso enim, quòd Juri communi insertum sit, præsumitur non ignorari à Principe, cons. dum privilegium adversùs illud concedit, velle illi derogare.

22 Bene tamen huic doctrinæ limitationem addit Palao *l. cit. n. 10. dummodo Jus commune non resistat:* nam si Jus commune resistit derogando, vel revocando hujusmodi privilegia, debet privilegio tali, ut effectum habeat, addi clausula derogatoria Juris communis; aliàs nullius valoris erit: & ratio est; quia Lex sic fortificata derogat omni privilegio, non munito clausulâ illius Legis derogatoriâ. igitur nisi efficacia clausulæ sic fortificantis tollatur per aliam ejus derogatoriam, privilegium, adversùs Jus commune datum, habere effectum nequit. *Conf.* quia si privilegium absque clausula derogatoria valeret derogare Legi sic fortificatæ, nullius utilitatis esset ista roboratio; eodem enim modo derogaretur Legi sic roboratæ, quo modo, si roborata non fuisset. *Neque obstat*, quòd Princeps præsumatur non ignorare illam resistentiam Juris communis; nam esto, præsumatur non ignorare, quia tamen verbis communibus sine clausula derogatoria concedit privilegium, præsumi simul potest, nolle derogare Legi sic roboratæ, sed tantùm satisfacere importunitati petentium.

23 Quæritur 6. an, & quomodo promulgatio, seu notitia Privilegii ad Privilegium requiratur? *Et 1. quidem dubitatur*, an requiratur notitia Privilegii respectu ipsius privilegiati? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *l. consensisse 2. §. convenire 1. ff. de Judic.* ubi ignorans, sibi prorogatam esse Jurisdictionem, illam defacto habet. Sed prorogatio est quoddam privilegium. ergo &c. 2. Privilegium æquiparatur Legato. Sed Legatum relictum à testatore acquiritur Legatario etiam ignoranti statim à morte ipsius testatoris *l. cùm pater 77. §. surdo & muto 3. ff. de Legat. 1.* ergo & privilegium.

24 *Sed dicendum*, etsi Princeps supremus privilegium possit concedere, quin privilegiatus de hoc notitiam habeat, nisi tamen hoc exprimat, nunquam illum ita censeri concedere, sed concessionem habere imbibitam conditionem, *si privilegiarius concessionem sibi factam acceptet*; & sic ante notitiam, & acceptationem Privilegii communiter non valet Privilegium, eò quòd conditio, sub qua confertur, nondum sit impleta. Palao *tr. 3. D. 4. p. 3. §. 2. n. 2. & 3.* cum aliis. Et quidem quòd Princeps de plenitudine potestatis alicui privilegium etiam invito, & nolenti concedere possit, res indubitata est; quæ enim est repugnantia, ut Pontifex habilitet Clericum ad Matrimonium contrahendum, si causa communis id postulet; aut quæ impossibilitas, ut dispenset cum illegitimo ad Ordines, etiam nolente dispensationem &c. Sicut enim hæc impedimenta Pontificis potestate inducta sunt, ita etiam ab illo auferri possunt, neque consensus, aut scientia subditi requiri ad istud debet.

25 Quòd verò communiter Princeps Privilegium concedens non soleat ista conferre,

ferre, nisi volenti, & acceptanti, ratio est, quia hoc expedit ad rectam gubernationem, ne Beneficia, & mercedes Principis exprobrentur, & contemnantur, néve dentur, nisi indigentibus, & petentibus. *Conf.* nam privilegium est quædam donatio, quæ absque acceptatione Donatarii non censetur habere effectum. acceptari autem non potest sine notitia. Igitur requiritur notitia privilegii accepti. Intellige, *in privilegiato directo*; nam in privilegiato indirecto, & per accidens non requiritur scientia, & acceptatio, ut rectè advertit Palao *l. cit. n. 9.* Unde casu, quo Privilegium concessum est alicui communitati pro omnibus ejus sociis e. g. lucrandi Indulgentias, absolvendi à peccatis &c. quilibet ex illa Communitate privilegio illo gaudet, etsi ignoret, se per privilegium hoc habere: & sic de cæteris similibus casibus. *Ratio est*, quia per quandam consequentiam, & necessariam illationem hoc privilegium in personis ignorantibus sequitur.

16 Neque obstant Rationes dubitandi allatæ. Ad 1. dico mirum non esse, quòd ad prorogationem Jurisdictionis non requiratur scientia specialis, & acceptatio; quia Jurisdictio prorogata est eadem cum principali: secus aliquid contingit in Privilegio de novo concesso. *Ad 2.* privilegium æquiparatur Legato in eo, quòd utrumque, scilicet tam Privilegium, quàm Testamentum, quo Legatum relictum est, servandum sit: interim quodlibet ad valorem sui diversas conditiones postulat; nam Testamentum morte Testatoris firmatur, privilegium verò acceptatione privilegiarii.

17 Dub. 2. an aliis quibusdam extra privilegiarium debeat insinuari Privilegium datum? R. distinguendum esse inter Privilegium merè favorabile, & inter privilegium, quod est odiosum. *Si Privilegium sit odiosum*, & in præjudicium Juris communis, aut alicujus tertii, opus est, ut etiam huic fiat insinuatio privilegii dati. Deciditur expressè *c. pastoralis 19. h. tit. c. cùm personæ 7. eod. in 6.* & *c. si duobus 7. de Appell.* Ratio est, quia non debet præsumi Princeps velle aliquem inscium privare jure suo, sed bonum commune, & suavis gubernatio exigit damnificatum monere, ut possit, si velit, se opponere. Neque obstat *c. quia cunctis 1. de concess. Præb. in 6.* ubi ignorante Episcopo eximitur quis ab ejus Censura; nam ut bene Suar. *l. 8. de LL. c. 25. n. 30. fin.* Palao *p. 3. §. 2. n. 8.* & alii explicant, hoc intelligendum est, quando Judex non petit ostensionem Privilegii, & sufficiens tempus lapsum est, in quo potuisset illius notitiam consequi, & per illum stetit, vel casu accidit, utnon haberet.

Si merè gratiosum sit Privilegium, uti quidem illo Privilegiarius potest, quin insinuetur aliis; sed his etiam insinuari debet, ut teneantur Privilegiarium à privilegii usu non impedire. *Ratio est*, quia respectu illorum privilegium habet vim Legis, quæ ut obliget, debet esse manifestata *can. erit autem 2. dist. 4.* Non tamen requiritur notitia per publicationem solennem, nisi Privilegium universali Lege sit constitutum; sed sufficit publicatio singularis: manifestandum tamen est ostensione publici Instrumenti, vel saltem per testes omni exceptione majores, qui de concessione facta, & litteris expedita testantur, vel saltem testentur, publicè & coram omnibus privilegiatum, nemine prohibente, hactenus usum fuisse privilegio; aliàs fidem perfectam non facient in Judicio. Palao *l. cit. n. 1.* post *Sylv. Suar. Mascard. &c.* 18

Dub. 3. quando concessio Privilegii effectum habeat? R. cum distinctione: vel enim privilegium concessum est motu proprio concedentis, vel ad instantiam privilegiati per Litteras, vel Procuratorem facta. *Si motu proprio* (idem dicendum, si ad instantiam alicujus tertii, sine mandato tamen Privilegiarii) concessum est Privilegium, regulariter effectum non habet ante acceptationem, & cons. ante notitiam sufficientem privilegii dati. *At si privilegiatus ipse per Litteras, aut Procuratorem pro eo antea supplicavit*, effectum per se habet à die concessionis illius, & expeditionis, seu à die *datæ*, ut ajunt, & non primùm à die *præsentatæ*. Ratio est, quia privilegium, ut suprà dixi, se habet instar donationis, ad quam requiritur consensus utriusque, donantis, & donatarii. atqui consensus hic mutuus non adest *in primo casu*, cùm motu proprio Princeps concedit Privilegium, nisi illud insinuetur Privilegiario, & hic illud acceptet: adest autem in *casu secundo*, cùm privilegiarius pro eo supplicavit, & Princeps concessit. ergo &c. 19

Ex quo sequitur, Privilegiarium in primo casu regulariter ante notitiam privilegii sibi dati nec validè, nec licitè illo uti. Dixi *regulariter*; nam excipitur casus, quando Princeps per se, ac motu proprio concedens Privilegium, vult illud statim habere effectum suum à die concessionis; quia hoc non excedit potestatem Principis, cùm etiam Leges, sive Constitutiones possint trahi ad præterita, vel ad pendentia negotia, dummodo nominatim in iis de præteritis caveatur *c. fin. de Constit.* Accedit, quia nonnulla privilegia à privilegiato tantùm auferunt onus aliquod, v. g. solvendi pœnam, Decimas &c. ergo non est ratio, cur ea non 20

possint habere effectum suum illico à die concessionis, dummodo ex pòstfacto acceptentur à privilegiato, sicut à pari Legatum in Testamento relictum, secutâ ex pòstfacto acceptatione, cedit, seu debetur Legatario à die mortis testatoris *l. si tibi 86. §. cùm servus 2. ff. de Legat. 1.* Reiffenstuel *hìc n. 45.*

31 Contrà *in casu secundo*, licèt privilegiatus ignoret, privilegium sibi actu concessum fuisse, si tamen juxta privilegium operetur, validè operatur: idem dic de Dispensatione: & ratio est, quia jam accepit jus plenum. Dixi, *Validè operari*: regulariter enim non licet uti privilegio ante habitam concessionis notitiam; quia aliàs exponeret se periculo faciendi actum illicitum, vel omnino nullum. *Excipe*, nisi probabile sit, concessum jam esse privilegium; tunc enim, urgente necessitate licitus esse potest privilegii usus absque certiore ejusdem notitia.

Quæres, quæ scientia, notitia, & 32
acceptatio privilegii sufficiat, ut verè privilegium tibi concessum valorem, & effectum habeat? R. sufficere, si acceptes per te, vel per tuum Nuntium, & Procuratorem, aut per Epistolam à te missam, quâ beneficium, & privilegium petis, vel ultro datum acceptas. *Salas*, *Suarez*, *Sanchez*, *Bonacina*, quos citat, & sequitur Palao §. *2. cit. n. 10.* Ratio est; quia talis acceptatio sufficit ad constituendam validam, & firmam quamlibet aliam donationem. ergo & privilegium, quod, ut dixi, est quædam donatio.

§. II.

De Privilegiorum Varietate.

SUMMARIUM.

33. *Dividitur I. Privilegium in Reale, & personale.*
34. *Differentia istorum à se invicem.*
35. *Quale privilegium sit, quod concessum est Religioni, Civitati &c.*
36. *Vel quod conceditur personæ ob aliquam illius excellentiam?*
37. *Unde colligendum, an Privilegium aliquod sit reale, vel personale?*
38. *II. Dividitur Privilegium in Gratiosum, & Remuneratorium.*
39. &c. *An Remuneratorium possit esse Reale?*
42. *III. In Purum, & Conventionale.*
43. *An detur revera aliquid Privilegium Conventionale?*
44. &c. *An Privilegium Conventionale possit etiam esse Reale?*
46. *IV. Dividitur in concessum ad preces, & in concessum motu proprio.*
47. *Quid circa ista notandum?*
48. 49. *Quando Motus proprius tollat vitium Ob- & Subreptionis?*
50. *V. Aliud dicitur Privilegium absolutè concessum, aliud sub conditione, & modo?*
51. &c. *Quando omissio operis, sub cujus onere conceditur Privilegium, irritet ejus usum?*
54. *VI. Aliud dicitur Clausum in corpore Juris communis, aliud datum per Rescriptum speciale?*
55. 56. *Differentia inter ista.*
57. *VII. Dividitur in id, quod est contra Jus, & in id, quod est præter Jus.*
58. *Differentia istorum.*
59. *VIII. In commune, & singulare.*
60. *Horum differentia.*
61. 62. *IX. In perpetuum, & temporale.*
63. 64. *X. In favorabile, & odiosum.*
65. 66. *XI. In Affirmativum, & negativum.*
67. *XII. In Privilegium pro foro conscientiæ tantùm, & in Privilegium pro foro etiam externo.*
68. *XIII. In scriptum, & non scriptum.*
69. *XIV. In concessum per se primò, & in concessum ad instar.*

PRivilegii, cujus natura hactenus explicata est, sunt variæ species; nam

33 1. Dividitur in Reale, & Personale. sumitur divisio hæc ex *c. mandata 6. de Præsumpt.* ibi, *Quas non loco tribuimus, sed personæ;* & *l. privilegia 196. ff. de R. J.* ibi, *Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ.* *Personale* dicitur, quod proximè, seu immediatè, & directè ipsi personæ confertur in favorem illius, sive ratione ipsius personæ. *Reale*, quod proximè, immediatè, & directè confertur rei à persona distinctæ. *Neque obstat*, quòd utilitas Privilegii etiam Realis ultimatè redundet in personam; nam cùm res inanimatæ utilitatis capaces non sint, necessarium hoc omnino est, ne inutile prorsus sit Privilegium Reale. Porro res, quibus Privilegium reale annecti solet, sunt duplicis generis; aliæ enim sunt *Corporeæ* ut Ecclesia, Monasterium, Castrum, fundus &c. aliæ *Incorporeæ*, ut Collegium, Universitas, vel alia Communitas, Episcopatus, Dignitas, Clericatus, Status Religiosus, Doctoratus, vel alia qualitas à persona separabilis. Et hinc Realia sunt Pri-

Privilegium Aſyliæ conceſſum Locis Sacris, Canonis, & Fori conceſſum perſonis Eccleſiaſticis, S. C. Macedoniani conceſſum filiſf. S. C. Vellejani conceſſum fœminis, Reſtitutionis in integrum conceſſum Minoribus &c. Azor *p. 1. l. 5. c. 22. q. 2.* Suar. *l. 8. de LL. c. 3. à n. 3.* Wieſtner *hic n. 17.* Reiffenſtuel *ibid. n. 15.*

34 Dub. 1. in quo Privilegium perſonale differat à Reali? ℟. differunt inter ſe Privilegia iſta, quòd Privilegium perſonale ſequatur perſonam, & cum ea extinguatur *Reg. in omnibus 68. ff.* & *Reg. privilegium 7. in 6.* Reale verò adhæreat rei, & propterea tamdiu duret, quamdiu durat res, cui annexum eſt privilegium. Porro hæc ipſa differentia cauſam dedit, ut DD. inter ipſa perſonalia, & realia Privilegia aliquam diverſitatem agnoſcerent; nam aliqua ita communicantur perſonæ ſingulari, ut cum eadem etiam extinguantur; & hæc dicunt eſſe *Privilegia ſingulariter perſonalia:* alia ita adhærent rei, ut cum re ad hæredem tranſeant; & hæc appellant *Strictè realia:* alia, quia videntur participare aliquid de Reali, & aliquid de Perſonali, vocant idcirco *mixta.* Porro inter ipſa etiam Mixta diverſitatem aliquam diſtinguunt; nam aliqua ita conceduntur perſonæ, ut fiat etiam reſpectus ad Statum, Dignitatem, Officium, munus, conditionem &c. ipſas adhærentem; & hæc appellant *Communiter perſonalia.* Alia ſunt, quæ conceduntur certo Corpori, ſive Communitati, e. g. Religioni, Univerſitati, Collegio, Monaſterio &c. & hæc quia adhærent Corpori, neque cum ſingularibus perſonis extinguuntur, *Corporalia* dicunt. Sed meo judicio non videtur neceſſe tot diſtinctiones facere; nam omnia cætera, quæ cum perſona non finiuntur, Privilegii realis nomine venire poſſunt, ſive deinde adhæreant Corpori, ſeu Communitati, ſive Statui, & conditioni, ſive, loco, aut fundo.

35 Dub. 2. quale Privilegium, Reale, an Perſonale ſit, quod conceditur Religioni, Civitati, Monaſterio, Communitati &c. ita, ut non tantùm Communitas quà talis illo uti poſſit, ſed etiam ſinguli, ut ſunt plurima Privilegia Ordinum Religioſorum, Statûs Clericalis &c. ℟. eſſe Reale; quia licèt deſcendat ad perſonas ſingulas, non tamen iis communicatur, quà tales ſunt, ſed ob qualitatem communem ſibi adhærentem, nempe quia ſunt membra talis communitatis. Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 1. n. 2.* Porro ut cognoſcatur, an Privilegium Communitati conceſſum ſit ita, ut ſinguli uti eodem poſſint, an verò ita duntaxat, ut eo uti poſſit tantùm Communitas, conſiderandum eſt, an ejusmodi Privilegium conceſſum ſit ſub nomine collectivo, & expreſſo ipſius Communitatis, e. g. Collegii, Univerſitatis &c. & huic directè, ac immediatè; an verò conceſſum ſit perſonis ſingularibus, ex quibus tale Corpus componitur. *Si primum*, cenſetur conceſſum Communitati, quatenus hæc facit unum Corpus, ita, ut non poſſint eo uti perſonæ ſingulares quà tales, ſed tunc ſolùm, quando Corpus ſuum collegialiter repræſentant. *Si ſecundum*, ſingulis ſeparatim competit, illóque uti poſſunt ſingulares perſonæ, una independenter ab altera, & ſufficit incorporatas eſſe tali Collegio, modò exerceant artem, ſtudium, profeſſionem &c. ad quam tale Collegium fuit inſtitutum. Hinc privilegiis Scholarium non gaudet Studioſus, qui non ſtudet, ut poſt *Abbatem*, advertit König *hic n. 17.* nec privilegiis Regularium, aut ſui Ordinis Religioſus factus Epiſcopus, ut docet Portel *Summ. Q. Q. Regul. V. Epiſcopus n. 4.*

36 Dub. 3. an Reale, vel Perſonale cenſendum ſit Privilegium, quod conceditur perſonæ ob aliquam illius excellentiam, e. g. ob labores in bello exantlatos, ob ingentem victoriam reportatam, ob ſingularem ſcientiam &c. ℟. cum Palao *tr. 3. D. 4. §. 1. n. 3.* diſtinguendo: Vel enim Privilegium hoc de tali materia eſt, ut ad hæredes, vel ſucceſſores transmitti poſſit, vel ob incapacitatem materiæ non poteſt. *Si ſecundum*, perſonale eſt, quantumcunque verba aliud indicent; quia verba debent rebus accommodari. *Si primum*, attendenda ſunt verba privilegii; nam ſi hæc dirigantur immediatè in rem, officium, conditionem &c. ut ſi dicatur, *Concedimus Præpoſituræ, vel Præpoſito Eccleſiæ Eyſtettenſis &c.* cenſendum eſt Reale: niſi addatur aliquid, quod ad perſonam verba generalia revocet, ut ſi adderetur verbis ſuprà relatis, *ob ejus prudentiam, ſcientiam, vel ſanctitatem ſingularem &c.* tunc enim conceſſio perſonalis cenſeri debet; quia non omnibus ejus Succeſſoribus prærogativæ iſtæ neceſſariò competunt. *Contra* pro Perſonali habendum eſt, ſi verba privilegii immediatè dirigantur in perſonam, eam exprimendo nomine proprio, vel etiam appellativo, *Concedimus tibi, ſempronì, vel tibi Præpoſito Eyſtettenſi pro tempore exiſtenti Excipitur*, niſi addantur verba, quæ perpetuitatem, & transmiſſionem privilegii ad Succeſſores denotent, ut ſi dicatur: *Tibi, & Succeſſoribus tuis &c.* Idem eſt, ſi addatur, *Tibi in perpetuum concedo hac facultatem:* nam vi hujus particulæ *in perpetuum*, ne fruſtra dicatur poni, ad Succeſſores extenditur. *Neque obſtat*, quòd etſi Contractus Societatis dicatur factus eſſe in perpetuum, tamen ultra vitam contrahentis ille non

extendatur; nam disparitas est, quia Socii non possunt hæredes obligare ad societatem *l. cùm duobus 52. §. idem respondit 9. & l. adeò 59. ff. pro socio.*

37 Dub. 4. quid si neque ex materia Privilegii, neque ex forma, seu verbis ejusdem solvi dubium potest, reputandúmne est esse reale, an personale? Exemplum sit formula, quâ diceretur, *Tibi Eystettensi Episcopo concedo facultatem dispensandi &c.* nam cùm verba hæc ad Dignitatem simul, & personam dirigantur, dubium meritò est, an ad personam ratione personæ, an verò ratione Dignitatis dirigantur. Putant nonnulli reputandum esse Privilegium personale; nam duplici Præsumptione concurrente, unâ speciali, alterâ generali, prævalet specialis. sed personalis præsumptio magis specialis est. ergo pro personali in hoc dubio standum est. Sed rectiùs distinguunt Suar. *l. 8. de LL. c. 3. n. 18. & 19.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 1. n. 6.* Donat. *Prax. Regul. tom. 1. p. 1. tr. 4. q. 3. n. 2.* Haun. *tr. proœm. n. 160.* Pirhing *hic n. 7.* Engl *n. 4.* Wiestner *n. 18.* Reiffenstuel *n. 16.* Vel enim privilegium omnino est favorabile, & continens merum beneficium Principis sine ullius onere, & præjudicio, & tunc censendum est esse reale, & extendi debet; quia beneficium concessum à Principe decet esse mansurum *Reg. decet 16. in 6.* & beneficium Principis pleniſſimè interpretari debemus *l. fin. de Constit. Princip.* Vel privilegium est odiosum, quia est contra Jus commune, vel cedit in aliorum præjudicium, & tunc in dubio censendum est personale; quia odia sunt restringenda, & qua à Jure exorbitant, non debent trahi in consequentiam. *Reg. odia 15.* & *R. quæ à Jure 28. in 6.* ac proinde strictè interpretandum est, ut potiùs temporale præjudicium inferat, quàm perpetuum. Debet tamen hoc præjudicium grave esse; aliàs in considerationem non adducitur. *Neque obstat* Regula initio Dubii allegata; quia ut bene advertit Palao *l. cit.* hoc solùm intelligitur, quando præsumptio specialis generali opponitur: secus, si in generalem transeat.

38 2. Dividitur Privilegium in merè gratiosum, & remuneratorium. *Remuneratorium* est, quod alicui conceditur in præmium meritorum vel à se, vel à parentibus, & consanguineis ejus positorum: & talia sunt pleraque Privilegia data Regularibus; quia his Summi Pont. præclara illorum merita in conversione Infidelium, defensione Fidei, administratione Sacramentorum &c. exhibita remunerari volebant. *Gratiosum* est, quod procedit ex mera liberalitate concedentis, & non ex merito, ut merito: quæ ultima verba addo; quia, ut bene advertit Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 3. n. 1.* non obstat Privilegio gratioso, etiamsi in ejus concessione respiciantur merita privilegiati, modò non respiciantur ut merita, & ita, ut dans Privilegium per hujus concessionem illa velit remunerari, & quodammodo satisfacere; Porrò facilè DD. conveniunt in hoc, quòd Privilegium merè Gratiosum possit esse Reale, vel Personale.

39 *Dubium* est, an Reale possit esse Privilegium remuneratorium? Barbos. *in l. quia tale 14. ff. solut. matr. n. 14.* putat illud semper ex natura sua esse personale: quod videtur etiam probare ratio; nam privilegium reale debet transire ad hæredes. Sed remuneratorium ad hæredes transire non potest; quia in his deficiunt merita, ob quæ conceditur privilegium. *Conf.* ex *Reg. 68. ff.* ibi, *In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat:* & *l. quod Principi 1. §. fin. ff. de Const. Princip.* ubi Ulpianus, *Quæ*, inquit, Princeps *ob merita indulsit - - - personam non egrediuntur.*

40 *Sed dicendum*, Privilegium remuneratorium in dubio quidem præsumi personale, posse tamen, & sæpe etiam esse reale. Ita Suar. *l. 8. de LL. c. 4. n. 8.* Palao *§. 3. cit. n. 2. & seqq.* Haun. *tr. proœm. n. 164.* Wiestner *hic n. 20.* Reiffenstuel *ibid. n. 17.* Et quidem quòd in dubio præsumendum sit esse personale, patet ex eo, quia merita, in quibus fundatur, personalia sunt. Quòd verò possit esse reale, sumitur ex natura remunerationis; licèt enim de ratione istius sit, ut eam præcesserint merita, non tamen requiritur, ut hæc merita privilegiatus ipse posuerit; potest enim privilegium concedi filiis ob merita parentum & successoribus ob merita antecessorum.

41 Hinc cadit *Ratio dubitandi* in contrarium allata; quia sæpe Princeps, remunerans merita per privilegium, tantùm considerat relationem, quam habet is, cui conceditur privilegium, cum eo, qui posuit merita. *Ad Conf.* dico privilegium cum persona, quæ locum beneficio fecit, tunc solùm deficere, quando istud ab hac dependet tam in esse, quàm in conservari. atqui ostensum est, quòd sæpe non dependeat in conservari à conditione personæ, quæ locum beneficio fecit. Ad id, quod additur ex *l. quod Principi cit.* dico, beneficium, quod Princeps concessit ob merita, personam non egredi per consequentiam, ut in exemplum trahi possit, prout habetur *Reg. 74. in 6.* posse tamen egredi personam, quæ posuit meritum, per intentionem ipsius concedentis privilegium, si scilicet iste ob unius merita bene-

beneficium illud velit concedere toti familiæ, communitati &c.

42 3. Dividitur Privilegium in Purum, & Conventionale. *Purum* dicitur, quod conceditur, nulla interveniente pactione, vel conventione, ratione cujus ipsum privilegium, quodammodo emi, & compensari censetur; *Conventionale* autem, quando talis pactio, vel conventio intercedit. Suar. *l. 8. de LL. c. 4. n. 9.* Palao *tr 3. D. 4. p. 2. §. 3. n. 1. v. quartò.* König *hic n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 19.*

43 *Dubitant* aliqui, an detur revera aliquod privilegium Conventionale? Negat Bald. *in l. fin. C. unde liberi. n. 33.* quia privilegium est gratia. Conventio autem inducit debitum. igitur sicut gratia non stat cum debito, ita nec privilegium cum conventione. *Sed hoc non obstante*, retinenda est sententia affirmativa, quam cum communi defendunt Suar. *n. 9. cit.* Palao *l. cit. n. 2.* Wiestner *hic n. 21.* quia licèt de natura privilegii sit, ut sit gratia, non tamen de natura ejus est, ut concedatur merè gratiosè; potest enim concedi vel merè liberalitatis, vel remunerationis etiam, sive debiti tribuendi gratiâ. *Ex quo patet ad Rationem dubitandi* oppositam; quia ad privilegium sufficit, si concedat aliquid ultra id, quod Jure cautum est: & hoc per se gratia est, etsi per accidens aliquando proficiscatur ex debito.

Majus dubium est, an Privilegium
44 Conventionale possit etiam esse Personale? *Et ratio dubitandi est*, quia fundatur in pacto, & non in persona, & propterea neque ab ipso concedente revocari potest. ergo videtur esse privilegium reale, & per se perpetuum. Sed tenenda iterum est affirmativa Sententia cum Palao *n. 2. cit.* & ratio est, quia concedi Privilegium Conventionale potest personæ, vel officio, limitato tempore, vel in perpetuum. *Ad Rationem dubitandi* dico, Privilegium hoc fundari in pacto, tanquam in occasione, & causa, ob quam concessum est privilegium; non verò tanquam in fundamento, cui annectatur ipsa concessio.

45 Quare, ut cognoscatur, an reale, vel personale hoc privilegium sit, attendenda sunt verba Privilegii, & materia, circa quam versatur. Quodsi ponderatis omnibus, dubium sit adhuc, an reale, vel personale sit, præsumendum est esse reale. Menoch. *l. 3. præsumpt. 103. n. 21.* Barbos. *in l. quia tale ff. solut. matr. n. 6. fin.* Palao §. *3. cit. n. 5.* & ratio est, quia hujusmodi Privilegium fortitur rationem Contractûs, qui regulariter ad hæredes transit *l. Juris gentium 7. §. pactorum 8. ff. de Pact.*

46 4. Dividitur Privilegium in id, quod concessum est ad preces, vel instantiam partis, & in id, quod concessum est motu proprio. *Primum* est, quod concessum est propter instantiam privilegiati, vel alterius qui ejus partes gerit, aliàs non concedendum. *Alterum* est, in cujus concessione Princeps à se ipso movetur independenter à qualibet alia intercessione.

Ubi tria notanda sunt. 1. non
47 repugnat Privilegio concesso ex Motu proprio, quòd petitum sit hujusmodi privilegium, modò Princeps illud non dederit, ob petitionem hujusmodi, tanquam ob causam finalem. Menoch. *de arbitr. cas. 201. n. 79.* Sanch. *l. 8. de matr. D. 1. n. 6.* Suar. *l. 8. de LL. c. 12. n. 6. & 7.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 6. n. 1.* 2. Non censetur Motu proprio concessum privilegium, nisi in ipsa concessione sic exprimatur *c. si motu 23. de Præb. in 6.* & ratio est, quia moraliter impossibile est aliter probare, sic esse concessum. 3. Privilegium motu proprio concessum plenissimæ interpretationis est *c. quamvis* 4. cùm *ibi* notatis per Gloss. *V. plenissimè de Præb. in 6.* & plerumque saltem non potest argui Sub- vel Obreptionis *c. si motu cit.* Contrà illud, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces concessum est, corruit propter falsa narrata, vel tacitam veritatem, quæ de Jure ac stylo Curiæ exprimi debuisset; subintelligitur enim semper illa tacita conditio, *si preces veritate nitantur c. ex parte 2. & alibi passim de Rescript.*

Dixi *Plerumque saltem*; non enim
48 semper clausulæ motûs proprii in Privilegio vitium Ob- vel Subreptionis tollit: sed, ut bene advertit Palao *l. cit. n. 4. & seqq.* examinandum est, an à privilegiato pro Privilegio impetrando sit facta aliqua supplicatio, vel non. *Si facta est, supplicatio*, disquirendum, an integra illa fuerit, vel diminuta, ita, ut si Princeps rescisset veritatem, non fuisset concessurus privilegium. *Si integra fuit supplicatio*, clarum est, non posse dari subreptionem. *Si diminuta*, videndum, an tacita, à supplicante fuerit veritas aliqua intrinseca, quæ substantiam rei mutat, an verò solùm extrinseca aliqua, quæ rem non mutat. *Si taceatur veritas aliqua* intrinseca, v. g. si petens beneficium Ecclesiasticum taceat illud esse Regulare, vel unitum alteri Beneficio, aut Ecclesiæ, concessio nulla est, etsi fiat motu proprio; quia intentio concedentis fuit concedere Beneficium commune, quale fuit repræsentatum in supplicatione, & non affectum tali qualitate, cons. ex defectu intentionis invalidum est Privilegium. *Si verò taceatur veritas aliqua extrinseca, & rem non mutans*, valida erit concessio, etsi Princeps fortè illud non fuisset concessurus, si veritatem integrè cognovisset; quia juxta communem DD. clausula *Motûs proprii* vim istam habet, ut

taci-

taciturnitas veritatis non vitiet gratiam, quæ motu proprio concedi dicitur. atqui si in nostro hoc casu taciturnitas supplicantis officeret, nullus dari casus alius posset, in quo valeret gratia ex taciturnitate veritatis facta. ergo &c.

49 *Quodsi autem pro impetrando Privilegio nulla facta est, supplicatio*, videndum, an in concessione Princeps falsitatem exprimat, vel non. *Si falsitatem exprimit*, videndum, an status, qualitas, circumstantia falsò expressa talis sit, ut ea non extante, non soleat concedi privilegium: & tunc tale Privilegium, & gratia irrita est, etsi addatur clausula *Motu proprio*; quia tunc Princeps non censetur aliter concedere privilegium, nisi quatenus intelligit rem sic se habere. Si verò nullam Princeps in Rescripto suo falsitatem exprimat, etsi fortè aliqua, aliàs exprimenda, taceat, firma est gratia, & per se loquendo nullum vitium Subreptionis habet. Dixi *per se loquendo*; potest enim ex aliis causis irritari: & 1. quidem, si cedat in præjudicium tertii; quia non censetur concedens juri alteri acquisito derogare, nisi illius mentionem faciat. 2. Si sit adversùs constitutum municipale, & consuetudinem receptam, ob eandem rationem. 3. Si concedatur aliòquin inhabili, e. g. Beneficium Ecclesiasticum illegitimo, irregulari, excommunicato, non impetratâ priùs dispensatione illius impedimenti; quia clausula Motûs proprii solùm significat concedentem moveri à se ad privilegii concessionem, non verò significat se dispensare in hujusmodi impedimentis, & inhabilitatibus.

5. Aliud dicitur Privilegium absolutè concessum, aliud sub conditione, & modo. 50 *Absolutè concessum* dicitur, quod conceditur sine onere Privilegiarii; *sub conditione, & modo*, quod conceditur sub conditione, vel sub onere alicujus operis efficiendi. Palao *tr. 3. D. 4. p. 3. §. 7. n. 1.*

Dubitatur, quando omissio operis, 51 sub cujus onere conceditur Privilegium, irritet ejus usum? R. cum distinctione: Vel enim opus injunctum debet antecedere usum privilegii, vel fieri id potest etiam post illius usum. *Si hoc secundum*, omissio illius non facit irritum privilegii usum; quia jam supponitur usus legitimus privilegii: sic valida est absolutio à reservatis, quam obtinuisti cum obligatione comparendi, etsi obligationi huic postea non satisfacias, quamvis omittendo pecces.

Si primum, irritus est privilegii usus, 52 si opus ejusmodi omittatur; censetur enim privilegium concedi sub conditione illius operis, quæ cùm non impleatur, privilegium ex intentione concedentis nullum est. Palao *l. cit. n. 2.* qui *n. 3.* infert, si detur privilegium dispensandi absolvendi, puniendi aliquem cum consilio alterius, nullam esse absolutionem, dispensationem &c. si consilium omittas petere; nam consilium ex natura sua antecedit actum. Igitur cùm secundùm dicta omissio operis, sub cujus onere concessum est privilegium, irritet ejus usum, quando illud antecedere deberet usum, pariter irritus erit in nostro casu usus Privilegii, si non antea ad hoc petitum fuit consilium.

Dixi, *Si consilium omittas petere*; quia 53 sequi non teneris, nisi addatur, *Cum consensu illius, à quo consilium petitur.* Ratio est, quia non semper juberis consilium sequi, quando juberis illud postulare: atque hinc si in casu posito petas quidem consilium, sed consilium datum non sequeris, adhuc valebit actus.

6. Aliud Privilegium dicitur *Clausum* 54 *in corpore Juris communis* aliud *Datum per Rescriptum speciale.* *Prius* est, quod inter alias Leges Corpori Juris insertum est: & talia sunt Privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quæ passim habentur tam in Corpore Juris Canonici, quàm Juris Civilis, præsertim *C. de SS. Eccl.* item *C. de Episc. & Cler.* *Neque obstat* quòd privilegium sit Lex privata, ut dictum est *n. 2.* & propterea distinguatur à Lege communi, quòd hæc pro omnibus lata sit, cùm Privilegium certarum solùm personarum favorem respiciat; hoc enim nihil impedit, quo minùs Lege communi contineatur, sed aliquando etiam valde utile est, ut sic ejusmodi Privilegium sciatur ab omnibus, & privilegiati ab ejus usu non impediantur. *Alterum* privilegii genus, scilicet *datum per speciale Rescriptum* est, quod extra corpus Juris certæ alicui personæ communitati, vel loco, specialiter per Litteras, Diploma, Bullam, vel Indultum concessum est.

Differunt inter se 1. quòd Privile- 55 gium clausum in Corpore Juris Judex ignorare non debeat, vel saltem non præsumatur: & idcirco si contra tale privilegium ipse privilegiato injungat comparitionem in Judicio, vel quid aliud, privilegiatus non tenetur obedire, vel comparere, aut de comparitione se excusare *c. sanè 5. & c. cùm ad quorundam 7. de Excess. Prælat.* At si Judex mandet, vel aliquem citet contra privilegium specialiter datum, & positum extra Corpus Juris, privilegiatus tenetur comparere saltem pro reverentia Judicis, & privilegium suum exhibere *c. cùm personæ 7. h. tit. in 6.* & *l. siquis 5. ff. de Judic.* quia cùm sit facti, ignorari potest à Judice.

Differunt 2. quia Privilegia extra 56 Corpus Juris plerumque sunt temporalia, & strictæ interpretationis, nec extenduntur extra personas, quibus concessa sunt; clau-

clauſa verò in Corpore Juris ordinariè ſunt perpetua, & recipiunt interpretationem, & aliquando ex paritate rationis extenſionem, ſicut ipſæ Leges communes. Engl *hic n. 2. ℣. deinde*, König *ibid. n. 8.*

57 7. Dividitur Privilegium in id, quod eſt contra Jus, & in id, quod eſt præter Jus. *Contra Jus* dicitur illud, quod derogat Juri communi, ut eſt exemptio à ſolvendis Decimis, à Jurisdictione Ordinarii &c. *Ultra*, vel *præter Jus* dicitur eſſe, quod concedit favores peculiares in Jure non expreſſos, veluti eſt poteſtas abſolvendi à reſervatis, diſpenſandi &c. Sannig *hic c. 1. n. 4.* Engl *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 7.*

58 *Differunt 1.* quia privilegium contra Jus dicitur propriè Privilegium *arg. l Jus ſingulare 16. ff. de LL.* ibi, *Jus ſingulare*, (quo nomine intelligitur Privilegium) *eſt, quod contra tenorem rationis* (ſcilicet contra rationem Juris communis, ſeu Legis) *propter aliquam utilitatem authoritate conſtituentium introductum eſt.* Contrà Privilegium præter Jus non eſt ita ſtrictè privilegium, ſed potiùs dicitur beneficium Principis, ſeu gratia ab iſto conceſſa præter Jus. Reiffenſtuel *n. 8.* 2. differunt, quia privilegium contra Jus commune eſt ſtrictæ interpretationis *arg. c. porro 7.* & *c. ſanè 9. h. tit.* Privilegium verò præter Jus, cùm ſit mera gratia, & beneficium, latè interpretari debet. Reiffenſtuel *n. 9.*

59 8. Dividitur in privilegium Commune, & Privatum, ſeu ſingulare. *Commune* dicitur, quod primò, & per ſe reſpicit bonum Communitatis, cui conceditur, licèt in iſtius membra etiam redundet, ut ſunt privilegia Canonis, & Fori, & Competentiæ, conceſſa toti Ordini Eccleſiaſtico. *Privatum*, ſeu *Singulare*, quod primò, & per ſe reſpicit bonum perſonarum particularium, licèt mediatè etiam ipſum ſpectet bonum commune, cujus intereſt v. g. imbecilles defendi, bene meritos remunerari &c. & tale privilegium eſt beneficium reſtitutionis in integrum conceſſum minoribus &c. Abb. *in c. ſi diligenti 12. de for. compet.* Suar. *l. 8. de LL. c. 6. n. 1.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 4. n. 2.* Haun. *tr. proœm. n. 168.* Wieſtner *hic n. 24.* Reiffenſtuel *ibid. n. 22.*

60 *Differunt* præcipuè in hoc, quòd privilegio Communi à privatis renuntiari nequeat; poſſit autem privilegio ſingulari, regulariter loquendo: cujus diſcriminis ratio hæc eſt, quia favori pro ſe principaliter introducto quilibet renuntiare poteſt. talis favor eſt privilegium ſingulare, non autem commune, ergo &c. Addidi autem *Regulariter*; nam ſi renuntiatio Privilegii ſingularis cederet in præjudicium alterius, neque ipſi renuntiare poteſt. Suar. *n. 4. cum citt.*

9. Dividitur in Perpetuum, & Temporale. *Perpetuum* dicitur, non quaſi amitti non poſſit, ſed quia ex ſe, & niſi revocetur, durat perpetuò: & talia ſunt, quæ vel abſolutè, & ſine limitatione temporis alicui conceduntur, vel adhærent rei ex ſe perpetuæ, ut eſt Privilegium conceſſum Eccleſiæ, Ordini Religioſo, Statui, vel Dignitati ceriæ &c. 61

Temporale verò eſt, quod de ſe tempore limitato finitur. Hoc tripliciter fieri poteſt. 1. Ex parte ejus, cui conceditur, ſi ſcilicet concedatur perſonæ tantùm, etiam ad tempus vitæ; nam comparatione facta ad Privilegium reale perpetuum, temporale eſt, & finitur cum perſona. 2. Ex parte concedentis, quando conceditur pro ſola concedentis vita, vel pro limitato aliquo tempore. 3. Ex parte ipſius Privilegii, ſi concedatur ſub aliqua conditione, quæ lapſu temporis finitur. Suar. *l. 8. de LL. c. 5. n. 1.* Palao *tr. 3. D 4. p. 2. §. 2. n. 1. & 2.* Sannig *hic c. 1. n. 5.* Pirhing *n. 8.* Reiffenſtuel *n. 18.* 62

10. Dividitur in Favorabile, & Odioſum. *Favorabile* eſt, quod ita favorem continet, ut nemini incommodum afferat: tale eſt privilegium audiendi Miſſam tempore Interdicti, veſcendi lacticiniis, & carnibus in Quadrageſima faciendi Teſtamentum ſine Juris ſolennitate &c. 63

Odioſum dicitur, quod ita favet privilegiato, ut ſimul alteri afferat præjudicium: & tale eſt privilegium, quo eximitur aliquis ſolvendis Decimis; nocet enim illi, cui aliàs debebantur Decimæ, etſi proſit habenti hanc exemptionem. Azor *p. 1. l. 5. c. 23. q. 2.* Suar. *l. 8. de LL. c. 6. n. 5.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 1. n. 21.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 4. n. 3.* König *hic n. 5.* poſt *Bald. Abb. Tiraquell. &c.* 64

11. Dividitur in Affirmativum, & Negativum. *Affirmativum* eſt, quod facultatem concedit, ad aliquid efficiendum. *Negativum*, quod concedit facultatem ad omittendum. 65

Differunt inter ſe. 1. quia Negativum ſemper eſt contra Jus certum, vel dubium, dum poteſtatem dat omittendi, ad quod ponendum obligantur de Jure cæteri: Affirmativum verò aliquando eſt contra Jus, aliquando præter Jus; conſiſtit enim in actione, quæ poteſt eſſe Juri communi adverſa, vel ſaltem ab illo non conceſſa. 2. *Differunt*, quia negativum ſemper eſt oppoſitum præcepto affirmativo; Affirmativum non ſemper oppoſitum eſt præcepto, & cùm opponitur, negativo opponitur. Suar. *c. 6. n. 9.* Palao *§. 4. n. 1.* 66

12. Dividitur in Privilegium pro foro conſcientiæ tantùm, & in Privilegium pro foro etiam externo. *Primum* prodeſt habenti ſolùm in foro interno; nam in 67

externo se gerere debet, acsi privilegium non haberet. *Alterum* prodest in foro utroque, externo, & interno, ita, ut qui secundùm id operatur, in utroque foro securè operetur. Suar. *c. 6. n. 11.* Palao §. *5. n. 4.* Et hinc sequitur, prout bene *cit. Palao* notat, quòd privilegium datum pro foro externo concedat publicum usum fui; datum verò pro interno duntaxat foro concedat solummodo usum sui occultum, minimè inservientem pro foro Judiciali externo.

13. Dividitur in Scriptum, & non
68 Scriptum. *Non scriptum* est, quod verbotenus à Principe concessum, vel præscriptione, aut legitima consuetudine est introductum. *Scriptum* est, quod per Scripturam conceditur. Porrò hæc Scriptura debet esse authentica, & obsignata Sigillo Principis, ut fidem faciat in foro externo. Ut verò Privilegium in Transumpto fidem faciat, olim necesse erat citari partem, cujus interest, ut compareat ad contradicendum, quemadmodum advertit Covarruv. *qq. pract. c. 2. circ. fin.* Rodriq. *qq. Reg. 8. art. 16.* Palao §. *5. n. 1.* defacto tamen, *ut cit. Palao* notat, post *Clem. V.* ferè semper in omnibus Privilegiis, specialiter quæ Religionibus conceduntur, solet apponi clausula, ut transumptis etiam impressis habeatur fides integra, modò sint manu Notarii publici subscripta, & Sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munita.

14. Denique aliud est privilegium
69 cuipiam per se primò specialiter concessum, aliud concessum ad instar. *Illud* est, quod cuipiam conceditur sine ordine, ac respectu Privilegii priùs alteri concessi. *Illud* verò, quod conceditur ad instar Privilegii priùs alteri concessi i. e. eo modo, ac forma, sub qua illud alteri convenit: qualia Privilegia complura conveniunt Religionibus, communicationem Privilegiorum habentibus. Reiffenstuel *hic n. 20.*

§. III.

De Modis acquirendi Privilegia.

SUMMARIUM.

70. &c. *Quis concedere privilegia, possit?*
73. &c. *cui concedi illa possint?*
77. &c. *Quomodo communicentur privilegia?*
79. &c. *Quid requiratur, ut privilegium concessum ad instar valeat?*
83. &c. *Quænam privilegia participentur per communicationem?*
87. &c. *Quomodo Regulares inter se participent privilegia?*
94. &c. *An per Consuetudinem, vel Præscriptionem acquiri privilegium possit?*
96. *An sub revocatione privilegiorum comprehendantur etiam ea, quæ consuetudine, vel præscriptione sunt comparata?*

TRibus modis acquiri Privilegia possunt. 1. Per ipsam actualem concessionem Superioris. 2. per Communicationem. 3. per Præscriptionem, aut consuetudinem legitimam.

Quæritur 1. quid intelligatur no-
70 mine concessionis? R. per concessionem intelligi actum, quo simpliciter, & sine respectu ad aliud privilegium præexistens jus singulare conceditur. König *hic n. 11.*

Dub. 1. quis concedere Privilegium possit? R. omnis, & solus ille, qui Legem potest condere. Sylv. *V. Privilegium q. 2.* Suar. *l. 8. de LL. c. 8. n. 2.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 22. q. 3.* Salas *D. 17. sect. 3. à n. 17.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 3. n. 1.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 4. n. 1.* Begnud. *V. Privilegium n. 10.* Gonzal. *in c. fi de terra 6. h. tit. n. 4.* Engl *hic n. 9.* König *n. 10.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 25.* Ratio est, quia Privilegium est Lex privata, & privilegiatum sæpe ab observatione Legis communis eximit, cæteros verò obstringit, ne ipsum impediant ab usu privilegii. Atqui obligationem præcipiendo, vel prohibendo imponere, & à Juris communis observatione aliquem eximere Legislatore inferior nequit *arg. can. inferior 4. dist. 21.* & *c. cùm inferior 16. de major.* & *obed.*

Dub. 2. Quis in specie conferre Pri-
71 vilegium possit? R. 1. concedere privilegium potest Summus Pontifex: & quidem in materia spirituali indistinctè in toto terrarum Orbe; circa temporalia verò directè, & per se in suo territorio tantùm, ubi dominium habet temporale: in Laicorum autem ditionibus solùm indirectè, quatenus videlicet opus est per ordinem ad Spiritualia. Palao *n. 1. cit.* ℣. *quocirca.* Pirhing *n. 9. hic*, König *n. 10.* Reiffenstuel *n. 26.* Et hoc verum est non tantùm de Privilegio concessivo ultra Jus commune, sed etiam de dispensativo in Jure communi: nam Pontifex Legem Ecclesiasticam sibi subjectam habet simpliciter: Civilem verò eatenus, quatenus opus est ad bonum commune Ecclesiæ.

2. Pri-

72 2. Privilegia conferre possunt Episcopi, & alii Prælati Papâ inferiores *per c. cùm olim 14. h. tit.* sed magis limitatè; nam dispensare solùm possunt in Legibus à se conditis, vel à suo antecessore, non verò contra Jus commune, nisi quatenus hoc illis, vel de Jure, vel de consuetudine concessum est. *Suar. c. 8. cit. n. 9. cum reliquis suprà.*

3. Dubium non est, Privilegiâ conferre posse Imperatores, Reges, & Principes temporales in sua materia, & ditione; cùm enim habeant supremam potestatem ferendi Leges, etam Privilegia possunt concedere.

Alii inferiores Magistratus autem, qui superiorem in temporalibus recognoscunt, privilegia, sicut & Leges dare possunt solùm in ijs, in quibus hoc ipsis conceditur à Superiore. Suar. *n. 11.* Pirhing *n. 9.*

73 Dub. 3. quibus concedi Privilegia possint? Putant aliqui, non posse privilegia concedi, nisi subdito concedentis, ex ratione; quia privilegium est quædam Lex, quæ non fertur nisi pro subditis: item sæpe eximit ab obligatione Legis, quæ non afficit, nisi subditos.

Sed distinguendum est inter privile-
74 gia, quæ sunt contra Jus, & dispensativa Legis, & inter ea, quæ sunt præter Jus, & merè concessiva gratiæ. *Primi generis* Privilegia dari non possunt, nisi subditis, qui Lege arctantur: & ratio est, quia dispensatio est actus Jurisdictionis voluntariæ, quæ non nisi erga subditos exerceri potest; supponit enim potestatem ferendi Legem, & præceptum obligans illum, quem eximit dispensando. Palao *tr. 3. D. 4. p. 4. n. 2.* Wiestner *hic n. 7.* Reiffenstuel *n. 27.* *Excipitur*, nisi Lex illa, contra quam privilegium datur, talis sit, ut eâ obligentur etiam extranei, qui in tali territorio versantur, qualis est Lex imponens vectigal, prohibens exportationem mercium, vel usum certorum armorum, præscribens certam formam Contractui &c. nam contra ejusmodi Leges privilegia concedi possunt etiam extraneis, & si indigenis tale privilegium concessum sit, eo uti etiam non subditi possunt.

75 *Secundi generis* privilegia concedi possunt etiam non subditis, Suar. *l. 8. de LL. c. 9. n. 4.* Palao *n. 2. c t.* Engl *n. 9.* Pirhing *n. 10. cum citt.* Ratio est, quia talis privilegii concessio est actus meræ liberalitatis. Sicut ergo quivis, etiam non subditus, capax est donationis, ita & privilegii hujusmodi gratiosi. Debet tamen privilegium ita datum esse de materia subjecta Principi danti privilegium, & circa quam subditos ille potest cogere, ne privilegiatum ab usu privilegii impediant. Et talia privilegia frequentissimè conferuntur non subditis; nam ita Imperator Theodosius, ut refertur *can. quicunque 35. caus. 11. q. 1.* concessit Judicibus Ecclesiasticis, ut possint cognoscere, & directè judicare causas temporales Laicorum, quod Jure communi ipsis non est concessum: ita ab Imperatore sæpe conceditur, & concedi potest externis privilegium scribendi miltem in terris Imperii, invehendi merces in Provinciam &c. ita Ecclesiis, & Ecclesiasticis tum Jure communi, tum speciali Diplomate con essa sunt multa privilegia &c.

Ad rationem in contrarium allatam 76 privilegium est Lex, non respectu privilegiati (nam huic per privilegii concessionem obligatio nulla imponitur) sed respectu cæterorum Legislatori subditorum, quos obligat, ne illum impediant ab usu privilegii sui. *Ad Conf* patet ex dictis; nam ab iis Legibus, quibus obligantur etiam extranei, per privilegium ipsi eximi possunt.

Quæritur 2. quomodo communi-77 centur privilegia? R. communicari possunt dupliciter, per extensionem ejusdem privilegii, & per concessionem similis, quod idcirco *privilegium ad instar* dicitur. *Primo modo* communicatio privilegii fit, quando unum privilegium, & idem, quod aliquibus personis antea concessum erat, ad alios æquè extenditur, illos quasi aggregando cæteris, qui antea gaudebant eo privilegio: & tunc si augeatur, vel minuatur privilegium in his, quibus fuit primò concessum, augetur, & diminuitur in omnibus aliis; quia omnes æquè primariò privilegio illo gaudent.

Secundo modo communicatio Privi-78 legii, & *ad instar* dicitur; cùm ad exemplum, & similitudinem alterius concessum est, ut si Princeps dicat: *Concedo tibi privilegium idem, quod concessi Sempronio.* Hoc iterum fieri duplici modo potest. 1. non per se, & non æquè principaliter, sed quasi accessoriè, & dependenter ab eo, cui concessum fuit primò, & principaliter, quo modo privilegia Religionum sæpe communicantur earum familiaribus, Dominorum servis, Religiosorum Monialibus; quo casu si augetur, restringitur, vel revocatur privilegium in persona eorum, quibus concessum est principaliter, necessariò augetur, restringitur, aut revocatur etiam in persona eorum, quibus communicatum est minùs principaliter; non autem vicissim: & ratio est, quia accessorium sequitur ad principale. *Reg. accessorium 42. in 6.* 2. concedi privilegium *ad instar* potest directè, per se, & æqualiter, ita, ut is, cui communicatur, eo uti possit eodem modo, quo prior poterat, & ipsum privilegium fiat ejus proprium, non minùs, quàm si tali per-

personæ, vel loco fuisset primò concessum: & tunc si augeatur, restringatur, aut revocetur privilegium illi, cui priùs datum fuit, non augetur, restringitur, vel minuitur illud aliis, quibus deinde *ad instar* concessum est; quia tali casu utrumque stat per se, ut re ipsâ distinctum, & licèt sit ad instar priùs concessi, ab hoc tamen non dependet, sed illud tantùm fuit adductum in exemplum, & similitudinem ad determinandam voluntatem concedentis.

79 Dub. 1. quid requiratur, ut Privilegium concessum *ad instar* valeat? R. præter ea, quæ §. 1. dixi, requiri ad valorem cujuscunque privilegii, ad valorem Privilegii *ad instar* requiritur necessariò, ut privilegium illud, ad cujus similitudinem concessum est, valorem, atque effectum habeat, & verè sit privilegium; aliàs concessio erit nulla. Suar. *l. 8. de LL. c. 15. n. 6.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 7. n. 10.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 8. n. 2.* Ratio est, quia cùm privilegii ad instar totum esse sit illud aliud, sequitur, si illud effectu careat, etiam privilegium ad instar effectu carituram.

80 Sufficit autem, si effectum, & valorem habeat eo tempore, quo confertur beneficium, seu privilegium ad instar illius: & hinc etsi deinde per non usum, vel revocationem Superioris aboleatur privilegium illud prius, non id circo cessat privilegium ad instar, nisi accessoriè duntaxat concessum sit; cons. etsi Religio, cui primò concessum est privilegium aliquod, per non usum fortè illud amiserit, adhuc tamen aliæ Religiones, quæ communicant in eo privilegio, uti eodem poterunt. Ant. à S. Spirit. *Direct. Reg tr. 1. D. 1. sect. 3. n. 51.* Engl *hic n. 11.* Pirhing *n. 26.* Reffenst. *n. 69.*

81 Imò existimat Palao. §. *8. cit. n. 4.* valiturum probabiliter privilegium tuum, si hoc tibi concessit princeps ad instar illius quod habet Petrus, etsi illud Petrus non usu, vel renuntiatione amiserit, modò privilegium Petri fuerit aliquando validum, & firmum: *Rationem* dat, quia videtur facta concessio privilegii ad similitudinem illius, quod Petro aliquando concessum est, neque censetur princeps alligare velle valorem recèns concessi privilegii valori præsenti, quem habet privilegium Petri, sed præterito.

82 Addit idem *Palao* cum *Felino*, *Mandoso*, *Suarez*, *Bonacina*, etsi privilegium, ad instar cujus princeps concedit aliud, nunquam fuerit validum, & firmum, quia reipsa concessum non est, si tamen Princeps in concessione sufficienter exprimat, quid concedat, e. g. *Concedo tibi hanc, vel illam potestatem dispensandi in Votis &c. sicut habet Petrus*, probabiliùs privilegium ad instar concessum non fore nullum; quia illud, *Sicut habet Petrus*, non videtur apponi ut conditio, sed solùm ut exemplum. Atque hinc disparitas est inter datum ad instar, quando simul explicatur, quid concedatur in privilegio, & inter datum ad instar, non expresso modo communicationis; nam hoc secundum necessariò nullum est, cùm nesciat privilegiarius, quid ipsi concedat dans privilegium, nisi privilegium, ad instar cujus datur, existat.

Dub. 2. quænam privilegia partici- 83
pentur per *Communicationem?* R. considerandum, an communicatio fiat absolutè, & pariformiter, an solùm limitatè, & ex parte. *Si hoc secundum*, quantum communicetur ex privilegio priùs concesso alteri, id desumendum est ex tenore privilegii cum tali limitatione concessi. *Si primum*, is, cui facta est talis communicatio, participat omnia privilegia & eodem modo, quæ, & quo modo defacto alter habet, vel habuit ille, cujus privilegia participantur. *Excipi* tamen debent 1. privilegia quæ post communicationem acquiruntur ab eo, cujus privilegia communicantur, nisi communicatio expresè extendatur etiam ad futura. König *hic n. 12.* cum aliis. 2. privilegia omnia extraordinaria, quæ Princeps non videtur in specie concessurus, ut ex Ant. de Butr. *cons. 19.* notat Fagnan. *in c. tuarum 11. h. tit. n. 24.* 3. privilegia localia, ut quæ censentur ad certum locum restricta; item illa, quæ ob certam, & specialem causam, seu respectum data sunt; aut quæ in eos, quibus fit communicatio, propter defectum certæ qualitatis non quadrant. Donat. *Privil. Reg. p. 1. tr. 7. q. 14 & 15.*

Dub. 3. Si concedatur alicui Benefi- 84
cium, Canonicatus, Cathedræ &c. his terminis *Concedo tibi, sicut habuit tuus anteccssor*, an succedat ille non solùm in ijs, quæ Jure Ordinario Beneficio, vel Canonicatui annexa sunt, sed etiam in in privilegiis personalibus, si fortè illa habebat antecessor. *Ratio dubitandi est*, quia in privilegiis personalibus non datur successio, sed illa cum persona extinguuntur.

Sed dicendum, si modus concessio- 85
nis novus sit, & antea non usitatus, credi debere, quòd Princeps concedere voluerit Canonicatum, & prædendam, non tantùm cum his, quæ Jure ordinario ei erant annexa, sed etiam, quæ ex particulari privilegio eidem annectebantur; quia aliàs ille specialis modus, & forma concessionis frustra esset appositus. Et ita contra Barbos. *in l. quia tale ff. solut. matr. n. 1.* docet Suar. *l. 8. de LL. c. 15. n. 11.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 8 n. 5.* qui ita decisum narrat in casu Cantoriæ Compostellanæ Ecclesiæ, quam Ludovicus Henriquez obtinuit simul cum alio quodam Canonica-

nicatu. Poſt hujus mortem frater ejus Antonius de Caſtro petiit à Pontifice utramque præbendam, eo modo, quo frater ejus obtinuerat. Cùm annuiſſet Pontifex ſub clauſula, *Sicut prædeceſſor ſuus obtinuit*, dubitatum fuit, an vi iſtius clauſulæ fuerit diſpenſatum tantùm ſuper utraque præbenda, an ſimul ſuper Cantoria uni earum annexa, & deciſum fuit ſecundum in favorem ſupplicantis.

86 *Ad rationem dubitandi* dico, per ſe loquendo quidem non dari ſucceſſionem in privilegiis perſonalibus, poſſe tamen voluntate Principis etiam ipſa transferri in Succeſſorem; ſi enim de novo dare privilegium poteſt, cur non datum ad Succeſſorem extendere?

87 Dub. 4. an, & qualis communicatio privilegiorum defacto detur inter Regulares? ℟. hoc pendere ex mente, & voluntate Pontificis. Defacto Mendicantes per Bullam Leonis X. generalem inter ſe communicationem privilegiorum habent, & per alias Bullas etiam cum non Mendicantibus, ut videre eſt apud Tambur. *D. 17. q. 2. n. 8.* De non Mendicantibus videnda ſunt ſpecialia Decreta Pont.

88 Univerſim circa communicationem privilegiorum datam Ordinibus Religioſis notandum 1. non communicari privilegia unius Religionis alteri, ſi ex ejusmodi communicatione obſervantia Regularis labefactaretur. Rodriq. *tom. 1. Reg. q. 55. art. 2.* Suar. *l. 8. de LL. c. 17. n. 3.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 9. n. 2.* Ratio eſt, quia Pontifex per conceſſionem hujusmodi communicationum non intendit Religionem deſtruere, ſed fovere. Hinc Privilegia Ordinum militarium habendi proprium, teſtandi &c. non communicantur cœteris non militaribus.

89 2. Ut privilegia, de quibus cavetur, ne aliis communicentur (ſicut fit in *Bulla Gregorii XIII.* incipit *Satis, ſupérque*, & in *Bulla Gregorii XIV.* quoad aliqua privilegia Societatis JESU) conceſſa per communicationem cenſeantur aliis, neceſſaria eſt ſpecialis clauſula, quæ deroget huic prohibitioni; aliàs non cenſebuntur communicata. Suar. *l. cit. n. 8.* Palao *n. 3.*

90 3. Religioſi aliorum Ordinum, quibus communicantur privilegia Societatis JESU, privilegiis ſibi communicatis uti poſſunt, quamvis per ſuos Præpoſitos non fuerint ipſis communicata; quia licèt hoc non poſſint Religioſi Societatis per *Bullam Gregorii XIII.* incipit *Ad futurum*, reſtrictio tamen illa ſolùm adjecta eſt ob ſpecialem modum, quem habet Societas in ſuo Regimine, & conſ. non urget in Religioſis aliorum Ordinum, in quibus non eſt hic ſpecialis modus. Rodriq. *q. 55. cit. art. 17. v. ſecundum dubium*, Suar. *n. 6.* Palao *n. 4.* Reiffenſtuel *hic n. 68. Excipitur*, niſi talis reſtrictio addatur ipſi privilegio ad coarctandum ejus favorem; hæ enim limitationes procul dubio communicantur aliis Ordinibus, cùm non communicent majorem favorem, quàm ſit datus à principali conceſſione. Herinx *D. 4. de LL. q. 6. n. 28.* Reiffenſt. *l. cit.*

91 4. Privilegia, gratiæ, & Indulgentiæ, conceſſæ alicui Religioni in honorem aliquorum Sanctorum ſui Ordinis, transferuntur ad omnes Religiones, quæ cum illa Religione in privilegiis communicant, hac proportione ſervata, ut ſicut prima Religio in Feſto e. g. ſui Fundatoris proponere fidelibus Indulgentias poteſt, ita etiam cæteræ proponere Indulgentias ſimiles poſſint in Feſtivitate ſuorum Fundatorum &c. hoc enim operatur illa communicatio privilegiorum. Rodriq. *l. cit. art. 20.* adducens *Bullam Julii II.* in qua id fuit declaratum, Suar. *n. 7.* Palao *n. 5.*

92 5. Communicantur tantùm privilegia communia toti Ordini, ſtabilia, & quæ huic conceſſa non ſunt ob rationem aliquam ſpecialem. Hinc 1. privilegium conceſſum uni Religioſo non communicatur aliis Religioſis; quia talia privilegia ſunt perſonalia, & in aliis plerumque ceſſat ratio conceſſionis v. g. prærogativa meritorum, perſonæ habilitas &c. Reiffenſtuel *n. 60.* 2. non communicantur privilegia conceſſa aliquibus Eccleſiis ad tempus determinatum, ut ſunt Indulgentiæ per tot, & tot annos conceſſæ in honorem alicujus Sancti. Ant. de S. Spir. *Direct. Reg. tr. 1. tr. 1. ſect. 3. n. 42.* Donat. *p. 1. tom. 1. D. 7. q. 14. & 15.* Reiffenſt. *n. 61.* 3. id ipſum juxta *citt.* & alios DD. afferendum eſt de privilegiis, quæ conceſſa ſunt ob aliquam ſpecialem rationem, ut quando Indulgentia conceſſa eſt uni loco ſpeciali, quia ibi eſt Imago B. V. Mariæ in magna veneratione fidelium. Et ob hanc cauſam communiter tenent DD. vix uno, vel altero excepto, Indulgentiæ Portiunculæ non communicantur Eccleſiis aliorum Ordinum præter Ordinem S. Franciſci. Idem afferendum de Altaribus privilegiatis ob ſpecialem rationem talis Altaris. Reiffenſtuel *n. 62.*

93 6. Si communicationi addantur nova quædam priuilegia, non propterea iisdem gaudebit Religio, aut privatus, cujus privilegia communicata ſunt; quia dari poſſunt ſecundo privilegiato ſine reſpectu ad primum: unde ad hunc effectum neceſſe eſt, ut communicatio ſit mutua; aliàs tenebit Regula generalis, quod priuilegia ultra perſonas, vel res expreſſas extendi non debeant. Engl *hic n. 11.*

94 Quæritur 3. an per Conſuetudinem vel Præſcriptionem acquiri priuilegium poſſit? ℟. affirmativè. Colligitur ex

c. novit 13. junct. Gloss. *V. consuetudinem de Judic.* ubi Innoc. III. consuetudinem æquiparat priuilegio : idem habetur *can. conquestus 8. caus. 9. q. 3. & c. super quibusdam 26. §. præterea de V. S.* atque teste Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 5. n. 2.* doctrina communis omnium. *Probatur ratione* : nam priuilegium vel est contra Legem, vel præter Legem, *primum* acquiri potest per consuetudinem communem, & legitimè introductam ; quia hæc abrogare Legem in totum potest, igitur multò magis ex parte illi derogare, seu specialem facultatem concedere aliquid agendi contra communem Legem. *Alterum* obtineri potest etiam per consuetudinem privatorum, seu præscriptionem legitimam ; nam per ejusmodi consuetudinem, quæ inducitur viâ præscriptionis, acquiri potest Jurisdictio *c duo simul 9. & ibi* Gloss. *V. consuetudo de Offic. Jud. Ordin.* item jus exigendi Tributa, & Pedagia *c. super quibusdam cit. & ibi* Gloss. *V. non extat memoria.* cur non alia privilegia ?

95 Neque ad hujusmodi consuetudinem, vel præscriptionem requiritur consensus Principis alius, quàm qui datus est *c. fin. de consuet. & l. de quibus 32. ff. de LL.* Requiritur tamen certum tempus, in quo designando non conveniunt DD. Aliqui immemoriale assignant : sed hi denotasse videntur tempus sufficiens universim ; nam minori etiam tempore induci per consuetudinem, vel præscriptionem priuilegia possunt : quod varium est pro qualitate rei præscribendæ, & illius, contra cujus Jura præscribitur. Contra Ecclesiam 40. annorum spatio privilegium, vel exemptio aliqua præscribi potest, contra privatos 30. imò contra hos aliquando sufficit decennium. Videantur ea, quæ dicta sunt *ad Libr. 1. tit. 4. de Consuet. & ad Libr. 2. Tit. 26. de Præscript.*

Dubium est, an, quando revocan 96
tur alicui priuilegia, etiam revocentur ea, quæ consuetudine, vel præscriptione comparata sunt? R. negativè. Ita Salas *D. 17. sect. 2. n. 22.* Suar. *l. 8. de LL. c. 7. n. 15.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 1. n. 3.* Palao *§. 5. cit. n. 3.* Ratio est, quia licèt etiam ipsa sint verè priuilegia, quia tamen nomen priuilegii communiter sumitur pro privilegio specialiter dato à Principe, idcirco ea, quæ consuetudine, vel præscriptione acquiruntur in materia odiosa, qualis est revocatio, hoc nomine venire non debent, sed solùm tunc, quando sermo est de aliqua extensione favorabili.

§. IV.

De Privilegii Usu, Interpretatione, & Extensione.

SUMMARIUM.

97. &c. *Utrum Privilegiatus teneatur uti privilegio suo ?*
100. &c. *Utrum possit illo uti contra alium pariter privilegiatum ?*
106. &c. *In quo loco possit privilegiatus uti privilegio suo ?*
114. &c. *Quam vim, & efficaciam in ordine ad usum privilegij habeant verba* Ex certa scientia ?
117. &c. *Quænam Regulæ servandæ sint in Privilegiorum Interpretatione ?*
124. *Quomodo interpretandum sit Privilegium merum favorem continens ?*
125. &c. *Quomodo derogans Juri communi, aut consuetudini secundùm, vel præter illud inductæ ?*
127. *Quomodo illud, quod derogat Statuto, vel consuetudini speciali ?*
128. &c. *Aut quod cedit in præjudicium tertii ?*
130. *Quid sit Extensio Privilegij ?*
131. &c. *An, & quale privilegium, & quibus casibus, item ad quos possit extendi ?*
141. &c. *Quid si eadem sit ratio quoad casus expressos, & non expressos ?*

UT omnis potentia ad actum, ita privilegium ad usum potestatis, per id concessæ ordinatur : in quo usu ne excedatur, sed sciatur, quid potestatis per privilegium datum sit, idcirco addendum, quomodo interpretandum, & extendendum sit priuilegium. Hinc

97 Quæritur 1. de *Usu* privilegii. *Et 1. quidem dubitatur*, utrum privilegiatus teneatur uti privilegio suo? R. distinguendo inter privilegium commune, & singulare. *Privilegio communi* tenetur uti quilibet, qui est de communitate, cui concessum est privilegium ; quia si non uteretur, saltem pro illo actu, quo ipse non utitur, censeretur eidem renuntiare. atqui privilegio communi secundùm dicta *n. 62.* renuntiare privatus non potest.

Contrà *Privato privilegio*, & quod 98
ipsi privilegiato proprium, ac specialiter concessum est, per se loquendo nemo tenetur uti. Suar. *l. 8. de LL. c. 23. n. 7.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 7. n. 1.* Sanng *hic c. 2. n. 8.* Pirhing *n. 25.* Wieltner *n. 20.* & sumitur ex

ex *c. ſi de terra 6. h. tit.* Ratio eſt, quia quod in favorem alicujus factum eſt, non debet in gravamen ejus retorqueri *Reg. 61. in 6.* eſſet autem magnum gravamen, ſi privilegiatus teneretur uti privilegio ſuo, etiam contra voluntatem ſuam. ergo &c.

99 Dixi autem, *per ſe loquendo*: nam per accidens poteſt privilegiatus aliquando obligari ad privilegii ſui uſum; quia poteſt contingere, ut privilegium removeat obicem, quo remoto, privilegiatum deprehendit obligatio Juris communis: & ſic fit in eo, qui privilegium habet audiendi Miſſam tempore Interdicti; nam hic die feſto tenetur audire Miſſam ex præcepto Eccleſiæ, quod obligat omnes non impeditos. Suar. *l. cit. n. 8.* Palao *n. 2.* Wieſtner *n. 26.* Ratio eſt, quia per privilegium fit licitum, quod antea non erat licitum, qua mutatione facta, præceptum Eccleſiæ obligat ad actum conceſſum per privilegium.

100 Dub. 2. utrum privilegiatus uti poſſit privilegio ſuo adversùs alium pariter privilegiatum? Duobus modis dici poſſunt duo pariter privilegiati. 1. quia æqualia privilegia habent, & in re ſimili, ut ſi tu exemptus es à Decimis ſolvendis, & alter ſimiliter exemptus. 2. reſpectivè, & cum mutua oppoſitione in ordine ad uſum ejusdem privilegii, ita, ut ſi concurrant, ſibi invicem opponantur, ut ſi exemptus es à ſolvendis Decimis, alter privilegium habeat percipiendi Decimas à quocunque, qui in territorio ſuo exiſtit; item ſi tu habes privilegium, ne ob debita tua poſſis vinculis aligari, alter privilegium habeat comprehendendi quemcunque ſibi debitorem.

101 *Si primum*, eſt affirmativa reſponſio, quòd ſcilicet privilegiatus poſſit uti privilegio ſuo contra alium pariter privilegiatum. Covar. *Reg. poſſeſſor. p. 2. §. 2. n. 4.* Suar. *l. 8. de LL. c. 23. n. 3.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 8. n. 1.* Zœſ. *hic n. 28.* Pirhing *n. 123.* Wieſtner *n. 32.* & ſumitur ex *l. fin. ff. ex quib. cauſ. major.* junctâ Gloſſ. *marg. ibid.* ubi abſens Reip. causâ reſtituendus dicitur contra alium pariter abſentem Reip. causâ. *Ratio eſt*, quia in hoc caſu nullius privilegium derogat alteri, neque per hoc, quòd unus habeat ſimile privilegium, poteſt illum alter impedire ab uſu.

102 *Si ſecundum*, videndum eſt, an unum ex his privilegiis ſit generale, alterum ſpeciale, vel an utrumque ſit æquè generale, aut æquè ſpeciale. Nam in *primo caſu* præferendus eſt ille, qui habet privilegium ſpeciale; quia ſpecies derogat generi *Reg. 34. in 6.* Covar. *l. cit.* Suar. *n. 6.* Palao *n. 2.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 186.* Wieſtner *n. 32. cit.* In *ſecundo caſu* conſiderandum, an privilegia illa ſint inter ſe verè contraria, ita, ut non appareat via, quo modo in concordiam poſſint redigi, ut utrumque valere poſſit; an verò ſint ſolùm contraria quoad externam verborum ſpeciem, quia unum cedit alteri, aut imbibitam conditionem habet, niſi altera pars exempta ſit.

Si verè contraria inter ſe ſint, præ- 103
valebit id, quod fortius, ſcilicet antiquius, vel à poteſtate ſuperiore conceſſum eſt. Suar. *n. 6.* Palao *n. 2.* Haun. *n. 187.* Wieſtner *n. 32. cit.* Sic enim ſi unus Ordo Religioſus gaudeat privilegio prohibendi alterius ædificationem prope ſua Monaſteria inter certas cannas, id, quod antiquius, vel à Papa conceſſum eſt, prævalebit ei, quod recentius, aut ab Epiſcopo impetratum eſt. Rodriq. *tom. 1. regul. q. 9. art. 11.*

Si verò non verè, ſed quoad ſpeciem 104
ſolùm contraria ſunt privilegia prævalebit id, quod magis eſt abſolutum, illud autem, quod conditionem imbibitam habet, reſpectu prioris manebit ſuſpenſum. Et hinc 1. ſi una Eccleſia habeat privilegium non ſolvendi Decimas, altera exigendi, non poteſt hæc priorem cogere, ut Decimas ſibi ſolvat; quia privilegium illius cenſetur conditionatum, niſi alter habeat exemptionem à Decimis perſolvendis. 2. ſi unus privilegium habet, ut intra certum tempus cogi non poſſit ad ſolvendum debitum, alter verò, ut cogere quemlibet debitorem poſſit, non poteſt creditor contra ejusmodi debitorem uti privilegio ſuo; quia cenſetur ipſi permiſſa coactio tantùm illius, qui privilegio non eſt exemptus. 3. Si filiusf. mutuum accepit à Minore, non poteſt uti S. C. Macedoniano, quia magis habetur ratio ætatis, quam SCti *l. verùm 11. §. fin. ff. de minor.* & ſic de cæteris.

Ex quo patet, quis ſit ſenſus com 105
munis Regulæ, quâ dicitur, quòd privilegiatus non poſſit uti privilegio ſuo contra alium privilegiatum; intelligendum enim hoc eſt ſub conditione, ſi iſte, adversùs quem vult uti privilegio ſuo, habeat privilegium fortius, & magis abſolutum.

Dub. 3. in quo loco poſſit privile 106
giatus uti privilegio ſuo? R. diſtinguendo, an conceſſum ſit pro certo loco, & tempore, an verò abſolutè, & ſine limitatione temporis, vel loci. *Si primum*, uſus privilegii extra illum locum, vel tempus illicitus eſt. Palao *tr. 3. D. 4. p. 6. n. 2.* Ratio eſt, quia extendi non poteſt ultra intentionem concedentis, cùm ex ejus voluntate totus valor privilegii pendeat. Colligi autem hoc debet vel ex verbis, quibus privilegium datum continetur, vel ſi hæc indifferentia ſint, ex fine, & materia conceſſionis.

107 *Si secundum*, privilegium valet pro omni loco, & territorio concedentis; quia non est major ratio pro uno loco, quàm pro altero, ergo ne inutile, aut ambiguum reddatur privilegium, pro omni loco intelligi debet. Accedit, quia si concedens priuilegium illud voluisset pro aliquo determinato loco territorii sui non valere, debuisset locum illum exprimere in priuilegio; igitur cùm nullum expresserit, prudenter præsumitur concessisse pro omni loco, juxta *Reg. 57. in 6.* ibi, *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Suar. *l. 8. de LL. c. 26. n. 2.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 5. n. 1.* Palao *l. cit. n. 1.* Wiestner *hic n. 29.*

108 Ut verò privilegiatus uti priuilegio, vel gratiâ sibi concessâ possit etiam extra territorium concedentis, videre debet an solùm per ejusmodi gratiam tollatur inhabilitas, & impedimentum ad functiones, e. g. Irregularitas, Censura &c. an verò immediatè det potestatem aliquid agendi vel omittendi. *Si gratia solùm tollit inhabilitatem, & impedimentum ad functiones*, is, cui concessa est gratia dispensans in ejusmodi impedimento, functiones has exercere potest ubilibet, etiam extra territorium dispensantis, e. g. dispensatus in Voto Castitatis ubilibet contrahere matrimonium, absolutus ab Irregularitate, & Censura, ubivis suscipere Ordines &c. Palao *l. cit. n. 3.* post Sanch. *l. 8. de matr. D. 31. n. 17.*

109 *Si verò immediatè det potestatem aliquid agendi, vel omittendi*, attendendum est, an actus, vel omissio, ad quem priuilegium, vel dispensatio datur, repugnet alicui Juri, actum illum, vel omissionem prohibenti, an verò nulli repugnet Juri. *Si nulli repugnat Juri*, potest priuilegiatus uti priuilegio suo; nam ab usu priuilegii sui privilegiatus impediri non potest, nisi actus, ad quem exercendum priuilegium datur, per Legem aliquam, quæ in loco, ubi ipse subsistit, prohibitus sit. ergo si nulla Lex hujusmodi prohibens ibi existat, non apparet, unde illicitus sit priuilegii usus. Palao *n. 4.* *Excipitur*, nisi ad ejusmodi actum licitè, & validè exercendum requiratur facultas Principis, Episcopi, vel Parochi loci, per quem transit priuilegiatus, uti est priuilegium concionandi, celebrandi Missas, excipiendi Confessiones, populo publicè benedicendi &c. tunc enim absque istorum licentia priuilegio suo uti priuilegiatus non potest; quia concedens privilegium per hoc non censetur præjudicare velle juri alterius, sed ipsum potiùs privilegium censetur imbibitam habere conditionem, si Princeps, Episcopus, Parochus loci facultatem concedat. Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 184.*

110 *Si verò actus ille sit prohibitus aliquo Jure*, interest, an prohibitus sit Jure communi, an privato. *Si Jure communi prohibitus est*, videndum, an Dispensatio, vel privilegium datum sit generale pro tota Diœcesi, v. g. dispensando ad esum carnium in Quadragesima; vel utrum sit personale ob specialem, & personalem causam, quæ datur in ipso privilegiario. *Si primum*, uti privilegio isto privilegiatus extra territorium Episcopi dispensantis nequit in aliena Diœcesi, ubi Lex communis Ecclesiastica viget. Suar. *c. 26. cit. n. 14.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 16.* Pirhing *hic n. 128.* & certa omnium sententia. *Ratio est*, quia tale privilegium censetur locale, & adhærere loco, pro quo conceditur; conf. extra illum extendi non potest.

111 *Si secundum*, uti privilegio suo priuilegiatus potest etiam extra territorium Episcopi concedentis. Azor *p. 1. l. 5. c. 23. q. 6.* Suar. *c. 26. cit. n. 15. & seqq.* Salas *D. 17. sect. 10.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 31. n. 17.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 6. n. 4.* Palao *p. 6. n. 6.* Laym. *c. 23. n. 16.* Haun. *n. 182.* Pirhing *n. 128.* Wiestner *n. 30.* Ratio est, quia privilegium merè personale cohæret personæ, & ideo eam comitatur, quocunque perrexerit. *Conf.* quia in Jure, seu Lege communi non dispensat Episcopus, nisi ex commissione Pontificis. Sed si Pontifex dispensaret, valeret Dispensatio, & privilegium pro omni loco, ergo etiam valet, quando dispensat Episcopus. Atque hinc si à tuo Episcopo accepisti privilegium comedendi carnes diebus prohibitis, potes illo uti etiam extra Diœcesin tui Episcopi. Potest tamen Episcopus illius loci eo casu à te petere manifestationem privilegii tui; sed si examinaverit, ritéque datum invenerit, liberum tibi usum illius debet relinquere.

112 Quodsi verò privilegium solùm repugnet Legi, & Statuto speciali illius loci, quem transit priuilegiatus, putat Palao *n. 6. cit.* non esse ibi licitum priuilegii usum. Sed meliùs adhibetur distinctio; vel enim talis Lex, & Statutum concernit specialiter bonum commune illius loci, uti sunt, quæ præscribunt certam formam contractibus, prohibent usum certorum armorum &c. vel non. *Si prius*, privilegio suo contra tale Statutum, vel Legem specialem talis loci priuilegiatus uti non potest; quia his Legibus, & Statutis obligantur etiam peregrini, neque superior, qui privilegium tale concessit, nisi simul sit superior illius, qui præest loco, quem priuilegiarius transit, obligatione ista liberare eundem potest. Palao *n. 6. cit.*

113 *Si posterius*, per se loquendo, uti privilegio suo in tali loco priuilegiarius potest, ut verius docent *Azor*, *Layman*, *Pirhing l. citt.* conf. si Episcopus e. g. det subdito suo

ſuo privilegium legendi Libros prohibitos, poterit iſte vi hujus privilegii eos legere, etiamſi exiſtat in aliena Diœceſi, ubi talium Librorum lectio eſt ſpeciali Lege prohibita. *Ratio eſt*, quia privilegium dare eſt actus Jurisdictionis non coactivæ, ſed voluntariæ, quæ poteſt exerceri, & habere effectum etiam extra territorium concedentis, præſertim ſi careat publica ſolennitate. *Conf.* nam ſi peregrinus, qui ab Epiſcopo ſuo habet privilegium legendi Libros prohibitos, non poſſet illos legere extra territorium Epiſcopi concedentis, prohiberetur ab hoc vel lege communi vetante lectionem talium Librorum, vel ſpeciali, & propria illius Diœceſis, quam tranſit. non prima; quia in hoc, ut ponitur, cum ipſo jam eſt diſpenſatum. non ſecunda; quia hac non tenetur, cùm Jurisdictioni illius Epiſcopi, cujus territorium tranſit, non ſit ſubjectus. Imò ſi actus, ad quem privilegium datur, ſit prohibitus tantùm lege ſpeciali loci, quem tranſit peregrinus, ad eum actum ibi exercendum non opus eſt privilegio; quia peregrini non obligantur legibus loci, per quem tranſeunt, juxta dict. *Lib. 1. Tit. 2. n. 42.* Addidi *per ſe loquendo*; quia per accidens ob ſcandalum, & alia incommoda ſæpe etiam peregrini tenentur obſervare Leges loci, per quem tranſeunt, prout dictum eſt *n. 42. cit.*

114 Dub. 4. quam vim, & efficaciam in ordine ad uſum privilegii habeant verba *Ex certa ſcientia*, quæ ſæpe in confirmatione privilegiorum adduntur? R. confirmationem ejusmodi habere vim, & efficaciam renovandi privilegium, ſi fortè uſu, vel aliâ viâ amiſſum fuiſſet. Ita Tuſch. *V. Confirmatio ex certa ſcientia per tot.* Suar. *l. 8. de LL. c. 18. n. 12.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 3.* Vel enim Princeps confirmans ſic privilegium cognoſcit defectum, & nullitatem privilegii confirmandi, & tamen illud confirmat; & tunc ne fruſtra videatur agere, talis confirmatio cenſeri debet æquivalere novæ conceſſioni: vel nullitatem privilegii non cognovit; & adhuc cenſendus eſt vim dare privilegio, ne cogamur dicere, inutiliter ipſum addidiſſe ea verba *Ex certa ſcientia.*

115 Duæ tamen faciendæ ſunt Exceptiones, in quibus privilegia, his verbis additis, non confirmantur. 1. enim excipiuntur privilegia ſubreptitia; quia hæc nulla ſunt. Princeps autem vult confirmare jam conceſſa. Abb. *in c. inter dilectos de fid. inſtrum. n. 8.* Felin. *ibid. n. 6. & in c. 2. de Reſcript. n. 42.* Suar. *l. 8. cit. c. 19. n. 3.* Palao *n. 4. adv. 1.* 2. ea, quæ Generali Concilio revocata ſunt; quia non præſumitur Princeps velle Legi, à Concilio ſtabilitæ, derogare ob conceſſionem ita generaliter factam: quod enim multorum conſenſu ſtabilitum eſt, majori authoritate eſt firmatum; ac proinde majori, & ſpeciali revocatione indiget. Rodr. *tom. 1. Regul. q. 8. art. 10. in med.* Suar. *l. cit. n. 5.* Palao *advert. 2.*

116 Quodſi privilegium aliunde ſit revocatum, & verba *Ex certa ſcientia* non addantur, non cenſetur confirmatum, niſi tenor privilegii jam revocati inſeratur confirmationi; tunc enim confirmatum cenſeri debet, non obſtante revocatione aut renuntiatione, ipſius privilegiati. Palao *n. 5.* & ratio eſt, quia tenor privilegii, inſertus confirmationi, æquivalet verbis *Ex certa ſcientia.*

117 Quæritur 2. quænam Regulæ ſervandæ ſint in Privilegiorum *Interpretatione*? R. plures, eæque admodum utiles, afferuntur à DD. 1. ſi privilegium feratur verbis claris, & intentionem concedentis ſufficienter exprimant, interpretatione non indiget, ſed tenor, & forma privilegii inſpicienda, & obſervanda eſt, prout ſtatuitur *c. porro 7. h. tit.* Ratio eſt, quia interpretatio eſt ad inveſtigandam voluntatem concedentis, quæ ſi ex verbis ipſis apparet, fruſtra per interpretationem quæritur. Intellige, niſi manifeſtæ ſint conjecturæ, quòd in forma privilegii aliud ſonent verba, quàm mens concedentis intenderit; tunc enim menti potiùs, quàm verbis inhærendum eſt. Sylv. *V. Privilegium q. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 28. n. 9.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 9. n. 1.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 188.* Pirhing *hic n. 17.* quia & habetur *c. in his 15. de V. S. non intentio verbis, ſed verba intentioni debent deſervire.*

118 2. Si in forma privilegii adhibeantur verba indifferentia, obſcura, & incerta, attendenda 1. eſt Supplicatio; nam Princeps precibus ſibi factis ſe accommodare conſuevit *c. inter dilectos 6. ÿ. cæterum de fid. Inſtrum.* 2. initium ipſius Indulti; quia juxta illud cætera ſolent adjungi *l. fin. ff. de Hæred. inſtit.* 3. materia, circa quam verſatur privilegium, quia ex re, & materia ſubjecta optimè intentio principis inveſtigatur. 4. ipſum genus privilegii, an favorabile, vel odioſum ſit, an contra Jus, vel ſolùm præter Jus; nam ex hoc, ut ex dicendis patebit, maxima ex parte privilegii interpretatio pendet. 5. Spectari poteſt aliud ſimile privilegium, & ex illo interpretatio ſumi.

119 3. Si adhuc res dubia eſt, & periculum in mora, licebit uti, quod ſecundùm prudentiam viſum fuerit pro loco, & tempore convenire. Si verò dilationem res patiatur, conſuli debet Princeps. Sylv. *V. Privilegium q. 3.* Palao *p. 9. cit. n. 1.* Pirhing *n. 16.* Sannig *c. 2. n. 3.* & apud hos

hos *Salas, Suar. Bonacin.* Notant tamen hic DD. solùm Pontificem, & nullum alium inferiorem Judicem de dubiis, ortis circa privilegia ab Apostolica Sede concessa, posse cognoscere. Habetur *c. cùm venissent 12. de Judic.* Ratio est, quia ejusdem est interpretari Legem, & Privilegium, cujus est concedere; nam & privilegium, ut *n. 2.* dictum est, Lex quædam privata est.

120 4. In interpretatione Privilegii servanda est verborum proprietas, quantùm fieri potest. Salas *D. 17. sect. 8. n. 47. & 49.* Suar. *c. 28. cit. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 7.* Palao *p. 9. cit. n. 3.* Haun. *n. 188. cit.* Pirh. *n. 19.* Reiffenst. *n. 104.* Ratio est, quia etiam Leges secundùm propriam verborum significationem, & acceptionem intelligendæ, & observandæ sunt, ergo & privilegia, quæ, ut paulò antea, & sapius dixi, sunt quædam privatæ Leges. *Conf.* quia si ad improprias significationes liceret recurrere, nihil in privilegiis esset firmum, quod non facilè eludi posset. Dixi, *quantùm fieri potest*; excipitur enim 1. si necessitas contrarium suadeat; quia ipsum Jus præcipit privilegia ita interpretari, ut non injusta sint, aut inutilia, & frustra data. Suar. *l. cit. n. 15.* 2. si ex aliis conjecturis verosimiliùs præsumi possit Principem velle, ut verba Privilegii accipiantur in significatione impropria. Suar. *n. 3. & 9.* 3. si privilegium Juri alieno deroget, & alteri præjudiciale sit; tunc enim, nisi constet, quòd Princeps huic derogare noluerit, verba potiùs impropriè accipienda, & explicanda sunt, quàm per illud lædatur Jus tertii. Suar. *n. 3. & 10.*

121 5. Proprietas verborum, secundùm quam interpretanda sunt privilegia, desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, vel secundum Jus privilegio proportionatum, nempe ut, si sit Privilegium Principis Sæcularis, secundùm Jus Civile; si Pontificium, secundùm Jus Canonicum interpretatio fiat. Sylv. *V. privilegium q. 3.* Azor *p. 1. l. 5. c. 23. q. 2.* Suar. *c. 28. n. 16.* Palao *p. 9. n. 3.* Pirhing *n. 25.* Reiffenstuel *n. 105.* Et sic intelligendæ sunt Regulæ, quæ passim traduntur à DD. e. g. quòd privilegia non plus operentur, quàm verba exprimant, sumpta nimirum in ea significatione, quam juxta stylum cujusque Curiæ habent. Item Privilegium meræ favorabile extendendum est, privilegium verò odiosum restringendum, ut quàm minimum operetur, nempe, ut dixi, secundùm proprietatem verborum, & usum, quem habent in Curiis. Suar. *n. 17.* Pirh. *n. 25.* Reiffenstuel *n. 106.*

122 6. Nunquam facienda est interpretatio Privilegii ita strictè, ut privilegium reddat inutile, & inefficax. Sylv. *q. 3. cit.* Suar. *c. 28. n. 2.* Palao *n. 4.* Haun. *n. 188.* Pirhing *n. 18.* Reiffenstuel *n. 101.* Procedítque hoc, quantumvis aliàs grave videatur, & odiosum, nisi etiam sit injustum. Sumitur ex *c. in his 30. h. tit.* & *l. non dubium 5. C. de LL.* Ratio est, quia inutilem, & frustraneam actionem efficere non decet Principem. cùm igitur privilegium tendat ad aliquid concedendum privilegiato, quod aliàs ipsi non liceret, sequitur semper ita interpretandum esse priuilegium, quantùm fieri potest, ut effectum hunc operetur; neque contenti esse debemus, ut confirmet, quod aliàs privilegiato jàm licebat, nisi ad hoc cogat manifesta ratio. Atque hinc fit, privilegium, & dispensationem quamvis etiam odiosam, extendendam ad ea, quæ illius usui necessariò sunt connexa, & sine quibus effectum habere non posset: & ratio est, quia dans formam, dat consequenter etiam ea, quæ ad illam requiruntur.

123 7. Denique interpretandum est privilegium, ut non sit onerosum privilegiato, sive ut aliquid potiùs tribuat, quàm auferat, juxta *Reg. 61. in 6.* ibi, *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Hinc probabiliter concedunt multi, quòd ob privilegium Exemptionis non impediantur Regulares, quo minùs ipsi cum Prælati contensu subjicere se possint Episcopo, ut ab eo absolvantur à peccatis & Censuris, vel dispensetur cum eis in Voto, Juramento, Irregularitate &c. casu quo Episcopus, non verò Prælatus tali facultate ex privilegio est præditus. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 7.* & apud hunc *Henriq. Avil. Molin.* Idem multò magis dicendum est, si manifestò appareat, quòd Prælatus Ordinis consensum subdito irrationabiliter neget, cùm non videatur esse mens Pontificis, Exemptionis privilegium ad talem casum extendere, quo cedere in animæ perniciem illud posset. His Regulis positis, facilè solvi dubia reliqua de Privilegiorum interpretatione possunt.

124 Dub. 1. quomodo interpretandum sit Privilegium, quod merum favorem continet, & nec Juri communi derogat, nec in præjudicium alicujus tertii cedit? R. esse latè interpretandum. Ita Sylv. *V. privilegium q. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 27. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 5.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 10 n. 2.* Haunold. *tom. 1. de I. & I. tr. 1. n. 189.* Pirhing *hic n. 13.* Wiestner *ibid. n. 33.* Ratio est, quia sunt purum beneficium Principis, & purus favor, & gratia. atqui beneficium, gratia, & favor Principis latam interpretationem habet juxta *Reg. odia 15. in 6.* imò latissimam juxta *c. olim 16. de V. S.* ibi, *Cùm beneficia Principum sint interpretanda largissimè*, & *c. quia ex-*

ea

ca 22. h. tit. ibi, *cùm - - - in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda;* & *l. beneficium 3. ff de Const Princip.* ibi, *Beneficium Imperatoris - - - quàm plenissimè interpretari debemus.* Et hoc verum est etiam, quando ampla interpretatio cedit in præjudicium concedentis privilegium *c. quia circa cit.* ubi *Glossa* addit rationem, *Ne excogitata fraude suæ obviet liberalitati.*

125 Dub. 2. quomodo interpretandum sit Privilegium Juri communi vel consuetudini, secundùm, aut præter istud introductæ derogans? R. regulariter esse strictæ interpretationis. Ita Sylv. *V. privilegium q. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 27. n. 5.* Sanch. *l. 8. de matr. D. 1. n. 1. & 5.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 5.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 10. n. 2.* Haun. *tom. 1. de l. & 1 tr. 1 n. 200.* Pirhing *hic n. 14.* Sannig *c. 2 n. 3.* Wiestner *n. 35.* & apud hos *Abb. Sal. Bonacin. &c.* Colligitur ex *c. porro 7. c. sanè 9. h. tit.* & *c. cùm dilectus 8. de consuet.* Ratio est, quia Jus commune, & ejusmodi consuetudo, hoc ipso, quòd ob bonum, & utilitatem publicam introductum sit, favorabile, & quidquid ei derogat, odiosum, ac proinde juxta *Reg. odia 15. in 6.* restringendum est.

126 Addidi *regulariter;* nam excipi 1. debet privilegium, quod concessum est in favorem Religionis, & causæ piæ: hoc enim, etsi aliquo modo deroget Juri communi latè est interpretandum; nam summa est ratio, quæ pro Religione facit, ut ait Papinianus *l. sunt personæ 43. fin. ff. de relig. & sumpt. funer.* Suar. *l. cit. n. 7.* Laym. *n. 5.* Palao *n. 5.* Haun. *n. 201.* Wiestner *n. 36.* Hinc latè interpretandum est privilegium, quo eximuntur Clerici à Jurisdictione Principum Sæcularium, & Regulares à Jurisdictione Episcoporum. 2. privilegium cedens in bonum commune Reip. qualia sunt privilegia militum, & his similia, Suar. Pal. Haun. *l. citt.* Ratio est, quia favor, his personis concessus, allicit plures ad hujusmodi arduas functiones, & sic compensatur sufficienter vulneratio Juris communis, quæ fit per privilegii extensionem. 3. privilegium motu proprio, & ex certâ scientia concessum *arg. c. si motu 23. de Præb. in 6.* Suar. *n. 8.* Laym. *n. 5.* Palao *n. 7.* Haun. *n. 203.* Pirhing *n. 14.* Wiestner *n. 36.* quia sic concessum est singularis favor, & beneficium Principis, ac proinde ob ejus honorem latam interpretationem accipit. 4. privilegia inserta Corpori Juris communis, ut sunt multa privilegia, in perpetuum concessa Ecclesiis, Clericis, ac Religiosis; talia enim propriè non censentur esse contra Jus commune, cùm eo ipso, quòd istius Corpore claudantur, pars Juris communis, & istius instar favorabilia sint. Suar. *n. 8. fin.* Laym. *n. 5.* Palao *n. 6.* Haun. *num. 202.* Pirhing *n. 14.* Wiestner *n. 37.*

127 Duh. 3. quomodo interpretandum sit privilegium, quod derogat statuto, vel consuetudini speciali, aut cedit in præjudicium tertii, ejúsque juri jam quæsito derogat? R. *ad 1.* probabilius non debere extendi, modò tale statutum, vel consuetudo non contrarietur Juri communi. Suar. *l. 8. de LL. c. 28. n. 16.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 7. §. 1. n. 8.* Palao *tr. 3 D. 4. p. 10. n. 4.* licèt contrarium teneant Azor *p. 1. l. 5. c. 23. q. 2.* Salas *D. 17. sect. 8. n. 52.* Ratio clara est, quia statutum, & consuetudo est instar Juris communis, ergo præferendum est Juri speciali privilegii.

128 *Ad 2.* dico, tale privilegium, quod cedit in notabile præjudicium tertii, & huic jus quæsitum aufert, vel diminuit, esse restringendum, quantùm patitur proprietas verborum. Abb. *in c. certificari 9. de sepult. n. 9.* Sanch. *l. 8. de matr. D. 7. n. 6.* Suar. *c. 27. n. 9.* & *c. 28. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 6.* Palao *p. 10. cit. n. 8.* Haun. *tom. 1. tr. 1. n. 203.* Sannig *hic c. 2. n. 3.* Pirhing *n. 15.* Wiestner *n. 34.* Ratio est, quia Papa, vel Princeps privilegium concedens non præsumitur velle derogare, vel tollere jus alteri quæsitum, nisi hoc exprimat *arg. c. licèt 12. de offic. Ord. c. ex tuarum 5. de auth. & usf. pall. & l. nec avus 4. C. de emancip. liber.*

129 *Procedit hoc*, etsi tale privilegium derogans Juri alterius, concessum sit motu proprio; quia licèt Princeps ex gravi causa, & ob urgentem necessitatem possit alicui auferre jus suum, non tamen facilè præsumi debet idipsum velle, cùm jus positivum, & naturale postulet, ut cuique suum jus illæsum servetur, nisi publica utilitas, aut necessitas aliud postulet. Suar. *c. 27. cit. n. 9.*

Eadem ratio est, si beneficium scandali, aut litium occasionem præbeat; nam eatenus odiosum censeri debet *arg. c. quod dilecto 3. fin. de Consang. & affin.* Laym. *n. 6. cit.*

Quomodo verò interpretandæ sint Dispensationes, & privilegia, seu facultates dispensandi, dictum est *Libr. 1. Tit. 2. n. 30. & 31.*

130 Quæritur 3. an privilegium patiatur *Extensionem*? Antequam respondeam, noto, magnam esse differentiam inter Interpretationem hactenus explicatam, & inter Extensionem privilegii: nam interpretatio est de mente Legislatoris, prout hæc per verba ambigua significatur; cùm enim hæc sæpe latiorem, sæpe strictiorem significationem habeant, hinc contingit, ut quandoque strictiùs,

quandoque latiùs privilegia interpretemur. Contrà *Extensio* privilegii tunc fieret, quando constaret quidem, Legislatorem privilegia concedentem per verba privilegii non intendisse alias personas, vel casus eximere, quàm quæ personæ, & casus per verba privilegii clarè exprimuntur, quia tamen similis casus, & ratio esset, privilegium sic concessum etiam ad istum porrigeretur. His notatis

131 Dub. 1. an, & quale privilegium, & quibus casibus, item ad quos possit extendi? R. cum distinctione: si privilegium odiosum sit, extendi illud non debet, nec potest; quia odia sunt restringenda *reg. odia 15. in 6.* Si favorabile sit, extendi potest ad personas, & casus virtualiter saltem in privilegii formâ comprehensos. Sed hæc non est vera extensio, qualem *n. præc.* descripsi, sed tantùm Interpretatio *Comprehensiva.* Ita communiter omnes DD. qui proinde varias inde Illationes faciunt. Nam

132 1. Privilegium concessum Religiosis, etiam sub nomine masculino, extendi debet etiam ad fœminas Religiosas ejusdem Ordinis, modò hæ privilegii capaces sint. Rodriq. *tom. 1. regul. q. 13. n. 22.* Suar. *l. 8. de LL c. 10. n. 7.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 12. n. 1.* Ratio est, quia in illo privilegio jam satis exprimuntur, cùm ibi potiùs attendatur qualitas, quàm sexus. *Excipitur*, nisi in privilegio adderetur *Viris Religiosis*; tunc enim ad fœminas non extenderetur, ut DD. *citt.* notant nec immeritò; nam ea additione censeri debent fœminæ potiùs exclusæ, quàm inclusæ in privilegio.

133 2. Privilegium concessum Filiis potest extendi etiam ad fœminas. *Suar. Bonac. Palao l. citt.* quia nomine *Filij* etiam Filiæ intelligendæ sunt *l. cognoscere 56. l. filii 84. l. justa 201. ff. de V. S.* Contrarium tenet Pirhing *hic n. 23.* & apud hunc Joan. Monach. *in c. authoritate 4. in addit. h. tit. in 6.* eò quòd in privilegiis masculinum non concipiat fœmininum, & filia in propria & stricta significatione *Filij* nomine non veniat. Quod ego intellexero, cùm privilegium odiosum est, vel cùm dicitur. *Filiis Masculinis*; tunc enim fœminæ excludi debent, juxta DD. *citt.*

134 3. Privilegium, concessum fratribus, etiam commune est sororibus, nisi aliunde appareat restrictio; quia sub nomine *Fratrum* etiam Sorores intelligendæ veniunt *l. tres fratres 35. ff. de pact.* & *l. Lucius 93. §. quæsitum 3. ff. de Legat. 3.* Tiraquell. *l. 1. de retract. lignag. §. 1. gloss. 9. n. 200.* Suar. *n. 7.* Bonac. *n. 4.* Palao *n. 1. cit.*

4. Non tamen privilegium concessum filiis etiam extendendum est ad Nepotes. Rebuff. *in l. liberorum 220. ff. de V. S.* Barbos. *in l. maritum n. 80. ff. solut. Matr.* Ratio est, quia etsi benigna Juris interpretatione *Filiorum* sæpe etiam nepotes veniant *l. justa cit.* regulariter tamen, & juxta verborum proprietatem non continentur §. *fin. Inst. qui testam. tutor. dar. l. quid si nepotes 6. ff. de testam. tutel.* Unde aliter de mente concedentis constare debet, ut etiam ad istos privilegium extendi possit; aliàs procedet Regula communis, quòd privilegia personalia non egrediantur personas, ad quas diriguntur, nec extendantur ultra verborum proprietatem. Suar. *c. 11. n. 6.* Palao *n. 1. cit.* 135

5. Nec socius privilegiati gaudet privilegio socii, nisi huic privilegium aut inutile, aut grave fieret, si socius eo uti non posset *arg. c. quidam 32. h. tit.* Abb. *in c. 10. de Judæis n. 1.* Sylv. *V. privilegium q. 6.* Suar. *c. 11. cit. n. 7. & 8.* Pirhing *hic n. 23.* Reiffenstuel *ib. n. 101.* Dixi, *nisi inutile, aut grave fieret.* Hinc siquis ob debilitatem oculorum privilegium habeat unâ, vel alterâ horâ post prandium recitandi Matutinum prò crastino, posset illud etiam cum eo recitare Socius, nec tenebitur hic dein repetere: & ratio est, quia intelligitur datum eo modo, quo communiter recitari potest, & solet, potest autem recitari cum socio, quem tamen non facilè inveniret sic privilegiatus, si socius sic recitando non etiam ipse satisfaceret, ne igitur cum magno suo incommodo cogatur solus recitare, aut privilegium fiat inutile, dicendum est, hoc casu illud etiam extendi ad Socium. 136

Dub. 2. an privilegium extendi possit etiam ad personas non expressas in forma privilegii? *Ratio dubitandi est* 1. quia privilegium celebrandi tempore Interdicti, concessum Sacerdoti, extenditur etiam ad ministrum, & privilegium audiendi Sacrum eodem tempore Interdicti, concessum domino, communicatur etiam ejusdem servis. *c. licèt 11. V. cùm conceditur h. tit. in 6.* at nec minister sub nomine Sacerdotis, nec Servi sub nomine Domini exprimuntur, ergo privilegium extendi potest ad alias personas non expressas. 2. eodem modo privilegium Nobilitatis concessum marito extenditur ad uxorem, & concessum Patri ad filios. *l. fœminæ 8. ff. de Senator.* & *l. si ut proponitis 1. C. de Dignit.* sed æquè parùm filius sub nomine Patris, aut uxor sub nomine mariti expressa censetur, quàm sub nomine Domini Servus, aut sub nomine Sacerdotis minister venit, ergo &c. 3. quod uni conceditur, aliis denegari non debet *can. fin. §. si igitur dist. 5.* 137

Sed

138 Sed his non obſtantibus, dicendum, non extendi, niſi ad perſonas vel formaliter, vel virtualiter ſaltem expreſſas in privilegio. Ita Rodriq. *tom. 1. Reg. q. 13. art. 22.* Suar. *c. 8. de LL. c. 10. n. 5. & c. 28. n. 11.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 12. n. 1.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 206.* Pirhing *hic n. 20.* Sannig *c. 2. n. 4.* Wieſtner *n. 39.* Reiffenſtuel *n. 98.* & apud hos Everh. *Leg. arg. loc. à Speciali n. 1.* Bald. *in c. inter cæteras 4. de Reſcript. n. 9.* Berojus *in c. 1. de Probat. n. 20.* Fagn. *in c. quia nonnulli h. tit. n. 2. & 25.* ſumitur ex *c. ſanè 9. h. tit.*

139 *Ratio eſt* 1. quia tota efficacia privilegii pendet ex intentione concedentis, quæ intentio ſignificatur verbis. ergo ultra expreſſionem verborum non debet fieri extenſio: & hinc eſt, quod communiter dicitur, *Privilegia valere tantum, quantum* ſonant. 2. quia quæ per privilegium conceduntur, non debent trahi ab aliis authoritate, vel potiùs temeritate propria in exemplum; *non enim, quod uni ſigillatim conceditur, ſtatim omnibus convenit*, prout habetur *can. hinc eſt 39. cauſ. 16. q. 1.* ubi Gloſſ. *V. ſigillatim* ait, quòd privilegium conceſſum uni non extendatur ad alios, & privilegia ſingulorum communem Legem facere non poſſint. 3. privilegium eſt jus ſingulare, & ſequitur perſonam priuilegiatam, cúmque illa extinguitur, & propterea ab una perſona non tranſit ad aliam, juxta *reg. in omnibus 68. ff.* & *reg. privilegium 7. in 6.* Abb. *in c. ſanè cit. n. 1.*

140 Neque aliud probant Argumenta contraria. *Ad 1.* dico, ibi relatos jam eſſe virtualiter expreſſos in privilegio; nam privilegium concedens intendit concedere commodum ejus uſum, & conſ. concedere cenſetur omnia, quæ vel ex præcepto, vel ex conſuetudine annexa ſunt uſui talis privilegii. atqui ex præcepto Eccleſiæ connexum eſt, ut Sacerdos non celebret ſine miniſtro, & ex conſuetudine, ut dominus non audiat Sacrum ſine famulorum comitatu. ergo &c. *Ad 2.* nobilitas illa, quam maritus, aut pater ex officio, habet ſolùm tamdiu, quamdiu officio illo fungitur, ad uxorem, & filios non transmittitur: ſed ſolùm illa, quæ marito, vel patri conceditur in perpetuum; hæc autem ad uxorem, & filios tranſit, non ex vi privilegii, quo maritus, & pater nobilitantur ſed, ex Juris diſpoſitione per *l. citt.* unde potiùs confirmatur noſtra ſententia; nam exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis.

141 Dub. 3. an privilegium ad caſus, loca, & perſonas, in privilegii forma non expreſſas, extendatur ſaltem tunc, quando ſimilis, vel efficacior pro his eſt ratio? Videtur extendi ſic poſſe. Nam 1. id videtur pluribus exemplis conſtare; ſic enim privilegium conceſſum ad diſpenſandum in Votis extenditur etiam ad jurata; & qui diſpenſare poteſt in Votis, poteſt etiam illa commutare; qui teſtamentum poteſt concedere, poteſt etiam facere Codicillum, & donare mortis cauſâ; item Clericus, qui ex privilegio percipere poteſt fructus Beneficii ſui, dum abſens eſt cauſâ audiendi Theologiam, eosdem percipere poteſt etiam, cùm audit Jus Pontificium &c. 2. Leges ob ſimilitudinem rationis extendi poſſunt. ergo etiam privilegia, quæ ſunt Leges privatæ. 3. ipſe Pontifex, æquitatis ſimilitudine provocatus, *c. cum dilectæ 4. de conſ. util. & inutil.* extenſionem privilegiorum fecit. 4. *c. ex parte 27. de Decim.* privilegium percipiendi Decimas de laboribus terræ Parochiarum ſuarum conceſſum Religioſis extenditur ad Novalia, ex ratione; *quia*, ut ibi Pontifex loquitur, *ubi majus conceditur, minùs conceſſum eſſe videtur. 5. c. per venerabilem 13. pr. qui pr. qui fil. legit.* Pontifex probat, diſpenſationem illegitimo conceſſam ad actus Spirituales etiam extendi ad temporales; quia *quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur & in minori.*

142 Ob. aliqua ex his Argumentis Sanch. *l. 8. de Matr. D. 1. n. 33. & ſeqq.* admittit, in favorabilibus admitti Argumentum à majori, ſaltem quando caſus, in quo diſpenſatur, rationem expreſſam conceſſionis continet. Liberalior adhuc eſt Emm. Sà *V. gratia n. 18.* ubi abſolutè dicit, privilegia extendi ad actus ſimiles. *Sed non eſt diſcedendum* à communi Sententia, quàm expreſsè tenent Salas *D. 20. de LL. ſect. 11. n. 110.* Suar. *l. 8. de LL. c. 28. n. 11.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 7.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 7. §. 1. n. 15. & §. 2. n. 11. & 12.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 13. n. 1.* Haun. *tom. 1. tr. 1. n. 206.* Sannig *hic c. 2. n. 4.* Pirhing *n. 20.* Reiffenſt. *n. 98.*

143 *Ratio eſt* manifeſta; quia tota efficacia privilegii non ex ratione, ſed ex voluntate concedentis, per verba privilegii conceſſi ſignificatâ, pendet. igitur licèt fortaſſe eadem ſit utrobique ratio, ſi tamen verba caſum, vel perſonam ſimilem non comprehendant, ad illos privilegium extendi non debet. *Conf. 1.* nam privilegium eſt Lex quædam privata, quam Princeps alicui concedit ob ſpecialem rationem. ergo etiamſi eadem, vel etiam efficacior ratio ſit in alio, non propterea inferri poteſt, Principem illi conceſſiſſe

privilegium, sed solùm, quòd dignus sit privilegio. *Conf. 2.* si ob similitudinem rationis liceret extendere privilegia, nihil esset in privilegiis firmum, & plures frui privilegio possent, quàm Princeps intenderet.

144 Et hæ rationes probant non tantùm in odiosis, ubi jus ipsum jubet restrictionem, sed etiam in favorabilibus: imò etiam si sit causa pia; alioquin privilegia, concessa uni Religioni, possent extendi ad aliam æqualem, vel strictiorem, ob solam paritatem rationis: quod est falsum, cùm nemo possit talem extensionem facere, nisi Papa communicationem privilegiorum concesserit. *Neque obstat*, quòd ratio in his expressa reperiatur etiam in aliis personis, vel casibus; quia si hoc sufficeret ad privilegii extensionem, sequeretur, quòd casu, quo dispensatum est cum Titio ad plura Beneficia ob ejus merita, hoc ipso etiam dispensatum esset cum Cajo, habente similia, vel majora merita.

145 Neque contrarium efficaciter probant Rationes, & Argumenta *n. 141.* allata. *Ad 1.* ibi non fit extensio privilegii propriè dicta, & *n. 130.* descripta, sed potiùs Interpretatio, qua declarantur facultates istæ contentæ in verbis privilegii, servatâ adhuc propriâ verborum significatione; nam sub facultate dispensandi in Votis continetur etiam facultas ea commutandi, & sub licentia testandi comprehenditur facultas condendi Codicillos, & donandi mortis causâ tanquam accessorium sub principali. *Ad 2.* nunquam Lex extenditur ad casum non comprehensum Lege: si verò juxta casum decisum in Lege alius à Judice decidatur ob similem rationem, id non ex necessitate fit, sed ex quadam æquitate, & convenientia. *Ad 3.* extensio ibi facta est voluntate Pontificis, non tam declarando, quàm constituendo novum Jus: secus est de personis privatis, quæ privilegiis utuntur; nam istæ hujusmodi extensionem privata authoritate non possunt facere. *Ad 4.* eo textu non fit extensio de uno casu ad alium, sed declaratur, quòd privilegium, Abbati concessum ad percipiendas Decimas, se etiam extendat ad Novalia. *Ad 5.* Discursus ille, ut notat Haun. *l. cit. n. 207.* non est Pontificis, sed supplicantis, & in Rescripto solùm refertur per modum causæ dubitandi, ut patet legenti. Deinde in illo discursu non dicitur, quòd potestas legitimandi ad Spiritualia ob rationis paritatem extendi possit ad legitimandum quoad temporalia; sed potiùs, quòd per interpretationem una, & minor sit inclusa in altera, in qua eminenter continetur, sicut in privilegio dispensandi in Votis diximus contineri potestatem, ea commutandi.

§. V.

De Privilegiorum Amissione.

SUMMARIUM.

146. *Modi, quibus Privilegia amittuntur.*
147. &c. *Quomodo amittantur interitu subjecti, cui illa inhærent?*
150. &c. *An finiantur etiam morte concedentis?*
155. &c. *Quibus casibus?*
159. &c. *An, & quomodo cessent lapsu temporis?*
166. &c. *Et cessatione causæ, ob quam concessa sunt?*
176. *Quot modis renuntiari privilegio possit?*
177. &c. *An amittatur etiam per Renuntiationem expressam?*
180. &c. *Requisita, ut per istam amittatur?*
183. &c. *An, & quando Prælatus cum Capitulo renuntiare privilegio possit?*
186. &c. *An privilegium tollatur per non usum?*
189. &c. *Quænam privilegia sic tollantur?*
191. &c. *Requisita, ut sic tollantur?*
193. &c. *Quando privilegium amittatur usu, aut actu contrario?*
197. &c. *Quomodo per abusum?*
202. &c. *Referuntur diversi excessus Privilegiatorum in usu privilegiorum suorum.*

146 OCto præcipuè modis amitti Privilegia possunt. 1. pereunte, vel destructo ipsorum subjecto, cui inhærent *Reg. in omnibus 62. ff.* & *Reg. privilegium 7. in 6.* 2. lapsu temporis, pro quo concessum est *arg. c. de causis 4. de Offic. Deleg.* & *l. quoties 2. C. de Precib. Imper. offer.* 3. cessante causâ *c. cùm cessante 60. de Appell.* 4. libera renuntiatione ipsius privilegiati *c. si terra 6. fin. h. tit. 5.* non usu *arg. l. nundinis 1. C. de nundin.* 6. usu, vel actu contrario. DD. *in c. cùm accessissent de Const. c. si de terra cit.* & *c. accedentibus 15. h. tit.* 7. abusu *can. ubi ista 7. dist. 74. can. privilegium 63. caus. 11. q. 3. c. tuarum 11. §. verum, c. ut privilegia 24. pr. &c. h. tit.* 8. denique revocatione concedentis. Wiestn. Quæ-

147 Quæritur 1. quomodo privilegia amittantur interitu subjecti, scilicet personæ, aut rei privilegiatæ? R. cum distinctione: Vel enim privilegium est *personale*; & tunc cum persona extinguitur: vel est *reale*; & tunc manet, manente re, ea intereunte, & ipsum interit. *Ratio primi membri* est, quia privilegium personale cohæret personæ, eámque sequitur. *Reg. in omnibus 68. ff.* & *Reg. privilegium 7. in 6.* ac proin ad hæredes, vel successores non transit. *Reg. 196. ff. Ratio secundi*; quia sicut privilegium personale adhæret personæ, ita reale adhæret rei: & hinc necesse est, re intereunte, etiam ipsum perire.

148 *Secundum* tamen hoc membrum non est accipiendum indistinctè; potest enim res privilegiata, e. g. Templum, Monasterium, Domus &c. destrui vel Superioris authoritate, vel casu solùm, aut subitâ ruinâ, aut per belli injurias. *Si primum*, dispiciendum est, an destructio facta sit authoritate Superioris cum spe reædificationis; & tunc privilegium manet: vel sine reædificationis spe; & eo casu cum re destructa etiam ipsum amittitur, quia tollitur ipsius fundamentum.

149 *Si secundum*, iterum distingui debet; nam si privilegium hujusmodi concessum sit ipsi solo, seu pavimento; & tunc cum isto etiam manet privilegium. Si verò directè respiciat ædificium e. g. Domum, Monasterium &c. & tunc per destructionem ædificii suspenditur quidem privilegii usus revivisc it tamen eo reparato *arg. l. cùm loca 56. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Si autem concessum sit Communitati, quæ hìc, & nunc est in tali loco, tunc ista privilegium suum, quocunque devenerit, transfert: & sic quando Superioris authoritate Ecclesia, Academia, Civitas &c. de uno loco transfertur in alium, privilegia per hujusmodi mutationem non amittit, sed secum transfert *can. & temporis 48.* & *can. seq. caus. 16. q. 1. c. quia Monasterium 2. de Relig. Domib.* Gloss. *in Reg. privilegium cit. V. eod.* Azor *p. 1. l. 5. c. 22. q. 11.* Suar. *l. 6. de LL. c. 5. n. 4. & seqq.* Zœs. *hic n. 43.* Engl *n. 14.* Pirhing *n. 198.* König *n. 26.* Wiestner *n. 41.* Reiffenstuel *n. 171. & seqq.* Ratio est, quia hæc privilegia sunt perpetua, & tamdiu durant, quamdiu durat fundamentum illorum. ergo si fundamentum privilegii sit solum, seu pavimentum, cum hoc manet; si ædificium, cum hoc destructo suspenditur; si communitas, cum hac transit, quocunque illa transierit.

150 Dub. 1. an privilegium finiatur morte concedentis? R. regulariter non amitti. Suar. *l. 8. de LL. c. 31. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 18.* Vallens. *hic §. 1. n. 4.* Engl *n. 15.* Pirhing *n. 171.* König *n. 27.* Reiffenstuel *n. 167.* Ratio est, quia Regula generalis est, quòd gratia semel rite obtenta non cessat, vel finatur per mortem concedentis, per *c. si super 9. de Offic. Deleg. in 6.* & *c. si cui 36. de Præb. eod.* atqui privilegium est quædam gratia; quia continet favorem ejus, cui datur, ergo &c. *Conf.* privilegium est quædam liberalis donatio, atqui donatio semel facta non exspirat per mortem donantis. ergo nec privilegium.

151 *Procedit hoc 1.* non tantùm de privilegio perpetuo, sed etiam de eo, quod concessum est pro limitato aliquo tempore; hoc enim non perit, quousque finiatur tempus. Sanch. *l. 8. de Matr. D. 28. à n. 50.* Suar. *l. 8. c. 32. n. 10.* Palao *tr. 3. D. 4 p. 16. §. 5. n. 1.* & alii ab his *citt.* Ratio est, quia est gratia facta pro illo tempore, e. g. anno.

152 *Procedit 2.* non solùm in privilegio merè favorabili, sed etiam in odioso, per quod derogatur Juri communi, vel præjudicatur Juri alterius privati. Suar. *c. 31. n. 2.* Pirh. *n. 171.* Ratio est, quia Jura absolutè loquuntur de gratia, nec distinguunt, num alteri præjudicet, nec ne.

153 *Procedit 3.* etiamsi Superior privilegium concedens decesserit, re adhuc integra, i. e. antequam privilegiarius cœperit uti privilegio suo. Suar. *c. 31. n. 5.* Engl *n. 15.* Pirhing *n. 171. cit.* Ratio est, quia in *citt.* Juribus, quæ loquuntur de gratia, non additur limitatio. ergo neque à nobis addenda est, præsertim cùm gratias potiùs ampliare oporteat.

154 *Neque obstat*, quòd Rescriptum Justitiæ, sive ad lites, quo delegatur Jurisdictio contentiosa fori externi, exspiret morte delegantis casu, quo res adhuc est integra; nam hoc de Rescriptis Justitiæ specialiter in Jure decisum est *c. gratum 20.* & *c. licèt 30. de Offic. Deleg.* quod proinde ad gratias, & privilegia, quæ favorem continent, extendi non debet, ut rectè notant Suar. & Pirhing *l. citt.*

Dixi autem in Responsione, privilegium non finiri regulariter per mortem concedentis; nam absolutè amitti potest. Et hinc ulteriùs

155 Dub. 2. quibus casibus finiatur privilegium per mortem concedentis? R. 1. amittitur, cùm exprefsè hæc conditio privilegio concesso addita est, *Quamdiu vivero*, seu *pro tempore vitæ meæ*; si enim Privilegium concedere Princeps potest absolutè, illud etiam concedere potest sub quacunque conditione. Suar. *l. 8. de LL. c. 32. n. 1.*

156 2. Expirat per se loquendo morte concedentis, quando Princeps illud concessit sub terminis, *usque ad beneplacitum*

tum noſtrum. Suar. *c. 32. cit. n. 2.* Laym. *tr. 4. c. 23 n. 17.* Palao *tr. 3. D. 4. c. 16. §. 5. n 3.* Valenſ. *hic §. 1. n. 4.* Pirhing *n. 172.* König *n. 27.* Reiffenſtuel *n. 169.* Ratio eſt, quia per talia verba limitatur privilegium ad vitam concedentis ; ſignificant enim perſeverare Privilegium , quamdiu perſeverat voluntas concedentis. iſta autem cum vitâ finitur. ergo & privilegium. Aliud dicendum , quando Princeps privilegium conceſſit ſub terminis , *Quamdiu non revocavero ;* nam ſic conceſſum , ſi concedens in vita illud non revocavit , etiam poſt mortem durat. Suar. *l. cit. n. 6.* Pirhing *num. 172.* Reiffenſtuel. *n. 170.* Ratio eſt , quia actus revocationis eſt poſitivus , & affirmativus. igitur ſi à concedente , dum viveret , non eſt exercitus , Privilegium manet ; ſemper enim verum eſt, quòd nondum data ſit revocatio, ſub cujus unius exiſtentia ex mente dantis tolleretur privilegium. Dixi autem, *perſe loquendo ;* nam ut Gaill. *l. 2. obſ. 60. n. 16.* Laym. *in c. 5. fin. de reſcript. in 6.* Palao §. *5. cit. n. 5.* Pirh. *n. 172.* obſervant , uſu hodie obſervatur , ut privilegia etiam illa , quæ Princeps *ad beneplacitum ſuum* conceſſit , morte concedentis non extinguantur : cujus rei Laym. *l. cit.* non aliam rationem reddi poſſe exiſtimat, quàm quòd verba hæc, *Concedimus ad beneplacitum noſtrum*, benignè explicari poſſint , ita , ut Princeps intendat ſolùm cavere , & admonere , quòd Privilegium non tranſeat in contractum, ſeu pactum , & per talem conceſſionem nullam ſibi , aut Succeſſoribus ſuis obligationem imponat, ſed liberam ſibi privilegium revocandi poteſtatem reſervet: quæ conditio, etſi privilegiis , & gratiis ſuapte naturâ inſit, obeſſe tamen non poteſt , imò plurimum quandoque prodeſt ad omnem dubitationem tollendam , juxta illud vulgatum : *Abundans cautela non nocet*, & *reg. non ſolent 94. ff.*

157 3. Expirat privilegium , ſeu gratiâ morte concedentis , re adhuc integra, ſi ſit gratia non facta , ſed facienda per executores. Gloſſ. *fin. in c. 36. de Præb. in 6.* Laym. *c. 23. cit. n. 18.* Palao *p. 16. §. 2. n. 1.* Engl *hic n. 15.* Pirhing *n. 171.* König *n. 27.* Ratio eſt , quia tunc Princeps nihil adhuc conceſſit, ſed ſolùm poteſtatem dedit concedendi. igitur mirum non eſt , quòd re integra talis gratia morte concedentis exſpiret , cùm etiam exſpiret commiſſio facta executori ad gratiam concedendam. Idem dicendum , quando concedens quidem non moritur , ſed Jurisdictio in ipſo ceſſat. Suar. *l. 8. de LL. c. 31. n. 1.* Sanch. *l. 8. de matr. D. 28. n. 64.* Palao *p. 16. §. 4. n. 1.* & alii apud iſtos. *Excipitur* , niſi commiſſio hæc facta ſit in favorem ipſius Commiſſarii, vel Delegati ; tum enim poteſtas concedendi gratiam in Commiſſario non exſpirat morte concedentis , ut colligitur ex *c. ſi cui 36. de præb. in 6.* & notat *ibi* Barboſ. *n. 1.* Ratio eſt , quia reſpectu Commiſſarii eſt gratia facta.

Ex his DD. plurimos caſus inſe- 158
runt, in quibus Privilegium & gratia conceſſa , etiam re integra , poſt mortem concedentis manet. Sic enim 1. non perit morte concedentium licentia audiendi Confeſſiones pœnitentium , data à Pont. Epiſcopo , Parocho &c. quia eſt gratia facta Sacerdoti præcipuè. *Sanch. Suar. Sal. Sà , Coninck* , quos citat , & ſequitur Palao *l. cit. n. 3.* 2. Non perit ullo modo gratia tibi conceſſa , ut poſſis eligere Confeſſarium, qui te abſolvat à reſervatis , tecum diſpenſet &c. quia eſt beneficium jam poſſeſſum à te legitimè. Suar. *c. 31. n. 3. & 19.* Sanch. *n. 72. & 75.* Palao *n. 7.* 3. idem dicendum de Diſpenſationibus , quæ à Pont. committuntur cum clauſula , *Si preces veritate nitantur ;* quia ſunt gratia facta ipſi diſpenſando. Suar. *l. 6. de LL. c. 17. n. 9.* Sanch. *l. cit. n 87.* Palao *n. 8.* 4. Probabile , & in foro conſcientiæ tutum eſt , ſi tibi detur indultum, ut abſolvas aliquas perſonas determinatas, vel cum illis diſpenſes in illarum favorem , non perire indultum morte concedendis ; quia hæc poteſtas non ſolùm eſt gratia illius , cui abſolutio, vel diſpenſatio eſt concedenda, ſed etiam tua , ſiquidem tu ut magis idoneus ad hoc electus es , ut abſolutionem , vel diſpenſationem concedas. Palao *n. 5.* qui tamen addit , contrariam ſententiam eſſe communem , & in praxi conſulendam. 5. non exſpirat probabiliùs morte Pontificis mandatum, quod ab hoc datum eſt , ut providearis in aliquo Beneficio tunc vacante ; quia eo ipſo acquiſiviſti jus ad rem ad ſuprà dictum Beneficium, quod jus maxima gratia reputari debet , ac proinde morte concedentis non ceſſat. Gutier. *l. 2. can. qq. c. 17. n. 5.* Sanch. *n. 87.* Palao *n. 10.* Plures alii caſus videri poſſunt apud eundem *Palao* , & alios DD.

Quæritur 2. an, & quomodo privile- 159
gium ceſſet temporis lapſu? R. tempus privilegii durationi à concedente aſſignari poteſt vel determinatum , e. g. ad decennium, vel indeterminatum e. g. ad tempus vitæ concedentis , vel ipſius privilegiati : quomodocunque autem tempus à concedente privilegii durationi datum ſit, eo lapſo extinguitur: & ratio eſt manifeſta; quia privilegium vim ſuam omnem à concedentis voluntate accipit. igitur ſi iſte ultra tempus à ſe ſtatutum Privilegium durare non vult , privilegium ultra illud durare non poterit.

Idem

160 Idem dici debet de privilegio conceſſo dependenter ab aliqua conditione; quia tale privilegium virtualiter in ſe continet tempus, non quidem certum, & determinatum, ſed indeterminatum, ita, ut tamdiu duret, quamdiu duraverit ipſa conditio, atque ideo ſublata conditione, etiam perditur privilegium, cùm tempus finitum ſit, pro quo conceſſum eſt. Suar. *l. 8. de LL. c. 29. n. 5.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 17.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 14. n. 2.* Pirhing *hic n. 167.* Wieſtner *n. 42.* Reiffenſtuel *n. 182.* Hinc fit, ut quando Clericus, vel Monachus ſtatum mutat, non ampliùs gaudeat privilegiis Statûs Clericalis, vel Monaſterii; quia hæc ipſi conceſſa ſunt, quamdiu manſerit in eo Statu.

161 Faciendum tamen eſt neceſſariò diſcrimen inter conditiones, adjectas; nam aliquæ earum ſeſe tenent ex parte conceſſionis, aliæ ex parte privilegii, aliæ ex parte uſûs privilegii. Si *ex parte conceſſionis* ſe teneat conditio, privilegium, eâ ſublatâ, manet; quia ſolùm requiritur conditionis exiſtentia, ut daretur, non autem, ut datum conſervaretur. Et hinc ſi Pontifex Monaſterio concedat privilegium, quo eximitur à ſolvendis Decimis, ſub conditione, ſi Epiſcopus conſentiat, conſentiente ſemel Epiſcopo, privilegium manet firmum, etſi is poſtea voluntatem mutet, & diſſentiat. Palao *l. cit.* *Si ex parte privilegii* conditio ſe tenet, quia e. g. Pontifex concedit privilegium, quamdiu exiſtit conditio, pereunte conditione, privilegium perit, niſi conditio ſit ex iis, quæ ſemel ſublatæ facilè redire poſſunt; tunc enim ſuſpenditur ſolum quoad uſum, ut fit, quando Clericus Statum mutat, & Matrimonium init; nam ſi ſoluto per mortem conjugis Matrimonio, iterum faciat, quæ ſunt Clerici, iterum recuperat privilegia Clerici. Si denique conditio ſolùm appoſita eſt *uſui privilegii*, privilegium quidem manet, conditione illa ceſſante, ſed uſus illius illicitus redditur. Palao *l. cit.*

162 *Dubitatur*, an, ſicut lapſu temporis finitur privilegium ad tale tempus conceſſum, ita etiam finiatur privilegium, vel gratia, abſolutè conceſſa ad aliquid agendum, vel omittendum, per exercitium talis actûs, an verò ſe ad plures extendat? Non poteſt hìc eſſe quæſtio de caſu, quo clara ſunt verba concedentis de unico actu; neque etiam de caſu, quo clarè datur poteſtas de pluribus actibus: nam in primo caſu certum eſt, privilegium, vel gratiam finiri unico actu; altero caſu autem extendi ad plures.

163 *Difficultas* ſolùm eſt de caſu, quo verba ſunt ambigua, ita, ut ad unum actum limitari, vel extendi ad plures poſſint. Non conveniunt DD. Nam 1. aliqui cum Sanch. *l. 8. de Matr. D. 31. n. 8.* Salas *D. 20. de LL. ſect. 19. n. 127.* Suar. *l. 8. de LL. c. 29. n. 8.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 8. §. 2. n. 2.* putant, privilegium, ſeu gratiam non finiri unico actu per ſe loquendo, niſi ceſſet omnino cauſa, ob quam fuit conceſſum. *Ratio* ipſorum eſt, quia quando diſpenſatio, gratia vel privilegium pro unico ſolùm actu datur, ſignificari hoc clarè in privilegii verbis ſolet; additur enim, *per hoc tantùm vice, ſemel in vita, vel in morte &c.* igitur cùm ſignificatio dubia eſt, privilegium ad unicum actum limitari non debet.

164 *Secunda* ſententia diſtinguit, & concedit, eo caſu privilegium, aut gratiam finiri unico actu in odioſis, non autem favorabilibus. Ita Felin. *in c. 2. de Treug. & Pac.* Navar. *in can. placuit de pœnit. diſt. 6. n. 166.* Henriq. *l. 12. de matr. c. 5. à n. 7. in Comment. lit. U.* Azor *p. 1. l. 5. c. 23. q. 5.* & favet Bartol. *in l. fin. ff. de Conſt. Princip. n. 6.* eſtque ſententia hæc, teſte Palao *tr. 3. D. 4. p. 14. n. 6.* communis.

165 Sed ipſe Palao *l. cit. n. 7.* init tertiam viam, &, ut ego quidem exiſtimo, rectè; dicit enim totam perſeverantiam privilegii, & hujus dubii deciſionem pendere ex intentione, quâ fuit conceſſum. Putat autem, hanc intentionem inveſtigari poſſe ex motivo, & cauſa, ob quam fuit conceſſa gratia, vel privilegium; nam ſi cauſa, ob quam conceſſum eſt Privilegium, ſpeciali alicui uſui privilegii annexa, nec aliis communis eſt, privilegium, uſu eo finito, ceſſat; quia ſolùm pro illo uſu conceſſum præſumitur. At ſi concedatur ob finem, qui pluribus actibus communis eſſe poteſt, quantumvis odioſum ſit, non limitandum, ſed ad plures actus extendendum eſt, niſi contrarium expreſsè conſtet ex verbis Principis privilegium concedentis: & ratio eſt, quia privilegia non ſunt reſtringenda extra proprietatem verborum, & materiam ſubjectam. Limitatio autem ad unum actum extra proprietatem verborum eſt, quando verba plures comprehendunt. ergo &c. Videatur Palao *l. cit.*

166 Quæritur 3. quando privilegium, ceſſet, ceſſante cauſâ, ob quam conceſſum eſt? R. diſtinguendo: Vel enim privilegium hoc favorabile, vel odioſum eſt, quia Juri communi, vel alterius privati derogat. *Si favorabile eſt*, & continet merum favorem Principis, illud manet, etiam ceſſante cauſa; quia ut rite, & licitè concedatur, vel non requiritur cauſa, vel ſi requiratur, requiritur ſolùm, ut honeſtè, & prudenter concedatur, non verò, ut conſervetur; nam ut *reg. 16. in 6.* habet, *decet conceſſum à Principe beneficium*

esse mansurum. Suar. *l. 8. de LL. c. 30. n. 2.* Pirhing *hic n. 169.* Wiestner *n. 44.* Reiffenstuel *n. 185.*

167 *Si odiosum est*, videndum, an jam sit integrè concessum, vel non. *Si nondum integrè concessum est*, tunc quando causa finalis omnino cessat, nulla fit privilegii ipsius concessio *arg. c. cùm cessante 60. de Appell.* Abb. *in c. 9. n. 5. de Decim.* Menoch. *l. 4. præsumpt. 189. circa fin. n. 196. & 197.* Sanch. *l. 8. de matr. D. 30. n. 8. & 9.* Suar. *l. cit. n. 1.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 15. n. 1.* Pirhig *n. 168.* Ratio est, quia cessat intentio concedentis, quæ est concedere privilegium ob finem illum. Intelligi autem hoc debet, si causa illa non sit *impulsiva* tantùm, quæ secundariò solùm movet, sed *principalis*, sine qua Princeps privilegium nullo modo concessisset; nam intentio concedentis alligatur causæ finali principaliter intentæ. ergo quidquid sit de impulsivâ, & secundariâ, illa subsistent, subsistet gratia. Reiffenstuel *n. 184.*

168 *Si privilegium sit plenè, integrè & perfectè concessum*, considerandum an unico actu consummetur, an verò tractum successivum habeat. *Si unico actu consummetur*, eo consummato, non cessat privilegium, vel gratia, etiam quoad effectum; quia *factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari*, ut habet *Reg. 73. in 6.* Tiraquell. *tr. cessant. caus. p. 1. limit. 12.* Menoch. *l. 4. præsumpt. 189. n. 166.* Sà *V. gratia n. 6.* Sanch. *n. 10.* Suar. *n. 4.* Gutier *l. 2. qq. can. c. 15. n. 30.* Pirhing *n. 169.* König *n. 29.* Wiestner *n. 45.* Reiffenstuel *n. 186.* Et hinc fit, ut casu, quo cum Irregulari v. g. dispensatur ob ejus paupertatem ad Beneficium, & Ordines, etsi is postea Beneficio acquisito, dives fiat, Dispensatio tamen maneat; quia scilicet jam habuit consummatum effectum: item ob similem rationem, si quis dispensationem obtinuit in Voto Castitatis ad contrahendum Matrimonium ob tentationes, si eæ tentationes, contracto Matrimonio, deinde cessent, non obinde fit illicitus illius usus.

169 *Si verò privilegium tractum successivum habeat*, iterum distinguendum est, an scilicet causa, quæ principaliter concepentem movit ad concedendam gratiam, vel privilegium, cesset contrariè, an solùm negativè. *Contrariè* tunc cessare causa finalis dicitur, quando privilegii usus propter materiæ, vel circumstantiarum mutationem factus est iniquus, vel injustus, ita, ut verè incipiat in grave detrimentum aliorum, vel communitatis cedere. *Negativè* cessat, quando non existit quidem ampliùs concedendi ratio, privilegii tamen concessi usus iniquus, aut inhonestus non est.

Si contrariè cessat causa, etiam privilegium quoad actus futuros amittitur. Et sic cessat privilegium non residendi in Ecclesia Beneficii, quando ob absentiam privilegiatorum Ecclesia pateretur defectum Ministrorum; item cessat privilegium colligendi Decimas ex districtu alicujus Parochiæ, si inde Ecclesia Parochialis necessariis destitueretur proventibus *arg. c. cùm ad hoc 16. de Cler. non resid. c. suggestum 9. de Decim. c. quanto 16. de Censib. c. quid per novale 21. fin. de V. S. & l. ex facto 43. pr. ff. de vulg. & pupill. substit.* Palao *l. cit. n. 8.* Gonzal. *in c. suggestum cit. n. 4.* Wiestner *n. 46.* Ratio est, quia privilegium concessum de re illicita, nullum est. ergo etiam, si usus illius fiat illicitus, cùm eadem sit ratio in conservatione, quæ est in incepta tione, seu prima concessione, cùm nunquam dari facultas ad illicitum faciendum possit. Idem est, quando privilegium vergere incipit in majus detrimentum ipsius privilegiati; quia, ut *Reg. 61. in 6.* habet, *quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* 170

Si negativè duntaxat causa finali cesset, non cessat propterea privilegium. Et sic perseverat privilegium colligendi Decimas ex certo districtu, concessum Monasterio ob paupertatem, etiamsi illud cum tempore locupletatum habeat reditus abundantes; item Clericus, ex dispensatione obtinens, plura Beneficia ob tenuitatem illorum, licitè ea retinet, etiamsi successu temporis singula sustentationem congruam Beneficiato præbeant. Suar. *l. cit. n. 7.* Engl *n. 20.* Pirhing *n. 169.* Wiestn. *n. 46.* Reiffenst. *n. 187.* 171

Dubitatur, an privilegium, gratia, vel dispensatio exspiret, quando causa dispensationis, aut gratiæ integrè cessat, antequam illa producatur ad effectum integrum? Sanch. *l. 8. de Matr. D. 30. n. 14.* plures referens, existimat, Dispensationem, & gratiam eo casu cessare, vel saltem suspendi, usque dum causa redeat, ob quam fuit concessa. Movetur 1. *can. generaliter 40. caus. 16. q. 1. c. tuæ 12. de Cler. non resid. c. Abbatis 25. fin. de V. S.* ubi revocatur gratia, & privilegium, cessante causâ, absque discrimine. 2. *l. Gratus Antoninus 72. §. sed cùm duo ff. de Fidejuss.* ubi quædam fidejussoris obligationes extinguuntur, & redditur ratio his verbis, *ut, quemadmodum incipere aliàs non possunt, ita nec remaneant:* ex quo Gloss. *V. remaneant* infert, *quod impedit faciendum, destruere quoque factum.* Id autem, quo impedit gratiam faciendam, est defectus causæ, ergo illius defectus etiam destruit factam. 3. faciliùs tollitur Jus speciale, i. e. privilegium, quàm Jus commune, sed Jus commune, cessante 172

sante causa finali, cessat, ut apud omnes compertum est. ergò à fortiori etiam privilegium. 4. actus non operantur ultra intentionem agentium *c. quemadmodum 25. de Jurejur.* atqui in omni Dispensatione subintelligitur conditio, *si causa permaneat;* aliàs iniquus dispensator esset, si permanere gratiam vellet casu, quo prorsus cessaret causa.

173 Sed meliùs, ut inter privilegia *n. 169.* ita nunc inter causas gratiæ, vel dispensationis concessæ distinguitur; nam aliquæ integræ existunt, quando conceditur gratia: aliæ tractum successivum habent, ut ipsa Dispensatio. *Si tractum successivum causa habeat*, ut in dispensatione de esu carnium in Quadragesima ob infirmitatem, recitationis Horarum ob debilitatem oculorum &c. cessante causa, cessat Dispensatio; & conf. qui rursum convaluit, debet iterum abstinere à carnibus, qui restitutos habet oculos, tenetur iterum recitare Breviarium &c. & ratio est, quia dispensatur in obligatione solum tamdiu, quamdiu fuerit causa, infirmitas, oculorum debilitas &c.

174 *At si tractum successivum non habet*, sed tota existit tum, quando conceditur gratia dispensatio, vel privilegium, nullo modo hoc cessat ob causæ cessationem. Sylv. *V. Dispensatio q. 6.* Tiraquell. *tr. cessant. caus. pr. n. 92. & 94.* Sà *V. Gratia n. 6.* Suar. *l. 8. de LL. c. 30. n. 12.* Sa as *D. 20. sect. 6. n. 67.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 15. num. 22.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 15. n. 7.* Ratio est, quia privilegium tale, ut ponitur, fuit absolutè concessum. igitur non dependet à causa futura, sed ab existente concessionis tempore; nam per hoc privilegium absolutè concessum distinguitur à conditionato, quòd hujus duratio commensuretur durationi conditionis, sub qua conceditur. *Conf.* quia per hoc, quòd Princeps legitimè dederit privilegium, privilegiarius acquisivit jus utendi privilegio. sed jus semel quæsitum non revocatur ex cessatione causæ, ob quam fuit priùs concessum, ut optimè aliis relatis docet Menoch. *l. 4. præsumpt. 189. n. 197.* ergo &c.

175 Neque contrarium evincunt Rationes *n. 172.* oppositæ. *Ad 1.* in textibus *citt.* clarè agitur de causa habente tractum successivum; nam *can. generaliter* agitur de immunitate Clericorum ab omni Tutela, & Curatela, *c. tuæ* de privilegio Clericorum absentium à loco Beneficii tempore studiorum, *c. Abbatis* potestas eligendi Abbatem conceditur, donec ibi viguerit disciplina Regularis. atqui clarum est, has causas habere tractum successivum; nam fructus Præbendarum indulgentur absentibus causâ Studiorum, quamdiu his occupantur, & Clerici à Tutela, & Curatela immunes sunt tantùm, quamdiu Officiis Divinis vacant, nec divagantur. *Ad 2.* obligatio ibi extinguitur, quia pervenit ad statum, à quo incipere non potuit, non propter cessationem causæ finalis, sed propter circumstantiam advenientem, vi cujus obligationis usus iniquus redditur. dixi autem *n. 170.* ex tali circumstantia tolli privilegium, cùm licere non possit, quod illicitum est. Et sic etiam intelligenda est *Glossa*, dum dicit, quod impedit faciendum, destruere jam factum, nempe quando impedimentum est honestati contrarium; non verò quando est impedimentum præcisè ob cessationem causæ. *Ad 3.* etsi facilius sit mutari privilegium, quàm legem, non tamen sequitur, quòd privilegium cessare debeat, quando Lex cessat: Lex enim cessat, cessante causâ ejus finali; quia tunc inutilis redditur: privilegium verò, etsi causa cesset, ob quam fuit concessum, adhuc est utile privilegiato. *Ad 4.* si privilegium concedatur absolutè, mens concedentis est, ut privilegiatus eo utatur, etiam cessante causa, ob quam fuit concessum. Neque idcirco peccat, qui sic concedit privilegium; quia etiam causa transiens, & temporalis honestare potest concessionem, & privilegium perpetuum.

176 Quæritur 4. quot modis renuntiari privilegio possit? ℟. dupliciter; nam duplex esse potest Renuntiatio privilegii, Expressa, & Tacita. *Expressa* est, quæ fit per pactum, aut verbis expressis; *Tacita*, quæ Juris interpretatione censetur fieri per non usum privilegii, aut usum contrarium. De hac sermo erit duabus sequentibus Quæstionibus. De priore

177 Dub. 1. an privilegium amittatur per Renuntiationem expressam, à Privilegiario factam? ℟. distinguendo; nam si privilegium alicui personæ particulari in ipsius solius favorem concessum sit, per renuntiationem liberam, & expressam amittitur; quia liberum est unicuique juri suo renuntiare *c. si de terra 6. fin. h. tit. l. siquis 29. C. de Pact.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 20.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 17. n. 1.* Engl *hic n. 17.* König *n. 29.* Reiffenst. *n. 188.*

178 At si privilegium principaliter concessum sit in favorem Communitatis, Dignitatis, vel loci, e. g. Civitatis, Ecclesiæ, vel Monasterii, non possunt personæ particulares cum ejusdem præjudicio privilegio renuntiare, ne Juramento quidem. Laym. Palao *l. citt.* Reiffenstuel *n. 190.* & communis aliorum: & ratio est, quia non sunt bona propria cujusque *l. Jus publicum 38. ff. de Pact.* Ad hæc reducitur, si privilegium sit pluribus pro indiviso concessum; tunc enim, quia unus non potest Juri alterius præjudicare, nullus eorum in

particulari potest renuntiare privilegio, quod cum cæteris ita commune habet. Palao *n. 1. cit.*

179 Atque hinc 1. non potest ullus Clericus etiam pro se renuntiare privilegio Canonis, & Fori *c. si diligenti 12. de for. compet. c. contingit 36. de Sent. Excomm.* quia hæc privilegia concessa sunt in favorem totius Ordinis, seu Statûs Clericalis. Palao *l. cit. n. 2.* & alii omnes. 2. nec Religiosi renuntiare possunt privilegiis suæ Religioni concessis, ut privilegio Exemptionis, sine consensu Papæ, qui eos ab Ordinariorum Jurisdictione exemit, & suæ gubernationi, ac protectioni immediatè subjecit, per *c. cùm tempore 5. de Arbitr.* & urget ratio, quæ in priore exemplo. 3. etiam filiusf. renuntiare nequit privilegio, quod ipsi concessum est per S. C. Macedonianum, ut non possit ex mutuo pecuniæ obligari, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 35. n. 18.* & ratio est, quia non in favorem ipsius tantùm, sed præcipuè in favorem parentum concessum est, quorum indemnitas per privilegium istud intenditur. 4. idem dicendum de Minoribus; nam neque isti renuntiare possunt beneficio restitutionis in integrum, nisi aut veniam ætatis petant à Principe, aut juramentum addant, se non usuros hoc privilegio, quod juramentum tamen relaxari potest. Videantur dicta *Libr. 1. Tit. 41. de in integr. restit.*

188 Dub. 2. quid requiratur, ut Privilegium tollatur per Renuntiationem expressam? R. 1. requiritur, ut fiat voluntate libera h. e. non coactâ, ipsius renuntiantis, quâ sponte, & volens velit abdicare, à se privilegium, & jus per hoc sibi quæsitum, vel in totum, si sit totius privilegii, vel in parte, si sit renuntiatio alicujus partis Privilegii. Palao *tr. 3. D. 4. p. 17. n. 5.*

2. Accedere debet potestas renuntiandi; nam si potestatem renuntiandi non habet, voluntas renuntians nulla est, & nullum habet effectum, ut in casibus *n. præc.* allatis vidimus.

181 3. Si renuntiatio cedit in aliorum utilitatem, quia scilicet renuntiatione jus aliis confertur, vel remittitur, ut contingit in privilegio non solvendi Tributa, exigendi Decimas &c. tunc requiritur etiam acceptatio ejus, cujus interest, quæ nisi accedat, revocabilis est renuntiatio, sicut quævis alia donatio, usque dum à donatario acceptetur. Gloss. *in c. 3. V. obtulit, de eo, qui mittitur in possess.* Bald. *ibid. n. 8.* Suar. *l. 8. de LL. c. 33. n. 14. & seqq.* Palao *p. 17. cit. n. 6.*

182 4. Si verò privilegium sit ex illis, quæ solum spectant privilegiarium, nec alteri damnum inferunt; ut sunt Privilegium eligendi Confessarium, recitandi Breviarium ante horas consuetas, comedendi carnes diebus prohibitis &c. probabiliùs non amittitur privilegium, nisi accedat consensus illius, qui dedit Privilegium; & hinc donec acceptata ab hoc sit renuntiatio, privilegiatus à se factam revocare, & privilegio suo, ut antè, uti potest *arg. c. licèt 7. de Procurat. in 6.* Sanch. *l. 8. de matr. D. 32. n. 2.* Salas *D. 20. de LL. sect. 19. n. 128.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 8. §. 4. n. 3.* Suar. *c. 33. n. 18.* Palao *n. 8.* Zœs. *hic n. 34.* Pirhing *n. 173.* Wiestner *n. 47.* Reiffenstuel *n. 189.* Ratio est, quia jus privilegii pendet à voluntate concedentis, & acceptatione ejus, cui conceditur, ergo quamdiu voluntas concedentis manet, & renuntiationem privilegii nondum acceptavit, potest is, cui conceditur privilegium, non obstante sua renuntiatione, se resolvere ad illud retinendum.

Dub. 3. an, & quando Prælatus cum 183
Capitulo, vel Conventu renuntiare privilegio possit? R. distinguendo: Vel enim privilegium, de cujus renuntiatione agitur, est utile Communitati, vel indifferens, aut inutile, aut etiam noxium. *Si noxium communitati fiat*, renuntiatione non indiget, sed per seipsum cessat; quia, ut *in Reg. 61. in 6.* dicitur, *quod ob grâtiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Reiffenst. *hic n. 197.*

Si inutile, vel indifferens sit, renun- 184
tiare illi Prælatus cum Capitulo potest, juxta *c. cùm accessissent 8. de Constit. c. pro illorum 22. de Præb.* modò talis renuntiatio non cedat in Ecclesiæ, vel aliorum præjudicium; nam privilegio Ecclesiæ nemo potest renuntiare *arg. c. contingit 1. de sent. Excom.* Fagn. *in c. inter alia n. 82. de Immun.* Reiffenst. *n. 196.*

Si utile sit, & honorificum; etiam 185
unus solus aliis de Capitulo contradicere, & renuntiationem impedire potest. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 20.* Pirhing *n. 174.* Reiffenstuel *n. 196.* post *Innoc. Abb. Alex. de Nevo &c.* Requiretur ergo, ut renuntiatio fiat de communi omnium consensu, qui si accedat, tenebit renuntiatio; quia & hic Regula locum habet, quòd favori suo ij, quibus competit, renuntiare possit *arg. c. pro illorum cit.* & docet Laym. *in c. cùm accessissent cit. n. 12. de Constit.*

Quæritur 5. an privilegium tollatur 186
per non usum? *Ratio dubitandi* est, quia si per non usum privilegium tolleretur, tolleretur ideo, quia talis non usus vel indicat tacitam renuntiationem, vel quia occasionem dat, ut gravatus privilegio adversùs privilegiatum præscribat. *Primum* dici non potest; quia potest privilegiatus privilegio suo non velle uti ob alios fines. igitur non statim præsumi potest, quòd eo non utatur animo renuntiandi. Deinde

de etsi præsumeretur ejusmodi voluntas renuntiandi, tamen, ut *n. 182.* dictum est de renuntiatione expressa, non statim per ejusmodi renuntiationem tolleretur privilegium, sed opus foret acceptatione ejus, qui privilegium dedit; tacita enim non habet majorem vim, quàm expressa. *Sed neque alterum dici potest*, quòd scilicet non usus sit occasio præscriptionis; nam imprimis in privilegiis, quæ in aliorum gravamen non cedunt, non datur præscriptio, hoc ipso, quia uti ijs privilegiatus potest, quando libet: in aliis verò, quæ in gravamen aliorum cedunt, præscriptio videtur tolli à concedente privilegium; nam in privilegiarii voluntate constituit usum privilegii. Sed quòties usus privilegii remittitur privilegiarii voluntati, plures non contemnendi DD. putant, non posse adversùs privilegiatum præscribi, ergo &c. *Conf.* non usus rei propriæ non tollit hujus dominium, ergo nec privilegium. *Ant.* patet; aliàs, qui non utitur pecuniâ, aut veste sua, hoc ipso dominium illarum perderet: quod est falsum; requiritur enim, ut, si vestem, aut pecuniam velis non ampliùs tuam esse, illam à te abjicias, & quasi pro derelicta habere velis *l. si res 1.* & *l. seq. ff. pro derelict.* igitur quamdiu privilegium à te non abjicis, quod renuntiatione debebat fieri, non poteris illud per non usum amittere.

187 Sed his non obstantibus, dicendum, privilegium per non usum amitti posse. Ita post *Abb. Felin, Decium* docet Azor *l. 5. c. 4. q. 8.* & *c. 42. q. 8.* Salas *D. 17. de LL. sect. 13. à n. 63.* & *D. 19. sect. 20. n. 115.* Suar. *l. 8. c. 34. n. 2.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 3.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 18. n. 1.* Engl *hic n. 19.* & hoc teste omnes. Potéstque hoc fieri aut vi tacitæ renuntiationis, aut vi præscriptionis. *Vi tacitæ renuntiationis* quidem; quia is, qui sciens, & volens non utitur privilegio, dum uti deberet, & posset, meritò censetur abdicâsse illud: neque hic opus est alia acceptatione dantis privilegium, quàm quæ dispositione Juris habetur; in id enim, quod Juris est, consentire omnes videntur. *Vi præscriptionis* autem; quia si contra Leges, cur non etiam contra privilegia præscribi possit, cùm etiam ipsæ sint Leges privatæ?

188 Ex quo patet Responsio ad *Rationem dubitandi.* Quod additur, quasi privilegiario ad ipsius voluntatem remittatur privilegii usus, universaliter verum non est; certum enim est, quòd concedens privilegium sæpe addat expressè verba, quibus usum privilegii relinquit liberum voluntati privilegiarii, & quòd hæc verba non addantur frustra. Essent autem frustra, & sine effectu appositа, si in omni privilegio subintelligerentur, & subintellecta haberent vim excludendi præscriptionem, igitur dicendum, quòd tum solùm excludant præscriptionem adversùs privilegium pro vita privilegiati, quando expressè adduntur; at quando conditio illa subintelligitur tantùm, liber quidem est usus privilegii per se loquendo (quia nemo cogitur uti gratiâ specialiter sibi concessâ,) sed si tempus, ad præscriptionem requisitum, transierit, privilegium per ejusmodi non usum cessabit. *Ad Conf.* dico, non usum privilegii, quando deberet, & posset eo uti privilegiarius, esse abjectionem illius interpretativam, quæ causam dedit, ut Leges præscriptionem inducerent. Videtur igitur omnino certum, quòd privilegia per non usum amitti possint. *Difficultas* solùm est, quænam sic amitti possint: atque hinc

Dub. 1. quænam privilegia amittantur per non usum? 189 *R.* distinguendo inter ea, quæ in aliorum gravamen redundant, & inter illa, quæ non redundant in aliorum gravamen, sed in mera facultate aliquid agendi consistunt, uti est privilegium dicendi Missam ante auroram, comedendi carnes in Quadragesima, pro Horis Canonicis recitandi Officium B. V. *Posteriora* solo non usu, quantocunque tempore continuato, non amittuntur. Gloss. *in c. 24. V. semel in anno b. tit.* Rodriq. *tom. 2. Reg. q. 49. art. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 34. n. 17.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 22.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 18. n. 3.* Engl *hic n. 19.* Pirhing *n. 176.* König *n. 29.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 209.* Ratio est, quia si amitterentur per purum non usum, amitterentur vel per viam præscriptionis, vel pel viam tacitæ renuntiationis. non primo modo; quia nemo contra hujusmodi privilegia potest præscribere, cùm nemini onerosæ sint, & alios non respiciant: non secundo modo; qui quilibet potest uti, vel non uti privilegio suo pro libitu, & solus non usus non est sufficiens signum volentis renuntiare privilegio. Neque obstat *l. nundinis 1. ff. de nundin.* ubi privilegium nundinarum spatio decennii per non usum amittitur; nam hoc fit ideo, quia vel inter onerosa privilegia reputatur, ut habet Gloss. *in c. 24. b. tit.* vel quia tali conditione à Principe concessum est, ut per non usum intra decennium amitteretur. Cæteræ Leges, & Jura, quæ amissionem privilegii propter non usum statuunt, loquuntur solùm de privilegiis, quæ in gravamen aliorum cedunt, ut legenti constabit: ex his autem, cùm restrictio privilegiorum sit odiosa, ad privilegia merè gratiosa non debet fieri extensio; sed & diversa est horum ratio; nam privilegia merè gratiosa, ut *suprà* dixi, præscriptioni non subjacent.

Aliter discurrendum est *de Priori* 190 *genere* privilegiorum, seu de ijs, quæ onus, & gravamen afferunt alteri; nam ista amit-

tuntur per non usum privatorum voluntarium, & liberum, oblatâ scilicet occasione utendi privilegio: & hoc tum per viam tacitæ renuntiationis, tum per viam præscriptionis. Gaill. *l. 2. obs. 60. n. 2.* Azor *p. 1. l. 5. c. 22. q. 8.* Suar. *l. 8. de LL. c. 34. n. 5. 6. & 16.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 21.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 18. n. 4.* Pirhing *hic n. 175.* König *n. 29.* Reiffenst. *n. 204.* & sumitur ex *l. nundinis 1.* junct. Gloss. *V. tempore ff. de Nundin.* Ratio est, quia etiam illæ obligationes, & Servitutes, tam reales, quàm personales ita amittuntur per non usum; nam sic amittit jus eundi, vel currum agendi, per alienum fundum, qui longo tempore, occasione oblata, hoc suo jure non utitur; item Dominus Feudi amittit jus exigendi obsequia à Vasallo, si longo tempore, etiam cùm posset, & occasio se offerret, illa non exigat &c.

191 Dub. 2. quid requiratur, ut per non usum tollatur privilegium, alteri gravamen, vel onus afferens? R. duo requiruntur 1. ut iste non usus sit voluntarius, & liber, ac proinde, ut privilegiatus eo usus non sit, cùm utendi occasio fuit; nam si aut occasio utendi nulla se obtulit, aut privilegiarius obstitâ uti non potuit, sive propter absentiam, aut ignorantiam inculpabilem, sive propter infirmitatem, aut alterius violentiam, per ejusmodi non usum merè negativum, etsi longissimi temporis, privilegiarius privilegium non amittit; quia non usus iste liber non est, & cons. nequit præsumi, quòd procedat ex animo renuntiandi privilegio. Et hinc, qui jus gladii ex Principis privilegio habet, illud non amittit, etsi longissimo tempore ex defectu occasionis non fuerit usus privilegio: sic pariter non perdit privilegium, & jus exigendi obsequia à Vasallo Dominus directus Feudi, si illa non exegit, quia iis non indigebat: Item manet Universitati privilegium promovendi ad Gradus Doctorales, etsi longissimo tempore, eò, quòd nullus esset, qui promoveri vellet, aut dignè posset, in eâdem ad Gradus istos promotus fuerit. Gaill. *l. cit. n. 4. & seqq.* Azor *q. 8.* Laym. *n. 21.* Palao *n. 2.* Pirhing *n. 175.* König *n. 29.* Reiffenstuel *n. 205. & duob. seqq.* Monent tamen hic DD. absentiam occasionis non debere esse voluntariam; nam si Judex habens jus gladii maleficos capitis reos studiosè non capiat, ne eos afficere debeat extremo supplicio, aut Universitas causam Scholasticis dederit, quare nolint promoveri, amittunt privilegia; quia tunc idem est, acsi nollent privilegiis suis uti, & sic fit iste non usus interpretativa abdicatio privilegii.

192 2. Requiritur lapsus temporis: & quidem, ut per non usum viâ tacitæ renuntiationis sublatum censeatur privilegium, requiritur, ut tantum tempus lapsum sit, ex quo præsumatur animus se abdicandi privilegio: ut verò viâ præscriptionis, opus est, ut iste non usus continuatus liberè fuerit per tempus ad præscriptionem requisitum, scilicet inter præsentes per decennium, inter absentes per vicennium, & aliquando per tempus longius, prout dictum est *ad Libr. 2. Tit. 26. à n. 100.* Menoch. *l. 6. præsumpt. 41. fin.* Suar. *c. 34. cit. n. 20.* Pont. *l. 8. de Matr. c. 18. n. 23.* Wiestner *hic n. 49.*

Quæritur 6. quando privilegium ne- 193
gativum amittatur usu, vel actu contrario? R. etiam hìc distinguendum esse inter privilegia merè gratiosa, & inter onerosa aliis. Privilegia, quæ *merè gratiosa* sunt, & nemini præjudicium afferunt, ut est Privilegium non jejunandi in Quadragesima, non recitandi Horas Canonicas &c. non tolluntur solo usu contrario: & hoc verum est, sive deinde unus solùm, sive plures ponantur actus contrarii. Ita Suar. *l. 8. de LL. c. 35. n. 22.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 23.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 8 §. 6. n. 5.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 19. n. 1.* Pirh. *hic n. 183.* Wiestn. *n. 50.* Reiffenstuel *n. 213.* Ratio est, quia ex non usu, seu usu contrario non potest præsumi renuntiatio istorum privilegiorum; potest enim habens privilegium non jejunandi, vel non dicendi Horas Canonicas jejunare, vel orare, non quasi obligatus Lege, aut animo renuntiandi privilegio, sed ex devotione tantùm, vel ob alios fines, adeóque sine præjudicio privilegii sui. Adde, etsi præsumi posset renuntiatio facta, ex illa tamen non adimeretur privilegium, sed mutare voluntatem suam renuntians posset, quamdiu renuntiatio nondum est acceptata à concedente, ut *suprà n. 182.* dictum est de Renuntiatione expressa.

Aliter sentiendum est de Privilegiis 194
negativis, quæ *aliis onerosa* sunt, & præjudicium afferunt, uti sunt immunitas à solvendis Decimis, vel Tributis, exemptio à Jurisdictione Ordinarii &c. nam hæc amittuntur per usum contrarium privilegio: fierique hoc potest vel viâ præscriptionis, si nimirum post actum contrarium, sine protestatione factum, decurrat legitimum tempus ad præscriptionem sufficiens, & necessarium: vel per tacitam renuntiationem; qui enim sciens, & volens exercet actum contrarium privilegio, præsumitur in foro externo renuntiare velle privilegio suo. Suar. *l. cit. n. 7.* Laym. *n. 23.* Palao *n. 3.* Pirhing *n. 178.* Reiffenstuel *n. 213.*

Porro ut per hujusmodi actum con- 195
trarium inducatur tacita renuntiatio, requiritur 1. ut actus iste sit factus ab ipsomet privilegiato; nam si ab alio fieret, non tolleretur privilegium. Suar. *l. cit. n. 3.* Pirhing *n. 179.* Reiffenstuel *n. 216.* 2. actus iste debet esse Voluntarius, & quidem fieri animo renuntiandi privilegio: hinc si-

quis

quis expreſsè proteſtetur, quòd per ejusmodi actum privilegio renuntiare non velit, aut ſi ignoret, illum contrarium privilegio eſſe, per eundem non amittitur privilegium. Reiffenſt. *n. 214. & 2. ſeqq.* 3. actus, qui exercetur contra privilegium, debet eſſe directè contrarius toti privilegio quoad totam facultatem: & hinc privilegium habens tractum ſucceſſivum non ſtatim tollitur unico actu etiam quoad uſum illius impoſterum, niſi completa ſit præſcriptio. Abb. *in c. 8. de Conſt. n. 8.* Felin. *ibid. n. 9.* Laym. *ibid. n. 11.* Suar. *l. cit. n. 10.* Pont. *l. 8. de Matr. c. 18. n. 27.* Wieſtner *hic n. 52.* Aliud eſt, ſi privilegium tale ſit, quod unico actu perficitur, & effectum non iterabilem habet; nam hoc viâ renuntiationis tacitæ per unicum actum contrarium tollitur, ut communiter docent DD. *in c. cùm acceſſiſſent 8. de Conſt. c. ſi de terra 6. & c. accedentibus 15. h. tit.* & ratio eſt manifeſta; quia in tali caſu renuntiatio pro uno actu eſt renuntiatio privilegii ſimpliciter, & abſolutè, cùm totum privilegium in uno actu conſiſtat. 4. Privilegium tale debet eſſe, cui contra privilegium operans derogare, & renuntiare etiam expreſsè poſſit; aliàs etſi plures etiam actus illi contrarios faciat, privilegium per eos actus non tolletur. Abb. *n. 8. cit.* Felin. *n. 28.* Laym. *n. 12.* Suar. *n. 5. & 8.* Pirhing *n. 181.* Ratio eſt, quia is, qui non poteſt per expreſſam renuntiationem tollere privilegium, neque per tacitam illud poteſt, exercendo actus illi contrarios; nam expreſſi, & taciti eſt eadem vis: imò major efficacia eſt expreſſæ renuntiationis, quàm tacitæ, cùm verbis illa hæc factis duntaxat fiat.

196 Ut præſcribatur adversùs privilegium negativum, requiritur decennium inter præſentes, vicennium inter abſentes, niſi privilegiatus ſit Eccleſia, Monaſterium &c. *Quodſi privilegiatus ſit Eccleſia, Monaſterium* &c. requiritur tempus longius: quantum verò illud eſſe debeat, dubium eſt. Et *rationem dubitandi* facit *c. ſi de terra 6. h. tit.* ubi dicitur, quòd privilegium non ſolvendi Decimas, competens Ciſtertienſium Ordini *per c. ex parte 10. & c. nuper 34. de Decim.* amiſſum ſit ſolutione earum, per annos 30. ab iſtius Ordinis Monaſterio continuata. Sed dicendum, requiri annos 40. Ita Suar. *c. 35. cit. n. 21.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 26. n. 18.* Gonzal. *in c. ſi de terra cit. n. 7.* Wieſtner *hic n. 53. & duob. ſeqq.* ex Regula generali *c. de quarta 4. c. ad aures 6. & c. illud 8. de præſcript.* & præcipuè *c. accedentibus 15. h. tit.* ubi alleganti præſcriptionem adversùs privilegium tale imponitur onus probandi temporis quadragenarii. Neque obſtat *c. ſi de terra* in contrarium allegatum; quia ibi ſolùm agitur de amiſſione privilegii viâ renuntiationis, quæ ex Decimarum ſolutione, à privilegiatis, Juris ſui ignorantiam non habentibus, triginta, imò paucioribus, & ſecundùm multos decem duntaxat annis ſine ulla interruptione, & proteſtatione continuatâ, præſumitur, cùm tam ſupinus non facilè quisquam ſit, ut ſolutionem, à qua ſe privilegio eſſe immunem novit, tot annis ſine ulla proteſtatione præſtet.

Quæritur 7. quomodo amittatur pri- 197
vilegium per abuſum? R. cum diſtinctione; poteſt enim abuſus privilegii, ſive culpa in uſu illius triplici modo contingere. 1. per exceſſum, ſiquis utatur privilegio contra intentionem concedentis, illud ultra illius limites extendendo ad tempus, locum, materiam, vel perſonam non conceſſam. 2. ſumendo ex illo occaſionem delinquendi, ſicut contingeret, ſi exemptus liberiùs delinqueret, aut alteri injuriam inferret ſpe immunitatis, vel difficilioris conventionis concepta ex privilegio. 3. contra ejus indulti finem agendo, ſicut ageret Canonicus, vel alius Beneficiatus, obtinens privilegium non reſidendi in ſua Eccleſia ad proſequendum litterarum ſtudium, ſi hoc inſuper habito, tempus otio tereret, & inutilibus, atque à privilegii ſine alienis exercitiis inſumeret.

Quocunque ex his tribus modis pri- 198
vilegiatus privilegio ſuo abutatur, meretur illud amittere, ut habetur *can. ubi 7. diſt. 74. c. licèt 18. de Regular. c. ut privilegia 24. h. tit. c. contingit 45. de ſent. Excomm.* & alibi paſſim, docentque Suar. *l. 8. de LL. c. 36. à n. 4.* Salas *D. 17. ſect. 13. n. 67.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 24.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. ult. n. 2.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 20. n. 3.* Engl *hic n. 16.* Pirh. *n. 185.* Reiffenſt. *n. 176. & ſeqq.*

Si primo modo per exceſſum privile- 199
giatus abutatur privilegio ſuo, meretur illo privari, & defacto alquando privatur vel ex toto, vel ex parte, prout Lex diſpoſuerit: & ſic eligens indignum, pro illa vice privatur poteſtate eligendi, ut habetur *c. gratum 2. de poſtulat. Prælat. c. cùm in cunctis 7. §. fin. & c. cùm Wintonenſis 25. de Elect.*

Si ſecundo modo, accipiendo occaſio- 200
nem delinquendi, meretur privari quidem privilegio ſuo; at non eſt privatus ipſo facto, ſaltem ante ſententiam declaratoriam criminis, ut colligitur ex *c. contingit cit.* ubi Clericus incedens ſine habitu, & tonſura, ut occaſionem liberiùs vivendi habeat, non amittit privilegium Clericale, quousque ter monitus ſit.

Si tertio modo, privilegium eo mo- 201
do ceſſat, quo modo ceſſat finis, & fundamentum privilegii. Si finis ſolùm ceſſat quoad aliquem actum, privilegium ſolùm ceſſabit pro illo actu; ſi in totum ceſſat, pri-

privilegium quoque cessabit in totum. Sed hæc cessatio non est in pœnam abusûs, sed ob defectum finis à privilegio intenti, atque adeò ex natura rei: & sic ipsâ naturâ rei amittit privilegium Clericale Clericus, qui ad Statum Matrimonialem transit, & Laicè vivit; item perdit privilegium lucrandi fructus Beneficii sui absens Studiorum causâ, si ille non vacet Studiis &c.

202 Porro Excessuum, quos privilegiati in usu privilegiorum suorum committunt, exempla varia referuntur in Jure Pontificio: potissimi verò Religiosorum sunt; cùm enim hi pluribus privilegiis à Sede Pontificia præ cæteris instructi sint, pronum est, eos magis in usu eorum excedere. Occasionem prohibitionum sequentium maximè dederunt Templarii, & Hospitalarii, qui in multis excedebant. Præcipua afferam capita.

203 1. Igitur excedere Religiosi possunt, si Ecclesias, vel Decimas de manu Laicorum sine Episcopi consensu recipiant *c. cùm & plantare 3. h. tit.* jubenturque sic receptas dimittere, nisi legitimè præscripserint, vel postea consensum Episcopi obtinuerint *c. cura 11. de Jur. Patron.* Gloss. *in c. 3. cit. V. aliquo tempore.* Host. *ibid.* Fagnan. *n. 2.* Pirh. *hic n. 131.* Quod tamen quoad Decimas non absque discrimine intelligendum, sed distinguendum est, an Laici justè, & cum consensu Pontificis eas Decimas obtinuerint, an verò injustè. *Si justè*, consensu Episcopi eo casu opus non est; cùm enim per ejusmodi concessionem separentur omnino à bonis Ecclesiasticis, & Laicales fiant, sicut alia sua bona, ita & Decimas ejusmodi donare Religiosis possunt, vel etiam vendere propria authoritate, & non requisito consensu Episcopi. *Si verò injustè*, interest, an Laicus Decimas injustè detineat sine titulo, vel cum titulo ab inferioribus Prælatis habito. *Si ex titulo aliquo*, Religiosi eas à Laicis possunt accipere, accedente consensu Episcopi, idque ex permissione Ecclesiæ, & Juris Canonici *c. cùm Apostolica 7. de his, quæ à Prælat.* sic enim utilitati Ecclesiæ consulitur, dum ejusmodi Decimæ ad usus Ecclesiasticos revocantur *can. fin. caus. 16. q. 1.* junct. *c. statuto 2. §. sanè de Decim. in 6. Si sine titulo*, nullo modo illas etiam sponte oblatas Religiosi à Laicis possunt accipere, sed hi debent illas dimittere, & restituere illi, ad quem de Jure pertinent: & ratio est, quia nulla potestas Laicis competit disponendi de rebus Ecclesiasticis *c. fin. de reb. Eccl. non alien.* & pro non dato habetur, quod datur ab illo, qui non potest donare *c. quod autem 5. de Jur. Patron.* Et hoc procedit, etiamsi talis donatio facta sit cum consensu Episcopi; quia consensus Episcopi nihil novi dare potest, sed datum ab alio, qui dare potest, confirmat, juxtà Regulam traditam *c. inter dilectos 6. §. cæterùm de fid. Instrum.*

2. Excedunt Religiosi, & privile- 204
giati, si Excommunicatos, & nominatim interdictos ab Episcopis non evitent, sed ad Divina recipiant; nam Excommunicatus, & Interdictus in una Ecclesia, vel Diœcesi, censetur ubique Excommunicatus, & Interdictus, ita, ut vitari debeat tanquam Excommunicatus etiam à non subditis, & privilegiatis *c. cùm & plantare cit. § excommunicatos.* Host. *ibid.* Abb. *n. 1.* Fagnan. *n. 4.* Pirhing *n. 133. Neque obest*, quòd exempti sint à Jurisdictione Ordinariorum, qui tulerunt Excommunicationis sententiam; quia privilegium Exemptionis, etsi faciat, ut excommunicari nequeant ab Ordinariis, non tamen facit, ut non debeant alios Excommunicatos vitare: & ratio est, quia obligatio eos vitandi non ex Jurisdictione Ordinarii excommunicantis, sed ex dispositione Juris communis provenit, cui etiam Exempti subjacent, Suar. *D. 18. de Censur. sect. 1. n. 8.* Barbos. *in c. cùm & plantare cit. n. 14.* Pirhing *n. 133. cit.*

3. Excedunt, si in Ecclesiis suis 205
quæ pleno jure, i. e. quoad temporalia, & Spiritualia ad ipsos non pertinent, cùm vacaverint, Presbyteros Parochiales constituant, & eos Episcopis non præsentent instituendos *c. cùm & plantare cit. §. in Ecclesiis*, Fagnan. *n. 5.* nam etsi rationem rerum temporalium ab hujusmodi Presbyteris Religiosi ejusmodi possint exigere, præsentare tamen eos Episcopo debent, ut ab hoc instituantur, & curam accipiant, sicque institutos, inconsultis iisdem Episcopis, removere non possunt. Quoad Ecclesias, quæ pleno jure, scilicet quoad temporalia simul, & spiritualia subjectæ ipsis Religiosis sunt, facienda est distinctio: Vel enim populus etiam est illis subjectus, ita, ut quasi Episcopalem Jurisdictionem in eum exerceant; vel contrà ipsæ quidem Ecclesiæ extemptæ sunt, non tamen populus à Jurisdictione Episcopi Diœcesani. *Si primum*, liberam tales Religiosi potestatem habent instituendi, & destituendi Clericos in illis Ecclesiis, etiam sine consensu Episcopi loci, ut colligitur arg. à sensu contrario ex *cit. §. in Ecclesiis*, & notat *ibi* Gloss. *V. pleno jure. Si secundum*, Religiosi exempti habent quidem liberum jus conferendi, vel instituendi Rectorem in illis Ecclesiis, debent tamen institutum præsentare Episcopo, ut ab eo curam accipiat.

4. Excedunt, si scienter in locis in- 206
terdictis Divina celebrent, vel celebrari faciant, nisi secundùm permissionem Jùris, scilicet submissa voce, & januis clausis: item si ibi alios, quàm Confratres suos fepeliant *c. cùm & plantare cit. §. quodsi.* Mul-

to

to magis excedunt, ſi publicè ad Divina Officia, Sacramenta, & Sepulturam admittant Excommunicatos, & perſonaliter interdictos *c. ad hæc 5. h. tit. c. Epiſcoporum 8. eod. in 6.* Jubétque Alexander III. ſic ſepultos extra Cœmeteria ejici, modò poſſint oſſa eorum ab aliorum fidelium oſſibus diſcerni *c. ſacris 12. de ſepult.* & niſi fortè petierint abſolvi, & per eos non ſteterit, quo minùs fuerint abſoluti. Gloſſ. *in c. adhæc cit. V. ejiciant.* Ratio eſt, quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis communicare debemus. *c. adhæc, & c. ſacris citt.* Exempti autem, qui contra hanc prohibitionem fecerint, præter alias pœnas Jure ſtatutas, interdicuntur ingreſſu Eccleſiæ, donec competenter ſatisfecerint, ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſerunt. Dixi autem, *Exempti*, nam hæc pœna non eſt extendenda ad non exemptos, ut Pirhing *n. 144.* notat, quamvis Gloſſ. *in c. Epiſcoporum cit. V. ingreſſum* contrarium teneat.

207 5. Excedunt, ſi in Oratoriis ſuis privatis campanas habeant, eásque publicè pulſent, prout habetur *in c. patentibus 10. h. tit.* nam habere campanam publicam, eámque pulſare publicè eſt ſignum loci publici, & ſacrati. Dixi, *In Oratoriis privatis*; nam in Eccleſiis, & Oratoriis publicis licet, & conſtat ex *c. nimis 16. de Exceſſ. Prælat.*

208 6. Si in Eccleſia polluta celebrent, antequam reconcilietur. Et hi ſuſpenduntur, non quidem ipſo Jure, ſed per ſententiam *c. tuarum 11. h. tit. c. is qui 18. de Sent. Excomm. in 6.* Abb. *hic n. 5.* Unde diſcrimen eſt cum eo, qui celebrat in Eccleſia interdicta; nam hic ipſo Jure ſuſpenſus eſt ab Officio, & Beneficio *c. fin. de Exceſſ. Prælat.* Pirhing *n. 139.*

209 7. Si Presbyteros, ab officio per Epiſcopum ſuſpenſos, ad Divina Officia reſtituant, ſeu à ſuſpenſione abſolvant *c. tuarum cit.* Ratio eſt, quia ab hac, & aliis Cenſuris ab homine latis non poteſt abſolvere, niſi, qui eas tulit, vel legitimus ejus ſuperior *c. paſtoralis 11. §. præterea de Offic. Ord.* unde nulla eſt hujusmodi abſolutio.

210 8. Si Laicos, qui cum uxoribus ſuis in domibus propriis commorantur, eò quòd eis ex bonis ſuis annuatim aliquid ſolvant, ita eximere à poteſtate Epiſcoporum contendant, ut aliis ſecundùm conſuetudinem terræ, ſeu Regionis ad ſibi objecta reſpondere non teneantur. Hos Innocentius III. *in c. cùm & plantare cit.* decernit compellendos ad reſpondendum aliis, remota Appellatione.

211 9. Si Eccleſias, vel Capellas ædificent in locis non exemptis ſine licentia Ordinarii loci, vel in exemptis ſine licentia Papæ *c. autboritate 4. h. tit. in 6.* & dictum eſt *Libr. 3. Tit. 48. n. 1. & ſeqq.* Si in hoc caſu deliquerint Exempti, puniri à locorum Ordinariis poſſunt. Gloſſ. *in c. cit. V. compeſcantur*, & Joan. Monach. *V. eodem*; & Eccleſiæ ſic ædificatæ in loco non exempto cedunt Juri Epiſcopi *c. cùm olim 14. h. tit.*

212 10. Si cauſas, & lites proprias ſuorum liberorum hominum ut actores, vel defenſores aſſumant; nam hoc prohibetur *c. autboritate cit.* etiam caſu, quo tales liberi homines ipſis ſunt Cenſuales, & Cenſum annuum iisdem præſtare obligati. *Ratio* prohibitionis eſt, quia ſic redderent duriorem cauſam eorum, qui in lite ejusmodi liberis hominibus adverſantur, hoc autem non licet; quia non debet alicujus cauſa fieri deterior ex alieno facto *l. omnibus 1. ff. de alien. Jud. mut. cauſ.*

213 11. Si Religioſi aliis, quàm familiaribus ſuis Sacramentum extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ per modum Viatici miniſtrare, aut Matrimonia ſolennizare, i. e. ſolenniter benedicere ſine ſpeciali licentia Presbyteri Parochialis ſuper his obtenta præſumpſerint. *Clem. Religioſi 1. h. tit.* hi enim ipſo facto Sententiam Excommunicationis incurrunt, per ſedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendi, excepto mortis articulo. Trid. *ſeſſ. 24. c. 1. de Reform.* in Religioſos, ſine licentia Parochi ſolenniter benedicentes nuptias, addidit etiam pœnam Suſpenſionis.

214 12. Si excommunicatos à Canone, exceptis caſibus Jure expreſſis, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, aut à Sententiis per Statuta Provincialia, vel Synodalia promulgatis abſolvant. *Clem. Religioſi cit.* Hi incurrunt pœnam Excommunicationis reſervatæ Sedi Apoſtolicæ: & hæc pœna currit, etiamſi unus Religioſus abſolvat alium Religioſum; quia textus nihil excipit, & ſub verbis generalibus comprehenduntur etiam Religioſi in materia pœnali. Pirhing *n. 149.*

215 13. Si in Conventibus detrahant Prælatis Eccleſiaſticis: quod intelligendum, ſi nominatim eos perſtringant, vel per talem circumlocutionem, quæ vicem habeat proprii nominis. *Clem. 1. cit. §. quibus etiam.*

14. Si Laicos ab Eccleſiarum aliarum ingreſſu, aut frequentia retrahant; ſi Indulgentias indiſcretas, i. e. falſas & ſuppoſititias promulgent; ſi quando interſunt Teſtamentis conficiendis, Teſtatores à debitis reſtitutionibus, aut Legatis, Matricibus, i. e. Cathedralibus Eccleſiis faciendis, abſtrahant. *Clem. cit.*

216 15. Si à Caſibus, Sedi Apoſtolicæ aut locorum Ordinario reſervatis abſolvant; nam, ut declaravit *S. Congr. Conc.* apud Barboſ. *in Clem. 1. §. quibus cit. n. 19.* Religioſi, etiam Exempti, ſine authoritate, & licentia Superioris abſolvere nequeunt

queunt à Casibus, Papæ, aut etiam Episcopo reservatis.

16. Si personas Ecclesiasticas, præsertim coram Judicibus Delegatis à Papa, suam contra eos Justitiam prosequentes, in debitè vexare, aut ad loca plura, præsertim multùm remota, conveniendi causâ trahere præsumant. *Clem. cit.*

217 Omnibus his, qui à *n. 213.* positi sunt, per eandem *Clem.* imponitur pœnitentia duorum mensium, & Prælati illorum, si occasione horum excessuum acceperint aliquid, & requisiti fuerint ab iis, in quorum præjudicium ea ad Prælatos sic pervenerunt, nec satisfecerint intra mensem partibus læsis, suspensionem incurrunt ab Officio, & omni administratione.

Denique, quemadmodum non decet, privilegiatos in privilegiorum suorum usu excedere, ita etiam non oportet, ut alii privilegia Exemptorum violent: & hi, qui privilegiis alienis derogant, meritò suis privandi sunt, ut statuitur *c. dilecti 4. h. tit.* Ratio est, quia non sunt ei sua Jura servanda, qui non metuit aliena violare *can. si decet 22. caus. 25. q. 2.* Abb. *in c. 4. cit. n. 1.* Barbos. *ibid. n. 2.* ubi *n. 3.* addit, per hoc non excludi alias pœnas Jure præscriptas contra Judices negligentes in administratione Justitiæ, vel qui per dolum, aut imperitiam malè judicant: de quibus dictum est *Libr. 2. Tit. 27. n. 110. & seqq.* 218

§. VI.

De Revocatione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

219. &c. *Qualia privilegia revocari possint?*
221. &c. *An revocari possint gratis concessa subdito?*
224. &c. *An concessa eidem per contractum?*
227. &c. *Quis revocare privilegia possit?*
229. &c. *Quibus modis revocari possint?*
231. &c. *Quando derogetur privilegio per actum contrarium exercitum à concedente?*
234. &c. *An & quænam privilegia Regularium sint revocata?*
240. &c. *Quid, & cujus valoris sint vivæ vocis Oraculo concessa?*
244. &c. *Quando revocatio privilegii vim suam, & effectum habeat?*

ULtimus hic modus est, quo tolli Privilegium potest, præ cæteris tamen loco speciali dignus, quia majores, quàm circa alios, difficultates quoad eum moveri possunt.

219 Quæritur 1. qualia privilegia revocari possint? *Et 1. quidem dubitatur*, an revocari à concedente, vel hujus Successore possit privilegium concessum non subdito, & ab hoc acceptatum? ℟. non posse, nisi ex causa publica. Ita Abb. *in c. novit. 13. de Judic. n. 23.* Felin. *ibid. à n. 8.* Decius *n. 4.* Suarez *l. 8. de LL. c. 37. n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 24.* Pontius *l. 8. de Matr. c. 19. n. 12.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 31. §. 1. n. 2.* Pirhing *hic n. 186.* Engl *n. 21.* König *n. 28.* Wiestner *n. 59.* Reiffenstuel *n. 121.* Begnud. *V. privilegium n. 5.* Ratio est, quia tale privilegium, postquam acceptatum est, transit in pactum, seu contractum, quo privilegiato acquiritur jus propriè dictum, hoc autem non subdito auferri non potest, nisi ex causa publica.

220 Dixi, *nisi ex causa publica*; nam si privilegium vergere incipiat in damnum Reip. vel etiam Principis concedentis valde notabile, ita, ut si à principio damnum id accidisset, privilegium censeretur injustum, & iniquum, Successor privilegium illud revocare potest, vel etiam ipse Princeps concedens non servare, ut Felin. *l. cit.* Suar. *n. 3.* Palao *n. 4.* Pirhing *n. 187.* Reiffenstuel *n. 121.* docent: & ratio est, quia conditio illa, sive exceptio ex natura rei intelligitur inclusa in prima concessione privilegii. Imò eo casu privilegium non revocatur propriè, sed per seipsum cessat; quia concedi videtur sub hac tacita conditione, dummodo damnosum non sit concedenti, & Reipublicæ; aliàs concessio irrationabilis foret.

Dub. 2. utrum à Principe, vel hujus Successore possit revocari privilegium gratis concessum subdito? ℟. distinguendum inter privilegium merè gratiosum, & remuneratorium. *Si merè gratiosum sit*, & nullius meriti respectu datum, revocari quidem validè potest, non tamen decenter, & licitè, nisi urgeat justa causa. Ita Felin. *in c. 13. de Jud. n. 8. & seq.* Sylv. *V. privilegium n. 10. dict. 7.* Suar. *l. 8. de LL. c. 37. n. 10.* Sanch. *de Matr. l. 8. D. 33. n. 1.* Salas *D. 17. de LL. sect. 14. n. 70. & D. 20. sect. 18. n. 126.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 25.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 1.* Palao. *tr. 3. D. 4. p. 21. §. 1. n. 1.* Pirh. *hic n. 187.* Wiestner *n. 59. & 61.* Reiffenstuel *n. 120.* Quòd validè revocari possit, patet, quia jus, quod per tale privilegium 221

gium conceditur, non transit in dominium subditi, cui conceditur, & ita semper pendet à mera voluntate Principis. Quòd verò sine culpa saltem veniali revocari nequeat, ex eo colligitur; quia beneficium Principis decet esse mansurum; éstque inconstantiæ, & levitatis voluntatem mutare sine causa.

221 Quoad alterum de *Remuneratorio*, dico, remunerationem posse deberi ex Justitia, vel solùm ex gratitudine. *Si ex Justitia debetur*, certum est, privilegium sic datum revocari non posse: sed tunc non est gratis concessum. *Si ex gratitudine solùm*, etsi non tam irrevocabile sit, sicut illud, quod ex Justitia datum est (nam hujus fortius est vinculum) est tamen adhuc irrevocabile, nisi remuneratio sit excessiva. Ita Suar. *l. cit. n. 6.* Sanch. *n. 5.* Laym. *n. 25.* Bonac. *n. 2.* Palao §. *2. n. 4.* Pirh. *n. 187.* König *n. 28.* Ratio est, quia quocunque modo debita sit, cedit privilegiatus illius debito ob privilegium sibi concessum.

223 An verò casu, quo revocatur ejusmodi Privilegium remuneratorium, opus sit compensatione, controversia moveri potest. Et *ratio dubitandi* est, quia revocans ejusmodi privilegium reducit rem in pristinum statum, & cons. reddit privilegiato sua merita, quorum cessionem fecerat ob privilegium; cùm autem illa merita, non exposulent ex Justitia compensationem, non videtur illi compensatio debita esse. Sed obligatio compensandi distingui potest, ut illam distinguit Palao *l. cit. n. 5.* juxta quem etsi compensatio non debeatur ex Justitia propter merita, probabiliter tamen debetur ex Justitia propter cessionem, quam fecerat privilegiatus ob privilegii consecutionem; nam hæc cessio est pretio æstimabilis, cùm sit actio damnosa cedenti, & utilis cessionario: quæ tamen nunquam redit, etsi redeant merita.

224 Dub. 3. an Princeps, vel hujus Successor revocare possit privileginm concessum subdito per contractum? R. concedi posse vel per pactum, aut contractum oneroſum, vel per lucrativum tantùm, sive per donationem. Neutro modo Princeps revocare privilegium sic datum potest sine justa causa. Ita Suar. *c. 37. cit. n. 5. & seqq.* Sanch. *D. 33. n. 2. & 3.* Laym. *n. 25.* Bonac. *n. 5.* Pont. *n. 13.* Palao §. *1. cit. n. 2.* Engl *n. 22.* Pirhing *n. 187.* Wiestner *n. 60.* Reiffenstuel *n. 122.* Begnudell. *n. 6.* Et quidem quòd privilegium, concessum subdito per contractum, Princeps revocare nequeat, patet, quia etiam Princeps tenetur pacta, cum subditis inita, servare; nam ex his oritur obligatio Justitiæ. Quòd verò etiam revocare nequeat privilegia per contractum merè lucrativum, seu donationem concessa, pariter constat; nam privilegium, concessum subdito per donationem, post hujus acceptationem in dominium transit subditi. atqui Princeps non potest sine causa rem suam auferre subdito, cujus ille dominium habet, ergo &c.

225 Dixi *Sine justa causa*; nam ex causa justa potest revocare privilegia à se, vel antecessoribus data. Est autem causa ad revocationem sufficiens omnis illa, quæ sufficit, ut revocetur donatio subdito facta, & in quibus Princeps spoliare bonis suis subditos potest: imò eo casu non tam est revocatio, quàm cessatio privilegii, cùm ut *n. 220. suprà* dictum est, privilegia videantur sub tacita hac conditione data, ut durent tamdiu, quamdiu ad publicam utilitatem cessatio illorum non pertinuerit. Ita Palao *n. 5.* qui putat, Principem teneri probare causam; aliàs nihil esset firmum, sed facillimo negotio posset Princeps jus tertio acquisitum auferre.

226 Si Princeps ob publicam necessitatem, vel aliam causam urgentem rescindat contractum oneroſum, & revocet privilegium subdito ex tali contractu datum, compensationem illi tenetur facere, si commodè fieri potest: & ratio est, quia Princeps non est absolutus Dominus rerum subditi, & hic non tenetur gratis remittere jus suum. *Contrà*, si revocet privilegium datum subdito ex contractu, vel pacto merè lucrativo, seu per donationem; tunc enim non est necessarium, ut ab eo compensatio ulla fiat subdito, prout Suar. *n. 9.* Palao *n. 6.* Pirhing *n. 187.* & alii communiter docent; nam in hoc ratio cessat, ob quam compensari debet in privilegio per contractum oneroſum concesso, cùm nulla fiat commutatio rei ad rem. Adde, quod non satis credibile sit, quod concedens tale privilegium voluerit sibi imponere obligationem non revocandi illud justa causa intercedente, nisi facta compensatione: imò potiùs præsumitur contrarium.

227 Quæritur 2. quis revocare privilegia possit gratis concessa subdito? R. 1. id potest concedens: & hoc verum est non tantùm, quando concedens privilegium est supremus Princeps, sed procedit etiam de inferioribus Magistratibus, qui Superiorem recognoscunt. Suar. *l. 8. de LL. c. 37. n. 12. & 13.* Pont. *l. 8. de Matr. c. 19. n. 15.* Laym. *l. 1. tr. 3. c. 23. n. 25.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 21. §. 3. n. 1.* Pirhing *hic n. 188.* *Excipitur*, nisi privilegium ab inferiore datum sit confirmatum à Superiore; quia ratione confirmationis pendet à voluntate confirmantis: cons. sine hujus consensu ab inferiore ampliùs revocari non potest. Idem dicendum ait *Palao*, & ab hoc *citt.* de quacunque Dispensatione,

ne, quam inferior in Lege Superioris potestate ab hoc accepta fecit: quia pro toto illo tempore Legem Superioris abstulit ex voluntate Superioris, igitur obligationem sine hujus Voluntate revocare non potest, & Legem restituere; nam ad hoc non minùs, quàm ad prius Superioris consensu opus est, cùm sit in re, quæ potestatem illius ordinariam excedit.

228 2. Non tantùm concedens privilegium, sed etiam hujus Successor revocare potest privilegium, ab Antecessore concessum. Suar. *n. 11.* Palao *n. 1.* Pirhing *n. 188.* Ratio est, quia succedit in æquali potestate, & est una, eadémque persona per fictionem Juris cum Antecessore. Adde, quòd Antecessor ligare manum Successoris non possit.

3. Privilegium concessum ab inferiore revocari potest à Superiore illius: requiritur tamen causa, sine qua etiam Princeps Supremus non revocat licitè; quia talis revocatio cedit in injuriam inferioris Prælati, & in detrimentum subditorum. Si non sit supremus Princeps, probabiliter neque valida est hujusmodi revocatio; quia jura subditorum non potest tollere.

229 Dub. 1. quibus modis revocari privilegia possint? ℟. revocari posse duobus modis, expressè, vel tacitè. *Expressa revocatio* fit non solùm verbis expressis in specie, & in particulari, sed etiam per clausulam generalem, scilicet *non obstantibus quibuscunque privilegiis*: nam hæc clausula regulariter sufficit, licèt generica sit; quia sub genere comprehenduntur species. Dixi *regulariter*: nam ut Suar. *l. 8. de LL. c. 38. n. 1. & seq.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 33. n. 8.* Laym. *in c. cùm ordinem 6. de Rescript. in 6. n. 7.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 21. §. 4. n. 3.* Engl *hic n. 21.* Pirhing *n. 189.* Reiffenst. *n. 124. & seqq.* advertunt, per ejusmodi clausulam generalem non revocantur. 1. privilegia in Corpore Juris contenta. 2. eo tenore expressa, ut revocari non possint, nisi de iis expressa, & specialis mentio fiat. 3. per modum Contractûs, vel in remunerationem meritorum concessa. Quodsi tamen aliunde & clarè constaret, quòd Princeps sub verbis generalibus etiam hæc privilegia comprehensa velit, etiam his derogatum erit; quia non mens verbis, sed verba menti sunt conformanda.

230 *Tacita revocatio* fit per actum Principis directè contrarium privilegio, qui non potest subsistere, nec habere effectum intentum, saltem adæquatum, sine derogatione privilegii priùs concessi, dummodo possit præsumi, eum scire, vel recordari privilegii antea concessi; nam si adsit, vel præsumi possit ignorantia, per ejusmodi actum non derogatur privilegio: & ratio est, quia hæc derogatio debet esse libera, & voluntaria. talis autem esse non potest, nisi ex cognitione saltem virtuali derogantis procedat. Colligitur apertè ex *c. nonnulli 28. de Rescript. c. licèt 1. de Const. in 6.* & *l. idem Ulpianus 12. §. sunt & alii 1. ff. de Excusat.* ubi facultas mutandi domicilium concessa Tutori censetur virtualis facultas dimittendi munus, & sollicitudinem Tutoris, si data fuerit ex Rescripto Imperatoris, scientis illum Tutorem esse.

Dub. 2. quando derogetur privilegio 231
per actum contrarium? ℟. pro hoc communiter has tradi Regulas. 1. per Legem universalem, etsi non abroget expressè privilegia, censentur tamen revocata privilegia in Jure communi contenta, non verò specialia, & extra commune Jus. Salas *de LL. D. 17. sect. 14. n. 74.* Suar. *l. 8. de LL. c. 39. n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 27.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 15.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 21. §. 4. n. 10.* Pirhing *hic n. 191.* Reiffenst. *n. 128. & 129.* Ratio est, quia illa censetur Princeps scire, ista probabiliter ignorare potest. igitur dum Legem fert contrariam privilegio, quod Juri communi insertum est, præsumitur velle eidem derogare; non verò censetur velle derogare privilegio speciali, nisi expressè mentionem illius faciat. Adde, quia hujusmodi privilegium insertum Juri communi est Jus commune. Sed Lex communis alia communi Lege abrogatur, neque necesse est, ut præcedentis fiat mentio.

2. Privilegium priùs obtentum non 232
tollitur, nec tacitè revocatur per privilegium posterius, quod contrarium est priori, nisi illius prioris mentio specialis fiat, juxta *c. veniens 19.* & ibi Gloss. V. nullum de Præscript. Salas *l. cit.* Suar. *n. 5.* Bonac. *n. 17. circ. fin.* Palao *n. 13.* Pirhing *n. 193.* Reiffenstuel *n. 130.* Ratio est, quia cùm privilegium sit Jus privatum, & particulare, ideo præsumitur Princeps secundum privilegium concessisse ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem faciat in concessione secundi *c. licet 1. de Const. in 6.* & *c. ex parte 12. de Offic. deleg.* Imò posterius privilegium in quo nulla facta est mentio prioris, subreptitiè impetratum censetur, tacita veritate, quæ exprimi debuisset, ac proinde non valet. *Excipitur 1.* nisi prius privilegium sit insertum Corpori Juris communis; nam hoc privilegium non censetur Princeps ignorare, ac proinde in hoc cessat allata ratio. Salas *n. 75.* Suar. *n. 5.* Bonac. *n. 17.* Palao *n. 11.* *Excipitur 2.* si privilegium prius sit generale, posterius speciale; nam concedendo alicui gratiam generalem non censetur Princeps sibi velle adimere potestatem concedendi gratiam specialem: cons. posterius privilegium

gium non erit propriè derogatio prioris generalis, ſed quædam quaſi exceptio. Suar. *n. 7. cùm citt.*

233 3. Si ſententiam Judex in Judicio tulerit contrariam privilegio, quâ ſcilicet reus condemnatur, non obſtante privilegio, non revocatur privilegium, ſed ſententia potiùs ſupponit nullitatem privilegii: unde ſi privilegiatus valorem privilegii ſui ſufficienter probet, perget validum eſſe, etiam non obſtante ſententiâ Judicis. Suar. *n. 4.* Palao *n. 17.* Pirhing *n. 196.* Reiffenſtuel *n. 132.*

234 Quæritur 3. an, & quænam privilegia Regularium à *Conc. Trid.* ſint revocata? *Certum eſt 1.* plurima eorum privilegia non eſſe revocata, ſed adhuc perſiſtere in pleno ſuo vigore, imò ab ipſo Trid. fuiſſe confirmata. Conſtat ex *ſeſſ. 25. de Regul. c. 20. fin.* ibi: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum* (Regularium) *privilegia, & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & jura concernunt, firma ſint, & illæſa. Conf.* univerſali praxi omnium Ordinum, utentium privilegiis ſuis plurimis. Sed & ipſi Summi Pontt. eadem privilegia paſſim confirmant, & nonnulla tantùm excipiunt.

235 *Certum eſt 2.* revocata eſſe omnia, & ſingula privilegia Regularium ante *Trid.* conceſſa, quæ adverſantur Decretis contentis *in Seſſ. 25. cit. de Regular.* conf. Regulares omnes exactè debent obſervare illa Decreta, niſi poſt *Trid.* contra illa, vel illorum aliqua haberent conceſſum novum privilegium. Patet ex *ſeſſ. cit. de regul. c. 21.*

Certum eſt 3. revocata etiam cenſeri illa privilegia, quæ ante *Trid.* conceſſa ſunt, & adverſantur cuicunque ejusdem Decreto, quod habet adjectam clauſulam revocatoriam illorum, ita quidem, ut Regulares privilegiis ſic revocatis uti ampliùs nequeant etiam in foro conſcientiæ; nam contraria ſententia hodie damnata eſt ab *Alexandro VII.* his terminis: *Regulares poſſunt uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata à Conc. Trid.*

236 *Dubium eſt*, an per *Trid.* revocata cenſeantur etiam privilegia Regularium, ante iſtud conceſſa, quæ alicui ex Decretis ejusdem *ſeſſ. 25.* vel priorum Seſſionum adverſantur, non additâ clauſulâ revocatoriâ illorum? Affirmant Peyrin. *Declar. Privil. tom. 2. in Conſt. 1. Gregorii XIII. n. 3.* Donat. *tom. 1. p. 1. tr. 11. q. 15. à n. 4.* Fundantur 1. quia Trid. *ſeſſ. 25. de regul. c. 22.* præcipit cuncta ſua Decreta etiam à Regularibus obſervari, *non obſtantibus eorum quibuscunque privilegiis &c.* ergo per hanc clauſulam derogavit omnibus Regularium Privilegiis, quæ alicui cuicunque tandem Decreto illius adverſantur. 2. quia *Pius IV.* per *Bullam*, incipit. *In Principis Apoſtolorum Sede*, quæ refertur *tom. 2. Bullar. fol. 135.* eſtque inter ejusdem Pontificis Conſtitutiones 94. omnia, & ſingulà, etiam Regularium quorumcunque, privilegia, ſub quacunque excogitabili forma, & ex quacunque cauſa conceſſa, univerſaliter, & indiſtinctè revocat & annullat in omnibus, & ſingulis, in quibus illa Statutis, & Decretis *Trid.* contrariantur.

Contrà alii cum Rodriq. *tom. 1.* 237 *regul. q. 8. art. 7.* Suar. *l. 8. de LL. c. 18. n. 18.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 2. q. 42. art. 3. v. ſed alii* Reiffenſtuel *hic n. 139. & ſeqq.* non improbabiliter docent, hæc ultima privilegia, quæ contraria ſunt Decretis *Trid.* ſi iſta clauſulam horum privilegiorum Derogatoriam nullam ſibi adjectam habeant, ab eodem *Trid.* non cenſeri revocata, nec contineri in clauſula, *Dummodo SS. Canonibus, & Decretis Conc. Trid. non adverſentur*: conf. his privilegiis validè, & licitè utuntur Regulares non tantùm in foro interno, ſed etiam in externo. *Ratio eſt*, quia nulla Lex, Conſtitutio, vel Decretum, quamvis generaliter, vel univerſaliter latum, derogat particularibus locorum, aut perſonarum Statutis, Conſuetudinibus, aut Privilegiis, niſi hoc exprimat; quia hæc probabiliter Legislator ignorare poteſt *c. licèt 1. de Conſt. in 6.*

Conf. 1. Trid. in aliquibus ſuis De-238 cretis addit clauſulam derogatoriam conſuetudinum, vel privilegiorum contrariorum, in aliis eam clauſulam omittit. atqui fruſtra adderetur hæc clauſula, ſi revocata eſſent omnia, etiam illa, reſpectu quorum clauſula talis non apponitur. ergo &c. 2. communis, & indubitata doctrina eſt apud omnes ferè DD. & ipſos etiam Adverſarios, quòd *Trid.* per ſua Decreta generalia, quæ poſita ſunt ſine ulla clauſula derogatoria, non deroget ſpecialibus Statutis, vel Conſuetudinibus Locorum, aut perſonarum. ergo nec privilegiis, quæ extra Corpus Juris communis habentur; nam de his eadem, quæ de illis, habetur ratio, conf. eadem eſt Juris diſpoſitio. 3. aliàs *Trid.* derogâſſet omnibus omnino privilegiis Regularium; nam omnia iſta ſunt contra Jus commune, & SS. Canones conceſſa. *Trid.* autem *ſeſſ. 25. cit. de regul.* vult SS. Canones, & Leges Eccleſiaſticas omnes indiſtinctè obſervari. ergo &c. 4. conſuetudo eſt optima interpres Legum. atqui videmus paſſim vigere conſuetudinem, quòd Regulares liberè utantur ſuis privilegiis, quæ per *Trid.* expreſsè revocata non ſunt, etſi alioquin contra aliquod ejusdem Concilii Decre-

tum, sine derogatione privilegiorum positum, militent. ergo &c.

239 Ad Argumenta contraria non difficilis est responsio. *Ad 1.* Trid. *sess. 25. c. 22. cit.* tantùm derogat privilegiis Regularium, adversantur alicui ex Decretis *cit. sess.* positis de ipsis Regularibus; non verò per clausulam illam derogat privilegiis, quæ militant contra aliquod Decretum, in præcedentibus Sessionibus absque derogatione privilegiorum positum: quod constat ex ipso textu; nam *c. 22. cit.* præcipit observari *omnia*, & *singula* NB. *in superioribus Decretis*, scilicet *sess. 25. cit.* de Regularibus specialiter habitæ, *contenta.* Igitur per alia Decreta, in aliis Sessionibus sine derogatione posita, privilegiis Regularium non voluit derogare. *Ad 2.* Bulla illa per suam clausulam vult quidem, ut non obstantibus privilegiis, omnia Decreta *Conc. Trid.* exactè observentur, sed non in alio sensu, quàm in quo observari ea vult ipsum *Trid.* quia Bulla hæc est confirmatoria Decretorum *Trid.* atqui Bullæ Confirmatoriæ alicujus Legis necessariò intelligi debent juxta sensum, & mentem Legis, quæ corroborat, ita, ut easdem limitationes, & extensiones, quas habet, vel recipit corroborata, recipere etiam debeat corroborans, ut cum *Gloss.* & *Felin.* bene advertit Reiffenstuel *n. 146.* ergo &c.

240 Quæritur 4. quid, & cujus valoris sint privilegia vivæ vocis Oraculo concessa? R. 1. vivæ Vocis Oraculo concessa privilegia dicuntur illa, quæ Princeps v. g. Pontifex sola voce, seu oretenus duntaxat concessit, quamvis subinde, ut etiam pro foro externo probari possint, postea in scripturam redigantur, & testimonio authentico ab iis, quibus ex officio hoc incumbit, fide digna reddantur, Reiffenstuel *hìc n. 194.*

241 2. Pro foro interno sunt ejusdem valoris, cujus sunt privilegia in scriptis concessa: nam ut *n. 13.* dictum est, ad essentiam, & substantiam privilegii scriptura non requiritur. Ut verò etiam in foro externo practicari valeant, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut testimonio authentico concessio illorum probetur. Donat. *tom. 1. p. 1. tr. 15. q. 5. n. 5.* Reiffenstuel *n. 151.* & patet ex *Const. Julii II.* incipit *Romani*, ac *Reg. Cancell. 52.* Ratio est, quia aliàs quivis dicere posset, se habere privilegium vivæ vocis oraculo concessum, sicque prætextu oraculi vivæ vocis eludere Leges, & Canones in foro externo, non sine perturbatione boni communis.

242 Hodie omnia, & singula privilegia, vivæ vocis oraculo concessa quibuscunque Capitulis, Ordinibus, vel personis eorum à quocunque tandem Pont. usque ad Urbanum Papam VIII. pro foro utroque sunt revocata, ita, ut nec in foro externo, nec in interno hujusmodi privilegiis amplius uti liceat, etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de iisdem verè concessis Cardinales ferant testimonium propria manu scriptum, nisi per Officiales, & ministros illos, quibus incumbit ratione officii gratiis, privilegiis, & favoribus per Pontt. oretenus concessis, aut in futurum concedendis fidem facere, authentizata sint, ut patet ex *Const. Gregorii XV.* incipit *Romanus*, & *Urbani VIII.* incipit *aliàs*, quæ in *Bullario Cherubini* inter Constitutiones dicti Pontificis est 21. Secus, si ut dictum est, authentizata sint; tunc enim etiamnum valent, etiam pro foro externo, prout expressè declaravit laudatus *Urbanus VIII. Const.* quæ etiam incipit *aliàs*, & exstat in *Bullar. Cherub.* inter Bullas hujus Pont. 141. Similiter valent pro foro conscientiæ vivæ vocis oraculo concessa privilegia, si postea sint confirmata per specialem Bullam *ex certa scientia*, & *de Apostolicæ potestatis plenitudine*; nam Confirmatio talis novum jus, novámque concessionem efficit. Reiffenstuel *hìc n. 160.*

243 4. Privilegia, quæ post Urbanum VIII. à Successoribus Pontt. vivæ vocis oraculo concessa sunt, Constitutiones istius, & Gregorii XV. non afficiunt. Hinc valent taltem pro foro conscientiæ, etiamsi dicto modo authentizata non sint; quia memorati Pontifices suis Constitutionibus non voluerunt, nec potuerunt Successoribus suis ligare manus, cùm par in parem potestatem non habeat. Ut verò etiam pro foro externo valeant, non sufficit quodvis testimonium de eorum concessione cæteroquin fide dignum, sed debet esse tale, quod ad probandum in foro externo aliàs requiritur, & sufficit: non tamen necesse est testimonium Officialium *n. præc.* relatorum; quia hoc solùm ab Urbano VIII. requiritur ad probanda Oracula præcedentia, non verò ad futura se extendit. Reiffenst. *n. 164.*

244 Quæritur 5. quando revocatio privilegii vim suam, & effectum habeat? R. cùm fuerit sufficienter promulgata. Si per Legem contrariam revocatio fiat, sufficit hanc promulgari in Curia, vel loco ad id constituto: quo facto non quidem statim à die promulgationis, sed post tempus necessarium ad ejus obligationem, quod in Legibus Civilibus regulariter est duorum mensium, in Canonicis juxta stylum Curiæ Romanæ brevius, aut longius, revocatio sic facta effectum sortitur, ita, ut etsi aliqui adhuc in particulari invincibiliter ignorent revocationem factam, tamen privilegia elapso illo tempore non amplius

pliùs proſint, nec uti iisdem privilegiati validè poſſint. Suar. *l. 8. de LL. c. 40. n. 1. & ſeqq.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. ult.* Pirhing *n. 197.* Reiffenſtuel *n. 133.* Ratio eſt, quia in Legibus communiter attenditur ad id, quod per ſe, & regulariter fieri ſolet, non verò ad ea, quæ rarò, & per accidens fiunt. talis autem eſt in præſenti ignorantia Legis revocatoriæ. ergo &c.

245 Quodſi revocatio privilegii fiat ab homine, ſeu privatim, ea non habet effectum, priusquam privilegiato ſpecialiter intimetur. Suar. *n. 6.* Laym. *n. 28.* Palao *p. 21. §. 5. n. 2.* qui cum pluribus aliis addit, non ſufficere caſualem notitiam, ſed opus eſſe, ut ad privilegiatum ſit aliquo modo deſtinata per Reſcriptum, Epiſtolam, vel Nuntium ad id conſtitutum. Quòd ſpecialis intimatio fieri debeat, ratio eſt, quia ad rectam Reip. & Eccleſiæ gubernationem pertinet, ut Princeps velit privilegiatos privilegiis ſuis uti tamdiu, usque dum agnoſcant eſſe revocata; aliàs vellet plures actus invalidos fieri, quod non eſt credendum de Chriſtiano Principe. Quòd verò non ſufficiat caſualis notitia, indè videtur probari; quia per quas cauſas aliquid naſcitur, per easdem etiam diſſolvitur, privilegium autem vim ſuam contra abſentem obtinere incipit per deſtinationem Nuntii, Epiſtolæ &c, ergo ſimili modo revocari, & tolli debet.

§. VII.

De Privilegio Exemptionis.

SUMMARIUM.

246. *Quid ſit Exemptio?*
247. &c. *Quotuplex?*
250. *Quo Jure introducta?*
251. *Coram quo Judice conveniendi ſint Clerici, & Religioſi Exempti?*
252. *An per privilegium Exemptionis Exempti omnino ſubducantur à Jurisdictione Epiſcopi?*
253. 254. *Quibus caſibus hæc ſubjecti ſint?*
255. *An coram iſto conveniri poſſint ratione delicti, vel contractûs?*
256. &c. *Quomodo acquiratur Exemptio?*
260. *An ſi exempti ſint Clerici alicujus Eccleſiæ, etiam exempta ſit ipſa Eccleſia?*
261. *Si Monaſterium, etiam Capellæ ipſi ſubjectæ?*
262. *Si Abbas, etiam Monaſterii membra?*
263. *Si Eccleſia, vel Monaſterium, etiam Clerici, & Religioſi?*
264. *An exemptus reſpectu certi loci, ſeu rei, ſit etiam exemptus reſpectu alterius loci, vel rei?*
265. *An Exemptioni renuntiari valeat?*
266, &c. *An, & quomodo probari debeat privilegium Exemptionis?*
268. &c. *Quis debeat eſſe tenor Litterarum Apoſtolicarum, ut ex iis Exemptio colligi, & probari poſſit?*
273. &c. *Quis ſit Judex litis motæ ſuper Exemptione?*
275. &c. *An lite, ſuper Exemptione mota, & pendente, Ordinarius contra partem, eâ ſe tuentem, poſſit uti Jurisdictione ſua?*
280. &c. *An Exemptio rectè colligatur ex adminiſtratione conceſſâ?*

FRequentiſſima Privilegii iſtius fit mentio, & crebræ ſunt Exemptos inter, & Ordinarios lites. Unde non abs re erit, ea, quæ magis neceſſaria de hoc ſunt, Appendicis loco annectere.

246 Quæritur 1. quid, & quotuplex ſit *Exemptio?* R. eſt liberatio à Jurisdictione Ordinarii, ſive eſt privilegium, quo perſona, vel locus ab Epiſcopi, vel alterius Superioris, Ordinariam Jurisdictionem habentis, poteſtate ſubtrahitur, & immediatè ſubjicitur Papæ. Cockier *de Jurisd. Ord. in Exempt. p. 1. q. 1. à n. 3.* Engl *hic n. 22.* Wieſtner *ibid. n. 62.*

247 Triplex communiter dividitur, Perſonalis, Localis, & Mixta. *Perſonalis* eſt, quæ adhæret perſonæ, eámque ſequitur, quocunque veniat *Reg. privilegium 7. in 6.* Franc. *in c. 1. §. in eos h. tit. in 6.* Engl *n. 22.* Wieſtner *n. 63.* *Localis*, quâ locus v. g. Eccleſia, Capella, Monaſterium, territorium ſubtrahitur Jurisdictioni Ordinarii, ita, ut licèt in Diœceſi ſit, non tamen ſit de illius Diœceſi, ſed loco extra eam ſito æquiparetur *c. cùm Capella 16. h. tit.* Gloſſ. *in Clem. 1. V. primo anno de Exceſſ. Prælat.* Barboſ. *in c. cùm Epiſcopus 7. de Offic. Ord. in 6. n. 8.* Engl, Wieſtner *l. citt.* *Mixta*, quâ perſonæ, & loca, eorúmque res ab Ordinarii poteſtate eximuntur, ita, ut iſte neque in locum, neque in perſonas illius Jurisdictionem ſuam exercere, vel Tribunal ibidem pro Jurisdictione in alios exercenda erigere ſine licentia proprii Prælati poſſit *c. cùm Epiſcopus cit.* Donat. *tom. 1. prax. Regul. p. 2. tr. 13. q. 1. n. 4.* Engl, Wieſtner *l. citt.*

Hinc

248 Hinc duplex genus Exemptorum est; nam aliqui dicuntur *nullius Diœcesis*, qui habent speciale territorium, ac populum exemptum, ubi Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, ac *Ordinarii* nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed tantùm Prælati, vel Præpositi, aut similes. Alii verò dicuntur esse *in Diœcesi*, *non tamen de Diœcesi*, qui quidem quoad suas personas, vel particularem aliquem locum v. g. Monasterium exempti sunt, certum autem populum, aut territorium exemptum non habent, sed intra fines certæ Diœcesis, sive Episcopatûs existunt. Engl *n. 23.*

249 Item alia est Exemptio *tam in capite*, *quàm in membris*, quando scilicet non tantùm locus principalis sive Monasterium, aut Collegium exemptum est, sed etiam omnes Capellæ, Beneficia, & Parochiæ annexæ. Alia *in capite tantùm*, quando tantùm ipse locus principalis exemptus est, non autem annexæ Parochiæ, vel Beneficia *c. ex ore 17. h. tit.* Quo posteriori casu illud notandum est, quòd Abbas v. g. exemptus pro talibus locis non exemptis Episcopo reverentiam exhibere, ad Synodum Diœcesanam venire, ejúsque mandata super illis membris susçipere teneatur, ita tamen, ut in Synodo Diœcesana prærogativam, & primum post Episcopum locum obtineat *c. ex ore cit.*

250 Dub. 1. quo Jure introducta sit Exemptio, communi, an speciali? ℟. distinguendo inter Legem Diœcesanam, & Jurisdictionalem Episcopi. A *Lege Diœcesana* Religiosi, & horum Monasteria, seu Conventus exempti sunt ex dispositione Juris communis, prout patet ex *can. inter cætera 8. ℣. ne ergo caus. 10. q. 3.* & *can. cùm pro utilitate 34. ℣. ea verò caus. 16. q. 1.* A *Lege Jurisdictionali* Exemptio eis competere cœpit Jure speciali: quamvis deinde aliqua hujusmodi privilegia eximentia à Jurisdictione Ordinarii cum tempore inserta sint Corpori Juris communis *c. nimis 15.* & *16. de Except. Prælat. Clem. 1. eod. Clem. 2. de Censib. &c.*

251 Dub. 2. coram quo Judice conveniendi sint Clerici, & Religiosi exempti? ℟. conveniri debent coram proprio Prælato, qui in illos Jurisdictionem quasi Episcopalem habet, ac propterea in eos potest, quod Episcopus in Diœcesanos suos; vel apud Papam, aut ejus Legatum à Latere; nam etiam huic Jurisdictio in personas, & loca exempta competit, ut patet ex *c. veniens 1. de V. S. in 6.* & *c. si Abbatem 36. de Elect. in 6.* Et hinc, quando Papa aliquem eximit à Jurisdictione cujuscunque Ordinarii, eum non censetur eximere à potestate Legati à Latere, Cockier *p. 2. q. 2. n. 7.* Barbos. *in c. 4. de Offic. Legat. n. 10.* Wiestner *hic n. 65.* cum aliis. Cæteri verò Legati tam ii, qui *Nati* dicuntur, quàm qui *Nuntii Apostolici*, in causis Exemptorum intromittere sese nequeunt, nisi, ut aliquando Nuntii cum potestate Legati à Latere missi muniti sint speciali ad hoc mandato, seu commissione. Gloss. *in c. Abbatem cit. V. commissum*, Donat. *prax. Regul. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 9. n. 2.* Wiestner *hic n. 65.*

252 Dub. 3. an per privilegium Exemptionis Exempti omnino subducantur à Jurisdictione Episcopi? ℟. negativè; habet enim in certis casibus Jurisdictionem erga illos, aliquando Delegatam, & aliquando Ordinariam. *Delegatam* tunc habere censetur, quando in Jure dicitur, ut contra Exemptos authoritate Apostolica, vel tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat. *Ordinaria* verò tunc datur Episcopo in Exemptos, quando ei in illos simpliciter conceditur Jurisdictio, vel illa clausula additur, *non obstantibus privilegiis*, & *Exemptionibus quibuscunque*; tunc enim remoto Exemptionis privilegio, procedit Episcopus tanquam Ordinarius. Si Episcopus adversùs Exemptos procedat, ut Apostolicæ Sedis Delegatus, ab eo Summum Pont. si ut Ordinarius, ad Metropolitanum appellandum erit, ut cum *Barbosa* notat Engl *hic n. 34.* qui addit, etiam hoc casu ab Exemptis ad Pontificem appellari posse, & aliquando etiam expedire, ne succesſu temporis inferiores Judices majorem sibi adversùs istos Jurisdictionem quærant. Et ratio universalis est, quia Pontifex cum omnibus inferioribus Judicibus concurrentem potestatem habet, & quilibet omisso suo Ordinario, immediatè agere apud Sedem Apostolicam potest.

253 Dub. 4. quibus casibus Regulares Exempti subsint Episcopo, tanquam Ordinario? ℟. 1. subsunt eidem in omnibus, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut est susceptio Ordinum, consecratio Ecclesiarum, petitio Chrismatis *c. veniens 19. de Præscription.* 2. in observatione Festorum, quæ ab Episcopo indicuntur, & Censurarum ab eo promulgatarum. Trid. *sess. 25. c. 12. de Regul.* 3. in Censura Librorum. Trid. *sess. 4. de Edit. Libr.* 4. in vocatione ad Processiones publicas, & controversiis de præcedentia in iis, & funerum deductione exortis. *sess. 25. cit. c. 13. de Regul.* 5. in approbatione ad Confessiones Sæcularium audiendas. *Sess. 23. c. 15. de Reform.* 6. in erectione Monasteriorum, Ecclesiarum &c. *Sess. 25. c. 3. de Regul.* 7. in promulgatione Indulgentiarum, à Papa impetratarum. *Sess. 21. c.*

21. c. 9. de Reform. ℣. Indulgentias verò. 8. quoad prædicationem Verbi Divini in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt. *Sess. 5. c. 2. ℣. si verò de reform.* 9. quoad executionem ultimarum Voluntatum. *Clem. un. de Testam. &c.*

254 Dub. 5. quibus Casibus Regulares Exempti subsint Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato? Rz. 1. quoad Lectionem S. Scripturæ, in Monasteriis habendam. *Trid. Sess. 5. c. 1. ℣. in Monasteriis de reform.* & declaratum est à *S. Congr. Card. Trid. Interpp.* teste Fagn. *in c. quia in nonnullis 4. de Magist. n. 30.* 2. quoad Clausuram Monialium. *Sess. 25. c. 5. de Regul.* 3. quoad Electiones Abbatissarum ex *Decret. S. Congr.* & *Const. Greg. XV.* apud Fagnan. *in c. grave 19. de Offic. Ord. n. 39.* 4. in causis Hæreseos, & aliis spectantibus Officium S. Inquisitionis *c. ad abolendam 9. ℣. fin. de Hæret.* 5. si Religiosi Exempti extra Monasterium, & Conventum Regularem degant, & vagentur. Trid. *sess. 6. c. 3. de Reform.* Alios casus, quibus Exempti subsunt Episcopo vel tanquam Ordinario, vel tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, retuli *Libr. 1. Tit. 31. n. 30.* & videri possunt apud Barb. *de Offic. Episc. alleg. 105.* Pirh. *ad Libr. 1. Tit. 31. à n. 110.* Wiestner *hic à n. 85.* maximè verò apud Cochier *de Jurisd. in Exempt. p. 2. q. 45.* ubi enumerat ejusmodi Casus omnino 116.

Dub. 6. an, & quatenus Exempti 255 à Jurisdictione Episcopi, non obstante privilegio Exemptionis, conveniri coram eodem possint ratione delicti, vel contractûs? Rz. distinguendo, an privilegium illud sit personale, an locale, vel mixtum. *Si exemptus habeat privilegium personale*, etsi extra locum exemptum deliquerit, vel contraxerit, ratione tamen illius delicti, vel contractûs non fortitur forum in illo loco, sed exemptus manet à Jurisdictione Ordinarii, & conveniri solùm potest apud Prælatum suum: & ratio est, quia aliàs privilegium Exemptionis esset omnino inutile, & elusorium *arg. l. quoties 3. C. ubi Senator. & Clariss. &c.* Pirhing *hic n. 50.* Wiestner *n. 75. Excipitur*, nisi sint vagi; nam tunc, ut *n. præc.* dictum est, subsunt Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, & ab hoc puniri, si deliquerint, possunt.

Si verò exemptus sit tantùm ob privilegium locale ratione loci exempti, Exemptio non egreditur locum, ratione cujus exemptus est, & hinc solùm conveniri, vel puniri ab Ordinario nequit, quando deliquit, vel contraxit in loco exempto: si verò deliquit, vel contraxit extra locum exemptum, Exemptio illi non proderit, sed respondere Ordinario citanti debet, & subire Sententiam, vel pœnam ab hoc taxatam, ut habetur *c. volentes 1. h. tit. in 6.* & notat Gloss. *in c. tuarum 11. h. tit. V. privilegii beneficio*, Abb. *ibid. n. 8.* Pirhing *n. 50.* Wiestner *n. 76. Excipitur*, nisi Exemptio sit specialiter concessa etiam ratione delicti commissi, contractûs initi, aut rei sitæ extra locum exemptum; tunc enim, ubicunque deliquerit, aut contraxerit Exemptus, vel res sita sit, coram Ordinario loci conveniri non potest, ut fusè probat Fagnan. *in c. tuarum cit. n. 9. & seqq.* Addidi *specialiter concessa*, scilicet cum expressione specifica delicti commissi, vel contractûs initi, aut rei litigiosæ sitæ in loco non exempto; nam si generaliter solùm, & indefinitè Exemptio fiat, ut si dicatur, *Tales eximimus à Jurisdictione, & potestate*, sive etiam *ab omnimoda potestate Ordinarii*, probabiliùs non gaudent exemptione in tribus prædictis casibus delicti commissi, contractûs initi, & rei sitæ, si extra locum exemptum fiant *c. postulâsti 14. & 6. fin. de for. compet. c. Romana 1. §. contrahentes*, & §. *seq. eod. in 6. c. cùm & plantare 3. h. tit.* Gloss. *in c. tuarum cit. V. privilegii beneficio.* Pirhing *n. 51.*

Quæritur 2. quomodo acquiratur 256 Exemptio? Rz. acquiri quatuor ferè modis. 1. *Privilegio Apostolico*: & hoc modo plurima Monasteria, & integri Religiosi Ordines ab Ordinariorum potestate exempti, & immediatè soli Papæ subjecti sunt. Dantur autem hujusmodi privilegia sæpe à Summis Pont. ad instantiam Principum, & Magnatum, Ecclesias, & Monasteria extruentium, & dotantium ea lege, ut ab Ordinariis essent exempta; aliquando etiam ex mera indulgentia, & benignitate Pontt. sic amplificantium authoritatem Sedis Apostolicæ, cujus interest habere multos sibi immediatè subjectos, & consulentium quieti, & tranquillitati Religionum, & Monasteriorum variis gravaminibus oppressorum, ut videre est *c. nimis 15. & 16.* item *Clem. 1. de Excess. Prælat.* Lomedeus *de Exempt. Eccles. 1. c. 4. à n. 1.* Wiestner *hic n. 68.* Aliam datæ Exemptionis causam affert Petrus Blesensis *l. 3. Epist. 28.* quòd cùm Episcopi, non, ut olim, ex Monachis, & Canonicis disciplina Regulari diu excultis, sed ex Sæculari Clero modò assumi soleant, ad Regularem observantiam debito modo promovendam cum tempore minùs idonei esse cœperint, & propterea Regularium Congregationes eorum Jurisdictioni subtractæ fuerint.

2. Acquiri Exemptio potest *concessio-* 257 *ne Episcopi*, saltem in limine fundationis

Ecclesiæ, vel Monasterii &c. cùm enim in illa jus superioritatis tunc nondum absolutè quæsitum sit Episcopo, ei cedendo non censetur alienare aliquid sui Juris Episcopalis. Cockier *de Jurisd. in Exempt. p. 1. q. 3. n. 5.* Dixi, *saltem in limine fundationis &c.* nam utrum etiam hoc possit post fundationem factam, controversia est inter DD. quorum pugnantes sententias in concordiam reducens Barbos. *Episc. alleg. 89. n. 5.* ait, Exemptionem Ecclesiæ, vel Monasterio jam subjecto concedi quidem ab Episcopo posse, sed non nisi ex justa causa, & accedente consensu Capituli, juxta Regulam sumptam ex *can. fine exceptione 52. caus. 12. q. 2. c. nulli 5.* & *tot. tit. de reb. Eccl. non alien.* Addit Barbos. *l. cit. n. 6.* Exemptionem hanc ab Episcopo datam non ita plenam esse, ut ea est, quam dedit Pontifex; nam sic exempti ad jus reverentiale Episcopo tenentur non tantùm ratione Dignitatis, sed etiam ratione Jurisdictionis: iis verò, qui Privilegio Apostolico Exemptionem habent, etiam Exemptio à reverentiali Jure concessa censetur.

258 3. *Sententiâ* contra Episcopum pro Monasterii vel Ecclesiæ Exemptione latâ, si ab ea intra decendium appellatum non fuit, & sic illa transiit in rem judicatam *c. cùm inter 13. de sent. & re judic.* quia sententia lata contra jus litigatoris, si ab ea intra decendium non appelletur, ob transitum in rem judicatam jus facit inter partes, & pro veritate habetur *c. cùm inter cit. l. ingenuum 25. de stat. homin. l. res judicata 207. ff. de R. J.* Abb. *in c. cit. n. 4.* Felin. *ibid. n. 4.* Barbos. *alleg. cit. n. 3.* Cockier *q. 3. cit. n. 8.* Wiestner *hic n. 70.*

259 4. *Præscriptione*, ut habetur *c. cùm olim 14. ℣. quia verò h. tit. c. cùm personæ 7. ℣. si autem eod. in 6. c. auditis 15.* & *c. cùm olim 18. de præscript.* qui enim usucapi patitur, alienare non videtur. Balb. *de præscript. p. 5. pr. p. 1. q. 12. n. 1.* Cockier *q. 3. cit. n. 7.* Barbos. *n. 7.* Wiestner *n. 71.* Et sufficiunt ad hujusmodi Præscriptionem anni 40. maximè quoad membra non exempta, si caput exemptum sit *c. cùm olim cit. de præscript. c. ex ore 17. h. tit.* & cum aliis docet Abb. *in c. cùm non liceat 12. circ. fin. de præscript.* Neque obstat, quòd juxta *c. cùm non liceat cit.* contra obedientiam præscribi non possit; nam hoc solùm intelligi debet de præscriptione, quâ, manente subjectione, tolleretur obligatio obediendi Prælato, vel quâ fieret, ut Ecclesia, vel Monasterium nemini esset subjectum. Balb. *l. cit. n. 2.* Cockier *q. 6. n. 14.* Barbos. *in c. cit. n. 3. fin.*

260 Dub. 1. an si exempti sint Clerici alicujus Ecclesiæ, etiam exempta sit ipsa Ecclesia? R. negativè: & hinc Episcopus per Exemptionem datam Cleri is alicujus Ecclesiæ nihil juris perdit in Ecclesiam, præter Jurisdictionem in Clericos. Franc. *in c. per exemptionem 9. n. 3. h. tit. in 6.* Cockier *q. 13. fin.* Pirhing *n. 48.* qui hoc extendunt etiam ad casum, quo populus exemptus est; tunc enim non hoc ipso censetur exempta Ecclesia. Ratio est, quia verba privilegii Exemptionis, cùm odiosa hæc sit, strictè sumuntur, *per regul. Odia 15. in 6.*

261 Dub. 2. an, cùm exemptum est Monasterium, vel Ecclesia, etiam exemptæ sint Capellæ ipsi subjectæ? R. non esse exemptas, nisi Monasterio pleno jure subjectæ sint *c. ex ore 17. h. tit.* Ratio est, quia hoc privilegium, ut *n. præc.* dictum est, odiosum est, & cons. non extendendum. Gloss. *in c. cit. V. quæ non probantur*, Abb. *ibid. n. 4.* Gonzal. *n. 3.* Pirhing *n. 42.* Adeóque in hujusmodi Capellis Episcopus retinet omnia Jura Episcopalia. *Neque obstat*, quòd de connexis sit idem judicium *c. translato 3. de Constit.* item quòd totum, & pars debeant eodem jure censeri; quia hoc non procedit in odiosis, & exorbitantibus, quæ non sunt connexa necessariò, & inseparabiliter. Barbos. *in c. ex ore cit. n. 6.* Aliud est, si hujusmodi Capellæ pleno jure subsint Monasterio exempto; nam tunc etiam ipsæ exemptæ erunt *c. quoniam 21. h. tit.*

262 Dub. 3. an quando Abbas ratione sui exemptus est, etiam exempta sint Monasterii membra, quibus ille præest; vel quando exempta est Ecclesia, exemptus sit etiam populus, & Vicarius illius Ecclesiæ? R. ad 1. negativè: sed Episcopo subsunt, & ipse Abbas ratione horum conveniri coram Episcopo loci potest, & coram hoc tenebitur ille comparere. Item ejusmodi Abbas cogeretur interesse Synodo Diœcesanæ, & hujus mandata super illis suis membris suscipere, ita tamen, ut in eadem Synodo prærogativam, & primum post Episcopum locum habeat. *Ad 2.* exemptâ Ecclesiâ, non hoc ipso exemptus est populus; quia, ut sæpe dictum, exemptio est odiosa, & præjudicat potestati Episcopi: unde non est extendenda ad populum. Gloss. *in c. per exemptionem cit.* Joan. Andr. *n. 2.* Franc. *n. 3. not. 5.* Pirhing *n. 46.* *Ad 3.* distinctio est adhibenda; nam quoad ea, quæ ad curam populi spectant, Exemptionem non habet *c. per exemptionem cit.* quoad personam verò tum exemptus erit, cùm est de corpore illius Ecclesiæ. Cockier *p. 4. q. 37.* quem citat, & sequitur Pirh. *n. 46. cit.*

263 Dub. 4. an exemptâ Ecclesiâ, vel Monasterio, exempti sint etiam ejus Clerici, vel Religiosi? *Rationem dubitandi* faciunt hactenus dicta; nam 1. exemptio, ut

ut præjudicans poteſtati ordinariæ, eſt odioſa, & ſtrictæ interpretationis. 2. exemptâ Eccleſiâ, non hoc ipſo exemptæ ſunt Capellæ ei ſubjectæ, vel Parochiani illius, aut Presbyteri curam illorum gerentes. Secundùm dicta *n. 261. & 262.* 3. exemptis Clericis, vel Canonicis, non hoc ipſo etiam Eccleſia eſt exempta, ut dictum eſt *n. 260.* *Sed dicendum*, exemptâ Eccleſiâ, vel Monaſterio, non ſolùm exemptum eſſe eorum ædificium cum cœmeteriis, atriis, hortis, & aliis eo incluſis, vel annexis, ſed ipſum etiam Prælatum cum Canonicis, & aliis ejus miniſtris, & Abbatem cum Religioſis, etiam Converſis, & perpetuò obiatis. Franc. *in c. per exemptionem cit. n. 1.* Pirhing *n. 46.* Wieſtner *n. 72.* & apertè deciſum eſt *c. cit.* Ratio eſt, quia appellatione Eccleſiæ, vel Monaſterii veniunt etiam Canonici, Monachi, & alii ejus miniſtri, ſive perſonæ ad cultum Divinum deputatæ, & omnium maximè Abbas, ſeu Prælatus *c. relatum 12. de Teſtam.* *Atque hinc cadit Argumentum 1.* in contrarium allatum; negatur enim quòd hoc caſu fiat aliqua extenſio, cùm Prælatus, & Clerici, vel Religioſi ſubditi nomine Eccleſiæ, & Monaſterii comprehendantur. *Ad 2.* negatur paritas; nec enim ita, ut Clerici cum Eccleſia ſua, & Religioſi cum Monaſterio, connexionem cum Eccleſia exempta habent Capellæ, & populus ei ſubjectus, cui cùm adhæreant Presbyteri curam ejusdem habentes, mirum non eſt, quòd etiam ipſi, ſaltem quoad curam, ſubjecti Ordinario maneant. *Ad 3.* iterum negatur paritas; quia diſpoſitio relata ad rem contentam non includit continentem. Wieſt. *n. 74. ℣. neque contra*, & ab eo *citt.*

164 Dub. 5. an exemptus reſpectu certi loci, ſeu rei, ſit etiam exemptus reſpectu alterius loci, vel rei? ℟. negativè. Conſtat ex *c. cùm Capella 16. h. tit.* Ratio eſt, quia privilegium datum perſonis reſpectu certi loci cenſetur potiùs eſſe reale, quàm perſonale; cùm enim cedat in præjudicium poteſtatis, & Jurisdictionis Ordinarii, ſtrictè eſt interpretandum, & reſtringendum ad locum, reſpectu cujus datum eſt. Et hinc ſi Canonicus e. g. qui in loco exempto poſſidet aliquod Beneficium, poſſideat aliud Beneficium in loco non exempto, & ibi delinquat, ab Epiſcopo etiam per Eccleſiaſticam Cenſuram coërceri, atque puniri poteſt: & ratio eſt, quia tantùm eſt privilegiatus, quamdiu moratur in loco exempto.

165 Dub. 6. an Exemptioni renuntiari valeat? Angelus *in §. 2. Inſt. de Except. n. 42.* diſtinguit, & negat, renuntiari poſſe exemptioni conceſſæ toti Ordini Religioſo à privatis Religioſis; concedit autem poſſe renuntiari exemptioni conceſſæ ſuæ tantùm perſonæ, ex ratione, quia favori ſuo cuilibet permiſſum eſt renuntiare *c. ſi de terra 6. h. tit.* *Sed melius negatur*, renuntiari poſſe exemptioni conceſſæ etiam pro ſua tantùm perſona, ſine licentia Summi Pontificis, exemptionem hanc concedentis. Abb. *in cap. 5. de arbitr. n. 2. & 7.* Sylv. *V. Exemptio n. 11.* Cockier *p. 3. q. 34.* Barboſ. *alleg. 105. n. 76.* Wieſtner *hic n. 84.* Sumitur ex *c. cùm de tempore 5. de arbitr.* ibi, *Cùm etſi ſponte voluerit, de Jure tamen nequiveris, ſine licentia Romani Pont. renuntiare privilegiis, vel indulgentiis libertatis*: cui conſonat *c. cùm veniſſent 2. ℣. igitur de in integr. reſtit.* & *c. cùm olim 14. ℣. nos igitur h. tit.* quibus Exemptio nuncupatur non tam jus ipſorum Exemptorum, quàm Papæ, & Eccleſiæ Romanæ. *Ratio eſt*, quia privilegium exemptionis introductum eſt favore non tam exemptorum quàm Sedis Apoſtolicæ, & Papæ, cujus intereſt ſubditos ſuos ab aliis non judicari, præſertim ab Epiſcopo alieno. *Ex quo* cadit ratio allata in contrarium.

166 Quæritur 3. an, & quomodo probari debeat privilegium exemptionis? ℟. ſi privilegium hoc inſertum ſit Corpori Juris communis aut aliàs notorium, allegans privilegium non tenetur illud probare; imò ſi ad exemptionem probandam citetur, non tenetur comparere, ſed tutus eſt exceptione fori declinatoriâ *arg. c. cùm ordinem 6. de reſcript.* & *ibi* Abb. *n. 6.* Laym. *n. 8.* Wieſtner *n. 77.* Si autem non ſit notorium, probari ab allegante exemptio debet; quia eſt quid facti, quod regulariter non præſumitur, præſertim in noſtro caſu, ubi Ordinarii præſumptionem in contrarium in Jure communi fundatam habent: ac proinde probandi onus rejiciunt in Adverſarium *arg. c. fin. de reſtit. ſpoliat. in 6. l. cùm de indebito 25. ff. de probat.* Pacian. *l. 1. de probat. c. 8. n. 1.* Cockier *de Jurisd. in Exempt. p. 1. q. 8. à n. 1.* Donat. *tom. 1. prax. regul. p. 2. tr. 13. q. 11. n. 1.* Wieſtner *hic n. 77.*

167 Probatur autem exemptio 1. exhibitione Inſtrumenti, quo illa conceſſa eſt, quod fieri debet vel ipſi Judici, vel viris aliis prudentibus, non ſuſpectis ab Ordinario deputandis *c. cùm perſonæ 7. h. tit. in 6.* 2. ſi exemptio fundetur in ſententia Judiciali, quæ in rem judicatam tranſiit, probari poteſt ex actis, vel Scriptura authentica, continente ſententiam latam pro exemptione, aut his deficientibus, ex teſtium depoſitionibus, famâ, præſumptionibus. Wieſtner *n. 79.* 3. ſi fundetur in præſcriptione, probanda eſt per poſſeſſionem exemptionis 40. annis cum titulo, vel

sine hoc tempore immemoriali continuatam, & nunquam interruptam *arg. c. Episcopum 1. de præscript. in 6.* Balb. *de præscript. p. 5. pr. p. 1. q. 12. n. 4.* Cockier *p. 1. cit. q. 8. n. 8.* Barbos. *in c. cùm personæ cit. n. 6.* Wiestner *n. 80. hìc.*

268 Dub. 1. quis tenor debeat esse Litterarum Apostolicarum, ut ex iis Exemptio colligi, & probari possit? R. plures esse hujusmodi formulas: neque necesse est, ut expressè, in Rescripto, continente tenorem privilegii, dicatur, quòd Pontifex talem personam, Ecclesiam, vel Monasterium &c. à potestate Ordinarii eximat, sed sufficiunt verba æquivalentia. Talia sunt 1. si in ejusmodi Rescripto dicatur Ecclesia aliqua, vel Monasterium existere Juris B. Petri, vel ad proprietatem Rom. Ecclesiæ, ad Sedem Apostolicam, aut Ecclesiam Romanam specialiter, vel nullo mediante, aut etiam simpliciter pertinere *c. in tempore 5. fin. de Arbitr. c. cùm venissent 2. ℣. nos igitur de in integr. restit. c. si Papa 10. h. tit. in 6.* & ratio est, quia cùm verba hæc specialem aliquam gratiam conferre velint, intelligi nequeunt de generali illa subjectione, quâ omnes per Orbem totum Ecclesiæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, sed de speciali intelligi debent, quæ est Exemptio.

269 2. Si dicatur in privilegio, quòd Ecclesia talis Ecclesiæ Romanæ annuum Censum solvat, in signum, & indicium libertatis ab ea perceptæ; nam libertas, & exemptio idem sonant. Dixi autem, *in signum Libertatis*; ex sola enim Censûs annui solutione, facta Romanæ Ecclesiæ, non probatur Exemptio *c. recepimus 8. h. tit.* Ratio est, quia solutio Censûs plura significare potest, scilicet subjectionem, protectionem, vel Exemptionem, igitur ex ea non bene concluditur exemptio. Accedit, quia non omnes Ecclesiæ exemptæ solvunt Censum, nec omnes, quæ solvunt, sunt exemptæ.

270 3. Si aliqui à Papa recipiantur in proprios, & speciales subjectos; quia Papa non recipit aliquos in proprios, & specialiter sibi subjectos, si adhuc subjecti essent alii. Pirhing *n. 32. hìc.* Dixi, *in proprios, & specialiter sibi subjectos*: non enim sufficit, si dicat, se eos recipere in proprios, & speciales filios Romanæ Ecclesiæ; nam hi non idcirco exempti sunt *c. si Papa cit.* & ratio est, quia recipiendo in filios solùm videtur illos recipere in amorem fidelem: neque sequitur, quòd receptus in filium sit specialiter subjectus; quia filius subjectus patriæ potestati potest insuper esse subjectus potestati alterius. *Neque obstat*, quòd, si dominus servum suum apud Acta filium nominet is servitute eximatur *l. un. §. similique 10. C. de Latin. libert. tollend.* Ratio disparitatis est, quia dominus concedendo Libertatem servo sibi soli præjudicat; at verò per Exemptionem fieret præjudicium ordinariæ Jurisdictioni Episcopi, quæ est favorabilis.

271 4. Si Ecclesia dicatur esse libera plena libertate, libertate Romanæ Ecclesiæ, vel ejus prærogativâ speciali gaudere *c. si Papa cit. ℣. & est idem.* Dixi, *prærogativa speciali*; nam ex Litteris protectionis, quibus personæ, etiam expresso nomine, cum omnibus rebus suis sub Apostolica Sede existere declarantur, non probatur sufficienter Exemptio *c. ex parte 18. h. tit.* Ratio est, quia licèt Pontifex, aut alius Prælatus aliquos recipiat sub sua protectione, non tamen ideo Jurisdictioni Ordinarii eos subtrahit, sed tantùm significat promptam assistentiam; quâ, si sic receptus in persona, vel rebus suis injustè gravetur, contra sic gravantem ita recipiens eum velit defendere, & ipsum gravantem per Censuras ad plenam restitutionem, & satisfactionem compellere.

272 5. Si caveatur, ne Episcopus ibi Cathedram suam collocare, vel quamlibet potestatem exercere, aut ordinationem aliquam facere audeat *℣. & est idem cit.* Omitto plures alias formulas, quibus probari Exemptio potest: ubi noto, plurimùm valere, attendíque debere mentem Papæ; nam, ut sæpe dictum, verba menti, non mens verbis est conformanda. Ex eadem ratione non probatur Exemptio, si in Litteris Pontificiis solùm incidenter narretur, personam aliquam, vel Ecclesiam esse immediatè subjectam Papæ; nam etsi in potestate Pontificis sit eximere, tamen præcisè narrando non videtur concedere velle privilegium Exemptionis, sed potiùs aliunde datum supponit. Debent igitur verba, quibus conceditur privilegium, esse assertiva, sive dispositiva; nam hæc sola plenam probationem Exemptionis pariunt.

273 Dub. 2. quis sit Judex litis motæ super Exemptione? Videtur de hac posse cognoscere Episcopus; quia in ea quæstio est, an Episcopo competat Jurisdictio, atqui Judicis est cognoscere, & decernere, an sua sit Jurisdictio *l. ex quacunque 2. ff. siquis in jus vocatus &c. Conf.* Exempti requisiti privilegium suum, quando illud Corpore Juris communis clausum, vel notorium non est, tenentur Ordinario exhibere, & tradere transumptum cum articulis, de quibus controversia est *c. cùm personæ 7. ℣. nos volentes h. tit.*

274 Sed dicendum, cognitionem, & definitionem litis, inter Episcopum Diœcesanum, & Prælatum inferiorem agitatæ super exemptione istius, non ad Episcopum, sed ad Romanum Pont. pertinere. Felin. *in c. 20. de Rescript. n. 24.* Abb. *in c. 14. de Censib. n. 4.* Cockier *de Jurisd. in Exempt. p. 2.*

p. 2. q. 12. Wiestner *hic n. 83.* cum aliis. Sumitur ex *c. cùm venissent 12. de Judic.* quo privilegii Apostolici interpretatio Papali judicio reservatur. *Ratio est 1.* quia Legem & privilegium authenticè, & judicialiter interpretari ejus est, cujus est illam condere, & hoc concedere *c. inter 31. ℣. ut igitur de Sent. Excomm. l. fin. §. cùm igitur 1. C. de LL.* Gloss. *in c. cùm venissent cit. V. judicari.* **2.** in hac quæstione agitur de toto fundamento Jurisdictionis, & de ipsius proprietate, spectante honorem, & commodum Ordinarii; ac proinde de causa ipsius propria, de hac autem judicialiter cognoscere, & pronuntiare Judex Summo Principe inferior nequit *l. qui Jurisdictioni 10. ff. de Jurisdict. l. un. C. nequis in sua causa &c. can. inter 27.* junct. Gloss. *V. propriæ caus. 23. q. 4.* **3.** exemptio magis ipsius Papæ, & Ecclesiæ Romanæ jus est, quàm ipsorum Exemptorum *c. cùm venissent 2. §. fin. de in integr. restit. c. cùm olim 14. ℣. nos igitur h. tit.* non potest autem inferior judicialiter cognoscere de jure Superioris. ergo &c.

275 Atque hinc patet responsio ad Rationem dubitandi. *Ad Conf.* privilegium Exemptionis Ordinario exhibendum est, non ut de illo judicialiter cognoscat, ac pronuntiet, sed ut extrajudicialiter ex eo se informet, ut cum *Felin. Abb.* & aliis notat P. Wiestner *hic n. 83.*

276 Dub. **3.** an lite, super Exemptione mota, & pendente, Ordinarius contra partem, eâ se tuentem, possit uti Jurisdictione suâ? ℟. distinguendo: Vel enim Exemptionem allegans præscriptionis duntaxat obtentu se defendit, vel se fundat in privilegio. *Si primum*, Ordinarius Jurisdictione sua uti propter assistentiam Juris communis potest, donec præscriptio legitimè probata sit. Gloss. *fin. in c. 7. h. tit. in 6.* Sylv. *V. privilegium n. 7.* Cockiet *p. 2. q. 29. fin.* Wiestn. *n. 81.*

277 *Si secundum*, videndum, an aliquis sit in possessione, vel neuter. *Si neuter*, iterum ob eandem assistentiam Juris uti Jurisdictione sua Ordinarius potest *c. cùm personæ 7. h. tit. in 6.* *Si unus est in possessione, alter non*, attendendum, an in possessione sit Ordinarius, an pars allegans Exemptionem. *Si Ordinarius*, iterum continuare possessionem, & exercere actus illius potest contra allegantes Exemptionem, etiamsi se offerant ad exhibendum privilegium, vel alias probationes: neque eo casu Appellationem tenetur recipere; quia tunc procedit ut pars pro conservatione Juris sui, & non ut Judex: atque oblatio probationis non justificat appellationem *c. interposita 70. de Appell.*

Si verò non Ordinarius in possessione 278
Jurisdictionis suæ adversùs allegantes Exemptionem, sed isti in possessione Exemptionis sint, tunc supersedere Ordinarius exercitio Jurisdictionis in personam, vel locum controversum lite pendente debet, nec procedere adversùs istos potest, aut Censuras minari &c. quia non potest eos privare possessione, vel quasi possessione Juris sui. Abb. *in c. 1. ut lit. pend. n. 4. & 8.* Barbos. *in 6. cùm personæ cit. n. 7.* Wiest. *hic n. 81.* cum aliis. Potest tamen eo casu petere, ut privilegium Exemptionis exhibeant, vel legitimam præscriptionem probent: nisi Exemptio sit notoria, aut inserta Juri communi; tunc enim citati ad edendum privilegium, vel alia ratione probandam Exemptionem suam non tenentur comparere, cùm citatio sit ipso Jure irrita, quippe facta à Judice non competente, & contra privilegium.

Quodsi dubium sit, quis sit in pos- 279
sessione, Ordinarius Jurisdictionis, an Regulares e. g. Exemptionis, Ordinarius extrajudicialiter procedere contra eosdem potest etiam comminando Censuras; sed hi appellare ad Pontificem possunt: & tunc si post appellationem sit lata Censura, ea pendebit ex futuro eventu, & invalida erit, si constiterit de Exemptione, valida, si de contrario.

Dub. **4.** an casu, quo per privile- 280
gium concessum alicui Monasterio exempto est, ut fructus Ecclesiæ sibi subjectæ suos faciat, & in usus suos convertat, Ecclesia illa hoc ipso censeatur eximi à Jurisdictione Ordinarii? ℟. negativè. Sumitur ex *c. Pastoralis 19. hoc tit.* Ratio est, quia nunquam censetur Pontifex derogare Juri Ordinariorum, nisi id exprimat; & privilegium Papæ semper intelligitur concessum sine gravi læsione alterius. Gloss. *in c. cit. V. expressum.*

Intelligitur ergo solùm Monasterio il- 281
li concessa administratio in rebus Spiritualibus, & temporalibus, ita tamen, ut Ecclesia maneat in pristino statu: atque hinc si Rector in illa fuit antea institutus, hoc decedente ab eo Monasterio præsentari Episcopo debet alius Clericus, qui instituatur in Vicarium perpetuum illius Ecclesiæ, cui etiam alendo relinquenda est portio ex fructibus sustentationi sufficiens; reliquos autem fructus Monasterium vi talis privilegii potest percipere, & in usus suos convertere *c. avaritiæ 10. c. de Monachis 12. de Præb.* Innoc. *in c. Pastoralis cit. n. 1.* Abb. *n. 7.* Pirh. *n. 36.*

Aliud est, si alicui Monasterio, vel 282
alteri pio loco concessa sit aliqua Ecclesia pleno jure; tunc enim illa fit exempta à Jurisdictione Ordinarii, & Monaste-

rium exemptum acquirit Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos Ecclesiæ unitæ, ita, ut præsentatio, institutio, & destitutio Clericorum ad illud Monasterium deinceps spectet. Ex quo tamen iterum non sequitur, quòd, nisi expressè addatur, fructus illius Ecclesiæ possit in utilitatem suam convertere; quia, cùm ea concessio cedat in præjudicium Ecclesiæ concessæ, concessio strictè interpretari debet.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

1. *Ratio introductæ Purgationis.*
2. *Hujus Definitio, & Divisio.*
3. *Canonica alicubi etiam in foro Sæculari recepta est.*
4. &c. *Definitio istius, & modus, quo olim fiebat.*
8. &c. *Quis sit hodie Purgationis Canonicæ modus?*
13. &c. *An rectè indicatur accusato, qui criminis, de quo diffamatus est, convinci non potest?*
16. &c. *A quo indici possit?*
19. &c. *Cui possit indici?*
23. &c. *Quando?*
28. &c. *Quid advertendum circa Compurgatores?*
35. *Quis sit Effectus Purgationis Canonicæ?*
36. &c. *An is, qui ritè peracta Purgatione absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari?*
40. &c. *Quæ sit pœna deficientis in Purgatione?*

1 POst enarrationem Criminum Fori Ecclesiastici sequitur *Purgatio*, quæ tendit vel ad pœnam infligendam illi, qui diffamatus fuit de crimine, si in Purgatione deficiat, vel ad declarandam illius innocentiam, si rite eandem præstitit: idque jure meritissimo; cùm enim delicta manere impunita non debeant, sæpe autem hoc fieret ob defectum probationum, si Purgatio indici non posset, ideo salubriter inventum hoc medium est, ut vel per confessionem propriam veniat Judex in Delicti notitiam, vel si innocens sit infamatus de crimine, à suspicione hujus absolvatur.

2 Quæritur 1. quid, & quotuplex sit *Purgatio*? R. *Purgatio in genere* est *ostensio innocentiæ ab objecto crimine.* Sylv. *V. Purgatio pr.* Duplex est, Canonica, & Vulgaris. Hæc *Tit. seq.* declarabitur. Prior *Canonica* dicitur, quia à Jure Canonico est adinventa, & ab hoc proin vim & efficaciam suam habet; nam de Jure Civili minùs videtur esse cognita, nisi fortasse quoad personas Illustres, vel alias, quæ à tortura immunes sunt: & sic Reginam Sophiam, de adulterio accusatam, suo, & septem Matronarum, ac Nobilium fœminarum juramento se purgâsse, ait Barbos. *in c. 3. h. tit. n. 2.*

3 In quibusdam tamen locis etiam in foro Civili recepta est, teste Damhoud. *prax. crim. c. 44.* & in crimine fractæ Pacis præscribitur usurpanda, per *Ordin. Cam. p. 2. art. 10. fin.* Gaill. *l. 2. de Pac. public. c. 7.* Wagnereck *in c. 3. h. tit. fin.* Vallens. *hic n. 7.* Imò etiam in Jure Civili indicia quædam illius extant *l. fin. in fin. C. de Abolit. l. eos 26. fin. C. de Usur.* & *Novell. 124. c. 2.* In gravibus tamen delictis, ubi de pœna vitæ, aut membrorum agitur, adhiberi purgatio in foro Civili non debet, ob periculum perjurii, cùm quilibet præsumatur facturus quidlibet pro redimendo suo sanguine: sed tunc reus per plenissimas probationes convinci debet *l. fin. C. de Probat.* vel si tales probationes haberi nequeant, illæ, quæ habentur, & semiplenæ duntaxat sunt integrari debent per confessionem propriam in tormentis factam, & in banco Juris confirmatam, prout dictum est. *Libr. 2. Tit. 18. n. 11.*

4 Quæritur 2. quid sit *Purgatio Canonica*, & quid ejus fuerit olim modus? R. definiri *Purgatio Canonica* potest, quòd sit *ostensio innocentiæ de objecto crimine, juxta præscriptum SS. Canonum facta.* Host. *Summ. hic n. 1.* Sylv. *V. Purgatio pr.* Vallens. *hic n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 1.* Sannig. *n. 2.* Reiffenst. *n. 1.* Olim triplici fiebat modo.

5 1. Per Judicium S. Crucis: quod iterum tripliciter contingebat. 1. per Sortes, sive tesseras ad illam jaci, vel Altari, in quo Crux proponebatur, imponi, & post varias precationes indè extrahi solitas. 2. per nocturnas, & sine lapsu diu continuatas ad illam stationes. 3. & frequentiùs per Juramentum, ad S. Crucem, vel per eam, aut eâ contactâ præstitum. Gretser. *l. 2. de Cruce c. 16.* Raynaud. *de Calumn. sect. 3. c. 2. q. 2.* Wiestner *hic n. 3.*

2. Per

6 2. Per Juramentum, tam ab Accusatore quàm à Reo præstitum ad Sepulchra, vel Reliquias SS. Martyrum *can. habet 6. can. Mennam 7. can. quanto 8. &c. caus. 2. q. 5.* eorum præsertim, qui miraculorum editione claruerunt; horum enim præsenti virtute reorum crimina, vel innocentiam detectam, & perjuria celeri ultione palàm vindicata, SS. PP. testantur apud Baronium *ad annum Christi 412. à n. 29.* & Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 6.*

7 3. Per susceptionem Sacramenti Eucharistiæ, aut celebrationem Missæ in testimonium innocentiæ *can. sæpe 23. & can. fin. q. cit.* quòd nemo, sibi objecti criminis conscius, SS. Christi Corpus, & sanguinem in judicium, & condemnationem suam præsumeretur sumpturus, præsertim si, ut aliquando fiebat, adhiberentur imprecationes repentini interitûs, secuturi ex temeraria sumptione. Et hoc modo Gregorius VII. Simoniæ per calumniam insimulatus, publicè se purgavit coram Henrico III. Imp. & vicissim apud hunc instituit, ut, si innocentem se crederet, etiam ipse de probris sibi objectis se purgaret SS. Sacramenti sumptione, quod tamen non obtinuit ab Imp. quippe quem deterrebant exempla aliorum, ut ex Sigeberti Chronico *anno 870.* & Baronio *ad annum 1077.* refert Raynaud. *q. 3. pr.* Wiestner *hic n. 5.* Reiffenstuel *n. 3.*

8 Quæritur 3. quis sit hodie Purgationis Canonicæ modus? R. Hodie sublatis recensitis Purgationum modis, quòd deficeret sensim fidelium in Deum, & Sanctos fiducia, & Religio in superstitionem degeneraret, suffecta per SS. Canones Purgatio per Juramentum; quod tactis Evangeliis in sui purgationem præstat is, qui de crimine per viam accusationis, vel denuntiationis insimulatus, aut de eo publicè diffamatus, vel suspectus est: quæ tamen etiam ipsa multis in locis in desuetudinem abiit, & ferè vix ampliùs locum habet, nisi fortè in crimine Hæresis iis in partibus, ubi viget Inquisitio. Quia tamen in Regularibus etiamnum viget, & etiam in foro Sæculari, ut *n. 3.* dictum est, quibusdam in locis recepta est, hinc non erit inutile modum ejus faciendæ explicare.

9 Modus autem istius Purgationis est, qui sequitur. 1. qui se purgare de crimine objecto vult, jurare de innocentia sua debet super sancta DEI Evangelia, etsi sit Episcopus, si gravitas causæ exigat *c. quotiens 5. h. tit.* Vallens. *hic n. 2.* Zœs. *n. 3.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 15.* König *n. 5.* Sannig *n. 3.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 4.*

2. Cùm accusatus, vel diffamatus deposuerit Juramentum hoc pro sua innocentia, eandem innocentiam juramento pariter super Evangelia facto testantur Compurgatores, à Reo ad hoc assumpti *c. quotiens cit.* Vivian. *ibid. in Ration.* Vallens. *n. 3.* Zœs. *n. 4.* Sannig. *n. 3.* Wiest. *n. 6.* Reiffenst. *n. 5.*

10 3. Inter Juramentum purgandi, & Compurgatorum hoc interest, quòd Juramentum purgandi, ut Canonicam Purgationem faciat, debet esse Veritatis, Compurgatorum verò sufficit, si credulitatis sit. Gloss. *in c. de testibus 13. V. credant h. tit.* Abb. *in c. quotiens cit. n. 2.* Begnudell. *V. Purgatio n. 3.* Engl *n. 3.* Pirh. *n. 30.* Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *n. 5.* Ratio est, quia conscientiam nostram videre possumus, aliorum minimè. Augustin. *in Joan. tr. 74. & 75. tom. 9.* & hinc si Compurgatores præstarent Juramentum Veritatis, subirent periculum ancipitis perjurii. Et hinc

11 4. In Compurgatoribus, sufficit si jurent, se credere, quòd purgandus verum juraverit, & proinde crimen, de quo infamatus est, non commiserit *c. quotiens cit.* & DD. *qui suprà.* Purgandus verò jurare debet, se innocentem esse ab imputato sibi crimine, & hoc nec per se, nec per alium commisisse, adeóque quòd illud nec mandaverit, nec consuluerit, nec favorem, authoritatem, vel auxilium ad hoc dederit, nec suo nomine factum ratum habuerit. Vivian. *l. cit.* Vallens. *n. 2.* Zœs. *n. 3.* Sannig *n. 3.* König *n. 5.* Quare non sufficit, si reus simpliciter juret, quòd sit immunis à crimine sibi objecto; hoc enim verificaretur, si de crimine illo egisset pœnitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur. Reiffenstuel *n. 4.* Potest ergo etiam illi, qui in foro conscientiæ à crimine absolutus est, indici Purgatio propter infamiam, quæ sæpe in eo, pœnitentiâ peracta, remanet, & Purgationis remedio tolli debet *can. Euphemium 7. §. hinc colligitur caus. 2. q. 3.*

12 5. Antequam purgandus se hoc modo purget, si crimen, de quo infamatus est, tale sit, ut mereatur depositionem, suspendi ab Officio debet, donec se purget legitimè. *c. siquis 2.* & *ibi* Vivian. *h. tit.* Vallens. *n. 5.* imò ut *c. inter 10. h. tit.* statuitur, si crimen grave sit, & tertiò monitus non vitaverit occasionem, quæ eum infamem reddit, suspendi etiam à Beneficio potest: & ratio est, quia opinio Ecclesiasticæ personæ in nullo debet vacillare *can. Laici 6. dist. 33.* Accedit, quia si de gravi crimine infamatus interim Ecclesiasticis Officiis, & administrationibus se immiscaret, grave scandalum in populo fidelium generaretur. Dixi, *Tertiò monitus*; hinc oritur quæstio, an moneri purgandus debeat, antequam procedatur ad suspensionem, vel Purgationem Canonicam indicendam? R. distinguendum esse, an Delictum, de quo purgandus infamatus est, sit suc-

ſucceſſivum, & permanens, an verò momentaneum, & tranſiens. *Si ſucceſſivum, & permanens ſit*, v. g. quia detinet mulierem ſuſpectam in domo, aut verſatur in loco minùs honeſto, præcedere neceſſariò admonitiones *c. ſi quis cit.* præſcriptæ debent; quia poteſt ſe emendare abſtinendo ab actibus ſuſpectis. *Si momentaneum, & tranſiens ſit*, e. g. quia infamatus eſt de homicidio, furto, aut Simonia commiſſa, neceſſarium non eſt, ut præcedant admonitiones; quia fruſtra illæ fierent, cùm purgandus non poſſit ſe corrigere quoad delictum jam præteritum, & peractum: & idcirco Judex eo caſu ſtatim indicere Purgationem poteſt, imò etiam ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficio, ſi gravitas criminis, & neceſſitas ſcandali tollendi poſcat, decernere, dum ſe purgaverit.

13 Quæritur 4. an rectè accuſato, qui criminis, de quo diffamatus eſt, convinci non poteſt, indicatur Purgatio Canonica? *Ratio dubitandi eſt.* Quia ſi indicitur hæc Purgatio, indicitur vel quia accuſator legitimus non eſt; & tunc fatigandus non eſt accuſatus, cùm in Jure talis accuſatio attendi non debeat: vel legitimus quidem eſt accuſator, ſed crimina objecta non probat; & tunc certum eſt, accuſatore non probante, reum debere abſolvi, quamvis iſte nihil præſtiterit *l. fin. C. de R. V.* & *l. negantes 9. C. de O. & A.* ergo nullo caſu Purgatio Canonica poteſt injungi Reo. 2. Si indici Purgatio Canonica poſſet, poſſet ideo, quia reus poſtulatus laborat infamiâ. hoc nihil probat; nam famæ, & rumori temerè credendum non eſt *c. ſuper eo 5. de eo, qui cognov. conſang.* & hinc *c. tua nos 8. de cohab. Cler.* ait Pontifex, non teſtimoniis, quæ rumor ſpargit, atque circumfert, ſed teſtibus tantùm in Judicium productis eſſe credendum. ergo etſi infamia contra reum poſtulatum abſit, non tamen ideo cogendus eſt ſubire Purgationem Canonicam. 3. fallax valde eſt hoc Purgationis genus; nam Compurgatores, ut *n. 10.* dictum eſt, tantùm deponunt de credulitate. atqui teſti deponenti de credulitate in facto alieno fidem non adhiberi poſt *Gloſſam* docent omnes *in l. teſtium 18. C. de Teſtib.* 4. Facilè colludere Compurgatores cum reo poſſunt, & ſic probare innocentem, qui vel maximè reus eſt.

14 Sed nihilominus dicendum, quòd infamatus de delicto, quod plenè probari non poteſt, compelli queat ad purgandum ſe Juramento proprio, & Compurgatorum. Ita Gonz. *in c. fin. h. tit. n. 2.* & ibi DD. ſumitur ex *can. Presbyter 5.* & *ſeqq. cauſ. 2. q. 5.* Ratio eſt, quia ſatiùs eſt purgatos eſſe, quàm ſuſpectos. meritò igitur Eccleſia, quæ in ſuis Miniſtris nec criminum ſuſpicionem ſuſtinet, ſtatuit, ut cùm aliquis laborat infamiâ criminis, quod probari non poteſt, ſe purget Juramento, ut ſic immunis reddatur ab objecto crimine.

Neque obſtant Rationes dubitandi oppoſitæ. *Ad 1.* id, quod dicitur, reum actore non probante, abſolvendum, procedit in Civilibus; in Criminalibus, cùm adeſt infamia, in ſuo foro Eccleſia vult, ut reus probet innocentiam ſuam, quamvis contrarium fiat in foro ſæculari. *Ad 2.* non cuivis rumori creditur, ſed debet eſſe ſuſpicio fundata, ut *infrà* dicetur. *Ad 3.* Compurgatores debent eſſe vicini, & rationem depoſitionis ſuæ reddunt, videlicet quia, cùm vicini ſint, ſi aliàs delictum fuiſſet commiſſum, non ignorarent: & ideò illorum depoſitiones plenam probationem faciunt. *Ad 4.* quòd colludere poſſint, non eſt attendendum, cùm nemo credatur eſſe immemor ſuæ ſalutis. 15

Quæritur 5. à quo indici Purgatio Canonica poſſit? R. indici poteſt à ſolo Judice competente, qui de crimine aliàs cognoſcere poteſt, aut debet, adeò, ut ſi à non Judice, vel à Judice incompetente indicta ſit, minimè valeat, effectúque careat, perinde, acſi facta non fuiſſet *arg. c. licèt 5. de offic. Legat. c. nos inter 6. c. inter 10.* & *c. cùm dilectis 15. fin. h. tit.* Begnud. *V. Purgatio n. 2.* Reiffenſt. *hic n. 7.* Zœſ. *n. 2.* Pirhing *n. 2.* Sannig *n. 3.* 16

Et hinc, quamvis, ut *n. 19.* dicetur, Purgatio Canonica poſſit ab Epiſcopo indici etiam Laicis ſubditis ſuis Diœceſanis, debet tamen crimen, ob quod indicitur, eſſe tale, quod ſpectet ad cognitionem Eccleſiæ, vel Epiſcopi, uti ſunt crimen Hæreſis, Adulterii, Simoniæ, & alia, quæ vel ſunt fori Eccleſiaſtici tantùm, vel mixti. *Ratio eſt*, quia Purgatio nunquam inducitur, niſi in defectum probationum, igitur ſi ad Epiſcopum non ſpectet cognitio delicti contra Laicum, coram eo non fient probationes, & conſ. nec Purgatio illius Delicti. 17

Neque obſtat, quòd textus *c. nos inter cit.* dicat indiſtinctè *de aliquo crimine*; nam de cæteris criminibus, quæ ad cognitionem Epiſcopi non ſpectant, textus ille ſolùm intelligendus eſt in ordine ad imponendam pœnitentiam in foro animæ, non verò in foro Judiciali, ubi Judex non poteſt pœnam infligere, niſi delictis ſpectantibus ad ſuum Tribunal, & forum. In iis tamen locis, ubi Jurisdictionem etiam temporalem Epiſcopus habet, ſicut de omnibus criminibus poteſt cognoſcere, ita de iis etiam poteſt purgationem indicere Laicis. 18

Quæritur 6. cui Purgatio Canonica indici poſſit? R. indicenda non eſt, niſi perſonis, quarum famæ, & exiſtimatio- 19

nis integritas Christiano populo est valde necessaria, ut sunt Episcopi, & alii Prælati, Prædicatores Verbi Divini, Sacerdotes, & alii Viri aliàs honesti, ac fide digni, etiam Laici *arg. c. nobilis 1. h. tit.* quamvis, si altioris sint gradûs, & personæ illustres, ab iis exigi non debeat Juramentum, nisi causæ gravitas istud exigat *c. Nobilis cit.*

20 Neque faciendum est discrimen, an Regulares sint, vel Sæculares; nam etiam Regularibus cujuscunque sint sexûs, si publicè diffamati fuerint de crimine, vel graviter suspecti, & testes, vel aliæ probationes deficiant, Purgatio Canonica rectè indicitur, prout constat ex *c. Moniales 3. h. tit.* & docet Vivian. *ibid. in Ration.* Pirhing *hic n. 4.* Ratio est, quia in Regularibus præcipuè est integritas, & bona fama custodienda; *can. nolo 10. caus. 12. q. 1.* & multò majori pœnâ sunt digni, si illi, quibus plurimum honoris per jussiones Principum est delatum, reperiuntur in crimine *can. Presbyteri 5. q. 6.*

21 Contrà viles, & plebeji homines, si de criminibus, quorum plena probatio haberi nequit, accusati, diffamati, aut graviter suspecti sint, ad Purgationem Canonicam admitti non debent, sed quæstionibus per torturam subjiciendi sunt; tum quia non facilè inveniunt Compurgatores, tum quia apud hos est periculum perjurii. Farin. *prax. crim. q. 96. n. 64.* Engl *n. 4. hic* Wiestner *ibid. n. 7.*

22 *Dubium est*, an, cui Purgatio indicta est ab Episcopo, appellare ad Superiorem possit? ℟. posse, si justam appellandi causam habeat. Gloss. *fin. in c. 6. h. tit.* Host. *ibid. V. appellandum*, Abb. *in fin.* Vivian. *in Ration.* Pirhing *n. 3.* & tunc appellans parebit judicio ejus, ad cujus examen causam per appellationem transtulit. Causæ autem hujusmodi esse possunt, si purgare se jussus dicat, se non esse diffamatum, si Episcopus non velit admittere testes, inter quos conversatus est Reus, sed extraneos, ignotos, vel inimicos illius, si excedat modum in purgatione, vel alio modo eundem gravet &c.

23 Quæritur 7. quando purgatio Canonica indici possit? ℟. indici potest super quocunque crimine, vel delicto non plenè probato: imò non solùm super crimine, sed etiam quandoque super macula, defectu, aut impedimento, e. g. defectu natalium, quod promotioni ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica obstat; nam antequam de tali macula diffamatus ad hos promoveatur, priùs purgare Canonicè sese debet, prout factum est *c. accedens 14. h. tit.* ubi Innocentius III. præcepit, ut à Diacono, qui ad Presbyteratum aspirabat, & ab æmulis super defectu natalium divulgabatur, Purgatio reciperetur super ista infamia. Gloss. *in c. cit. V. Purgatione*, Host. *ibid. V. promoveri*, Abb. *n. 1.* Vivian. *in Ration.* Pirhing *hic n. 5.* Wiestn. *n. 2.* Reiffenst. *n. 15.* Ratio est, quia defectus natalium, etsi non sit nota delicti, est tamen nota defectûs, impedientis promotionem ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica. Ut tamen rectè indicatur, requiruntur sequentes circumstantiæ.

1. Purgandus debet priùs esse pub- 24
licè diffamatus de crimine apud bonos, & graves viros *c. cùm dilectis 15. V. si verò h. tit.* Innoc. *in c. 6. eod.* Sylv. *V. Purgatio n. 2.* Begnud. *V. eod. n. 2.* Zœs. *hic n. 2.* Pirh. *n. 7.* Engl *n. 2.* König *n. 3. & 4.* Sannig *n. 7.* Wiestn. *n. 12.* Reiffenst. *n. 8.* Et hic est casus exceptus, ut in eo admittatur Juramentum ab infamato: & hoc necessariò; quia non infamato Purgatio non indicitur. Intellige autem de infamato infamiâ facti; nam infamatus infamiâ Juris non potest se purgare per Juramentum. Pirhing *n. 20.* Addidi, apud bonos, & graves viros; nam ob infamiam solùm ab æmulis, & inimicis ortam non est alicui indicenda Purgatio, uti patet ex *c. cùm in juventute 12. h. tit.* & notat Host. *Summ. n. 3.* Sylv. *n. 2. cit.* Vivian. *in c. 12. cit. in Ration.* Pirh. *n. 7.* Reiffenst. *n. 10. Excipe*, nisi tamen ex infamia orta etiam à malevolis scandalum publicum generaretur in populo; tunc enim, si illud sedari, seu tolli per Purgationem potest, indicenda est: & ratio est, quia causâ vitandi scandali à Jure positivo receditur *c. cùm ex injuncto 2. de nov. oper. nunt. c. cùm teneamur 6. de Præb. c. nihil 2. de præscript.* Abb. *in c. qualiter 24. de Accus. n. 29.*

2. Suspiciones, præsumptiones, & 25
indicia criminis debent esse verisimilia, non levia tantùm, non ita gravia, ut ad torturam sufficiant, multò minùs talia, quibus crimen, vel innocentia plenè probetur *c. si quis 4.* ibi, *verisimilibus suspicionibus*, & *c. inter 10. V. attendentes* ibi, *Vehementem suspicionem h. tit.* quibus textibus dicitur indicenda Purgatio propter vulgatam infamiam, grave scandalum, vehementem suspicionem, & verisimiles suspiciones. Vallens. *n. 6.* Pirhing *n. 9.* König *n. 4.* Sannig *n. 7.* Ratio est, quia si levis solùm sit suspicio, locum habet tritum illud, *Vanæ voces populi non sunt audiendæ.* Si ad torturam sufficiant, hæc adhibenda est, non Purgatio, nisi persona sit, quæ torqueri non debeat: si planè probent crimen, reus condemnari debet sine Juramenti delatione *c. cùm dilectis cit.* si innocentiam, etiam sine Purgatione absolvi *l. qui accusare 4. C. de edend. l. actor 23. C. de Probat.* Clar. *§. fin. q. 63. n. 4.* Pirh. *n. 21.* Quodsi tamen pars instet, & positis etiam levibus solùm indiciis, petat indici si-

bi Purgationem ad innocentiam suam demonstrandam, indici poterit, non juris necessitate, sed importunitate petentis, ut dicitur *c. cum in juventute cit.*

26 3. Crimen non debet esse notorium *c. cùm dilectis 15. h. tit.* Abb. *ibid. n. 4.* Menoch. *de arbitr. cas. 166. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 11.* Vivian. *in c. cit. in Ration.* Vallens. *hic n. 6.* Engl *n. 2.* König *n. 4.* Sannig *n. 7.* Wiestner *n. 10.* Reiffenstuel *n. 12.* Begnudell. *V. Purgatio n. 2.* Ratio est, quia notorium nulla potest tergiversatione celari *c. fin. de cohabit. cler. & mul.* nec indiget probatione, nec accusatione *can. manifesta 15. caus. 2. q. 1. c. evidentia 9. de Accusat.* cùm ob solam notorietatem sine alia inquisitione Judex procedere ad pœnæ impositionem possit. igitur nec Purgatione indiget; nam hæc locum habet solummodo, cùm factum est dubium, & accusatores, ac testes deficiunt. Interdum tamen etiam in notoriis recipiuntur probationes ex abundanti, & ad majorem cautelam *can. pudenda 33. fin. caus. 24. q. 1. c. bonæ 23. ℣. licèt autem de Elect. l. causam 20. pr. ff. de manumiss.* cùm *nihil sit ita indubitatum, quod non recipiat quandam sollicitam dubitationem*, ut loquitur Imperator *Novell. 44. c. 1. §. 3.*

27 4. Indicenda non est Purgatio, quando infamatus, aut graviter suspectus convinci de crimine per idoneos accusatores, aut alias probationes potest *c. siquis 2. c. quotiens 5. c. ex tuarum 8. c. inter 10.* ibi, *Accusatore, & testibus deficientibus h. tit.* Innoc. *in c. 6. h. tit.* Syly. *V. Purgatio n. 2.* Decian. *tr. crim. l. 5. c. 48. n. 10.* Vivian. *in c. siquis cit. in Ration.* Vallens. *hic n. 6.* Pirhing *n. 8.* König *n. 4.* Sannig *n. 7.* Wiestner *n. 11.* Reiffenstuel *n. 11.* Begnudell. *n. 4.* Ratio est, quia rebus debemus uti eo modo, quo sunt institutæ *can. is autem 4. caus. 22. q. 2.* sed Purgatio inducta est in subsidium aliarum Probationum. ergo &c.

28 Quæritur 8. quid advertendum circa Compurgatores? R. Compurgatores dicuntur testes eorum, qui se purgant ab infamia criminis. 1. Debent esse tolerati ab Ecclesia, non condemnati in Judicio propter crimen, uti sumitur ex *c. constitutus 9. h. tit.* & notat Vivian. *ibid. in Ration.* Vallens. *hic n. 4.* Zœs. *n. 4.* Pirhing *n. 31.* Sannig *n. 4.* nam si in Judicio condemnati sunt propter crimen, per sententiam hoc eorum crimen factum est notorium, & sic tanquam criminosi repelli à testimonio ferendo debent *c. testimonium 54. de testib.* quin etiamsi solùm per modum exceptionis crimen ipsis objectum sit, & probatum, repelli possunt, ut notat Pihing *n. 32.* & hoc propter infamiam, quæ secuta est ex hac repulsione.

29 2. Debent esse honestæ personæ, h. e. bonæ existimationis, & fide dignæ *c. cùm P. 7. h. tit.* Vivian. *ibid. in ration.* Sylv. *V. Purgatio n. 5.* Begnud. *V. eod. n. 3.* Vallens. *n. 4.* Zœs. *n. 4.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 27.* König *n. 4.* Sannig *n. 4.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 5.* Ratio est, quia tales esse debent, ut verisimile sit, eos nolle amore, vel odio, vel spe pecuniæ obtinendæ pejerare.

30 3. Debent esse personæ vicinæ illi, cujus purgatio petitur, ut habetur *c. cum dilectus 11. h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. vicinæ*, Abb. *in c. 14. h. tit.* Sylv. *l. cit. n. 5.* Vallens. *n. 4.* Pirhing *n. 29.* Sannig *n. 4.* Wiestner *n. 8.* Reiffenstuel *n. 3.* Ratio est, quia vicini præsumuntur meliùs scire, & nôsse conditionem, & qualitatem, adeóque etiam vitam, & mores purgandi. Si tamen non possent haberi Compurgatores vicini, quia e. g. sunt exosi purgando, aut ejus inimici, possent assumi alii, qui tamen

31 4. Debent notam sibi habere vitam purgandi, ut DD. *citt.* tradunt; quia debent deponere de credulitate super vita, & moribus purgandi, hoc autem non possent rite facere, si notam sibi vitam, & mores purgandi non habeant, ergo &c. Procedit hoc non tantùm de præsenti, sed etiam de præterito *c. inter 10. ℣. attendentes h. tit.* nisi purgandus solùm esset super crimine, quod commisisse fertur moderno tempore; nam tunc notitia præsentis temporis sufficit: prout etiam sufficit, si crimen jam sit pridem commissum; quia purgandus potuit interea se emendâsse.

32 5. De Jure communi debent esse ejusdem Ordinis cum purgando, ita, ut si hic sit Episcopus, Compurgatores sint etiam Episcopi, si Presbyter, Presbyteri *c. inter*, & *V. attendentes citt.* Sylv. *V. Purgatio n. 5.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 28.* König *n. 5.* Quodsi tales haberi nequeant, vel qui haberi possunt, ejus, qui purgare se debet, inimici sint, admitti alii possunt etiam inferioris Ordinis Clerici *ex tuarum 8.* & *c. cùm in juventute 12. h. tit.* & his deficientibus, etiam Laici, imò & fœminæ. Gloss. *fin. in c. 12. cit.* Host. *in Summ. n. 5.* Zœs. *n. 4.* Wiestner *n. 9.* cum *citt.* Quodsi purgandus sit advena, seu extraneus, & quia notos non habet, Compurgatores non potest acquirere, tunc, deficiente criminis probatione, credendum est soli Juramento purgandi. Gloss. *fin. in c. cùm P. 7. h. tit.* Abb. *in c. inter cit. n. 7.* Decian. *tr. crim. c. 48. n. 26.* cum *citt.* Sed hic jurare debet, non solùm se innoxium esse, sed etiam Compurgatores habere non posse, ut cum *Abb. Zœs. l. citt.* advertit Reiffenstuel *hic n. 6.*

6. Olim

33 6. Olim secundùm antiquos Canones Episcopus se purgabat, adhibitis 12. Episcopis, Sacerdos, adhibitis 5. vel 7. Sacerdotibus, Diaconus coram tribus aliis Diaconis, hodie verò compurgatores adhibendi sunt plures, vel pauciores ad arbitrium Judicis, spectata qualitate personæ, gravitate criminis, & infamiæ *c. Presbyter 13. can. omnibus 19. caus. 2. q. 5.* Abb. *in c. inter cit. n. 4.* Host. *in Summ. n. 4. h. tit.* Sylv. *V. Purgatio num. 5.* Vallens. *n. 5.* Zœs. *n. 4.* Pirhing *n. 33.* Sannig *n. 3.* Sic *c. inter cit.* indicta Purgatio fuit Decano alicui, adhibitis 14. sui Ordinis, *c. cùm in juventute 12. h tit.* cuidam Episcopo, adhibitis tantùm duobus Abbatibus, & *c. cùm P. 10. de accus.* cuidam Sacerdoti, adhibitis tantùm tribus Sacerdotibus: ut proinde numerus Compurgatorum hodie sit arbitrarius. Sylv. *l. cit.* Imò ut Vallens. *n. 3. cit.* testatur, Compurgatores à Judice, si ita videbitur, omnino omitti possunt. Quandoque etiam, si levior sit diffamatio, Judex potest ipsius Rei simplici negatione contentus esse.

34 7. Denique Compurgatores non sunt ita strictè examinandi, sicut alii testes, vel etiam sicut Ordinandi *c. constitutus 9. h. tit.* Gloss. *ibid. in notat.* Pirhing *n. 32.* Ratio Disparitatis est, quia Compurgatores sunt testes voluntarii, nec possunt compelli ad compurgandum, sicut alii testes compelli possunt ad ferendum testimonium. Accedit, quia Compurgatores jurati deponunt secundùm conscientiam, & opinionem suam, ideóque possunt timere, ne perjurium incurrant; alii verò testes deponunt de his, quæ sunt acta ipsis præsentibus, & videntibus, vel audientibus. Abb. *in c. cùm dilectus 11. fin. h. tit.* Pirhing *l. cit.*

35 Quæritur 9. quis sit Effectus Purgationis Canonicæ? R. si ritè peracta sit, tres præcipuè effectus operatur. 1. absolvendus est is, qui se purgavit, à Suspensione, si hæc propter objecti criminis, vel infamiæ, aut scandali, ex eo orti gravitatem ipsi ab initio inflicta fuit *c. ex tuarum 8. c. inter 10. h. tit.* Sylv. *V. Purgatio n. 7.* Begnud. *V. eod. n. 8.* Vallens. *hic n. 8.* Zœs. *n. 7.* Pirhing *n. 34.* König *n. 9.* Sannig *n. 6.* Wiestner *n. 16.* Reiffenstuel *n. 17.* cum aliis. 2. Idem ab objecto crimine sine ulteriori mora absolvendus, declarandus innocens, & in pristinum statum restituendus est *can. habet 6. can. mennam 7. can. omnibus 19. caus. 2. q. 5.* & DD. *citt.* 3. idem declaratur vir boni testimonii *c. ex tuarum cit.* atque ita tollitur infamia, & redintegratur honor, atque existimatio apud homines, præsertim (in crimine successivo) si vitam bonis moribus adornet, ut omnis ab eo suspicio ex probatorum & honestorum hominum men-

tibus deleatur *c. inter cit. fin.* Farin. *prax. crim. q. 194. n. 44.* cum reliquis *suprà.*

36 *Dubium est*, an is, qui rite peracta Purgatione absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari? Affirmant nonnulli, nixi *can. Mennam cit.* ubi permissum est, ut Episcopo, coram Papa Purgato, nova indiceretur Purgatio.

Sed distinctio est adhibenda: Vel enim post absolutionem, vigore Purgationis præstitæ factam, secuta est nova criminis infamia, vel non secuta est. *Si primùm*, purgatus potest iterum accusari, & alia innocentiæ probatione deficiente, nova ipsi indici Purgatio, ut rectè Abb. *in c. 8. h. tit. n. 5.* Zœs. *hic n. 8.* Pirhing *n. 36.* Wiestner *n. 17.* Reiffenstuel *n. 19.* advertunt. *Ratio est*, quia absolutio, post hujusmodi Purgationem secuta, facta est per probationes non integras, cùm Compurgatores tantùm jurârint de credulitate. atqui quando absolutio facta est per probationes non integras, nova accusatio locum habet, *per l. admonendi 31. ff. de Jurejur.*

37 *Si secundum*, interest, an accusatio præcesserit, an verò non. *Si præcessit accusatio*, regulariter loquendo novæ accusationi non amplius locus est. Gloss. *in can. Mennam cit.* Host. *hic n. 6.* Wiestner *n. 17.* Reiffenstuel *n. 18.* tum quia de ejusdem hominis delicto sæpiùs quærendum non est *l. licèt 6. fin. ff. naut. caupon. &c.* tum etiam, quia Jusjurandum non minoris est authoritatis, quàm res judicata *l. jusjurandum 2. ff. de Jurejur.* quæ habetur pro veritate *Reg. 207. ff.* Dixi *regulariter*; nam in quibusdam casibus nova Accusatio est permittenda. 1. quando accusator suam, aut suorum injuriam persequitur *l. si cui 7. §. iisdem 2. ff. de Accus.* 2. si doceret, priorem Accusatorem prævaricatum *l. prævaricationis 1. §. namsi 1. ff. de Prævaricat.* 3. si probaret, ad sui purgationem pejerâsse *l. admonendi cit.* Goffred. *in l. fin. C. de reb. credit.* Wiestner *n. 19.* Reiffenstuel *n. 19.*

38 *Si verò Accusatio non præcessit*, sed tantùm infamia, iterum distinguendum est: Vel enim terminus fuit assignatus, intra quem omnes, qui volunt accusare, hoc possunt, cum clausula, *deinceps non audiendos*; & tunc casu, quo intra terminum assignatum nullus comparuit accusator, accusatio admitti non debet *arg. c. fin. qui Matr. accus. poss.* vel non fuit assignatus terminus, sed absente accusatore, non tamen per contumaciam, purgatio, & absolutio facta est; & tunc eâ non obstante, admitti adhuc accusatio potest, modò accusator in se velit suscipere onus probandi, ut rectè monet Pirhing *n. 36.* urget enim hic ratio allata *n. 36.* quia ab-

solutio videlicet facta est per probationes non integras.

39 Neque obstat textus *can. Mennam* in contrarium allegatus; nam ut *ibi* Glossa *fin.* notat, Mennas à Papa absolutus fuit sub conditione, nisi postea appareat accusator, vel nova infamia oriatur: vel dici potest, quòd à Papa absolutus fuerit ob quandam necessitatem, ea conditione, ut se purgaret etiam apud Reginam, quòd apud hanc quoque, & priùs esset diffamatus. Turrecr. *in can. cit.* §. *tertia quæstio.*

40 Quæritur 10. quæ sit pœna deficientis in Purgatione? ℟. Deficere in Purgatione reus dicitur, cùm vel jurare recusat, vel Compurgatores, qui pro ipsius innocentia jurare velint, nullos invenit. Hoc si fiat, pro convicto habetur, ut pœna etiam criminis ordinariâ à Judice Ecclesiastico puniri possit. Sumitur ex *c. cùm P. 7.* ℣. *deficientem h. tit.* & notat Gloss. *ibid. V. privare.* Sylv. *V. Purgatio 7.* Menoch. *l. 5. præs. 41. n. 3.* Farin. *prax. crim. q. 86. n. 5.* Vivian. *in c. cit. in Ration.* Vallens. *hìc n. 5.* Zœs. *n. 9.* Pirhing *n. 37.* König *n. 8.* Wiestner *n. 20.* Reiffenstuel *n. 16.* Mitiùs tamen aliquando cum eo agitur, & pœna arbitrio Judicis temperatur, præsertim si crimen per viam Denuntiationis, vel Inquisitionis in Judicium deductum sit. Host *n. 7. fin.* Sylv. Wiestner *l. citt.* Ratio horum est, quia præsumptio verisimilis, quæ orta est ex infamia, reo in purgatione deficiente, transit in violentam, ex hac autem ad condemnationem procedi aliquando posse, dictum est *Libr. 2. Tit. 23. à n. 15.*

Dixi *à Judice Ecclesiastico*; nam pœ- 41
na, quæ ab hoc infligitur, non est pœna mortis, vel mutilationis, sed Suspensio ab Officio, & Beneficio, Excommunicatio, Degradatio &c. Aliter loquendum de Judice Sæculari, qui gravioribus pœnis in reum animadvertit: atque hinc Diaz *pract. Canon. c. 152. n. 4.* docet, Clericum propter defectum Purgationis degradatum, & traditum Curiæ Sæculari, non posse à Judice Sæculari puniri pœnâ ordinariâ criminis, quâ Laicus convictus de illo crimine puniretur. *Rationem* dat, quia non est verè, sed interpretativè solùm convictus, pro quo Jure Civili non imponitur pœna ordinaria, sed tantùm, si claris probationibus, vel propria confessione convictus sit.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Purgationis Vulgaris.*
2. &c. *Hujus modus olim adhibitus.*
6. &c. *An sit licita?*
9. &c. *An rectè prohibeatur?*
13. &c. *An sententia, lata ex Purgatione Vulgari, à qua non fuit appellatum, possit retractari?*
17. &c. *An licitus sit ille purgandi modus, qui olim fiebat per celebrationem Missæ, & sumptionem SS. Eucharistiæ?*
19. *An liceat provocare ad Judicium Divinum in finem innocentiæ ostendendæ?*

1 QUæritur 1. quid sit *Purgatio Vulgaris*, & quis olim fuerit ejus instituendæ modus? ℟. *Purgatio Vulgaris*, sic dicta, quia vulgus eam invenit, & usu induxit, definitur, quòd sit *demonstratio innocentiæ, vel criminis, vulgo tantùm, & temere usurpata, & nullo modo approbata.* Olim pro temporum, & gentium varietate varia rituum solennitate fieri consuevit; præcipuè quatuor modi præ cæteris in usu erant.

2 1. Per *Monomachiam*, quâ criminum falsò accusati cum adversario, sive accusatoribus congressi, quantúmvis ætate, viribus, & tractandorum armorum peritiâ inferiores essent, solius innocentiæ præsidio victores, calumniam depulerunt, ut Raynaud. *de calumn sect. 3. c. 2. q. 4.* & alii referunt.

3 2. Per *judicium ferri candentis.* Quæ Purgatio olim fiebat hoc modo: primò dicebantur Litaniæ; sequebantur certæ aliæ preces, & orationes: his peractis aqua benedicta dabatur ad degustandum; denique proferebatur ferrum candens, & culpato dabatur in manus, qui illud per spatium decem pedum portare debebat: & siquidem post tres noctes illæsa manus apparuisset, absolvebatur culpatus; sin, culpabilis reputabatur. Aliquando verò, præmissis ritibus prædictis, insimulatus criminis, vel aliàs de eo diffamatus, subibat rogum, prunas, aut vomerem ignitum, & calcabat pedibus: & similiter, si illæsus mansisset, pro innocente, si lædebatur, pro convicto habitus est. Raynaud. *l. cit. q. 5.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 5.* Engl *hìc n. 6.* Wiestn. *n. 2.*

4 3. Per *Aquam ferventem*, sive bullientem: quæ sic fiebat. Post adhibitos certos exorcismos, & Orationes, accusatus,

tus, vel diffamatus de crimine in eam immittere debebat brachium usque ad cubitum, & siquidem istud illæsum indè extraheret, innoxius reputabatur; si verò ambustum, delictum illud, de quo accusabatur, perpetrâsse credebatur. Delrio *Disq. Magic. l. 4. q. 5. sect. 1. & 2.* Gonzal. *l. cit. n. 6.* Engl *n. 6. hic*, Wiestner *ibid. n. 3.*

5 4. Per *Aquam frigidam.* Per hanc istum in modum fiebat Purgatio. Colligabantur infamato manus dextra cum pede sinistro & manus sinistra cum pede dextro, & sic colligatus projiciebatur in aquam consecratam certo ritu: & quidem si corpus mergeretur, credebatur reus innocens; si autem superferretur aquæ, quasi eum tanquam sontem respuisset aqua, censebatur convictus, cadebátque causâ, ut colligitur ex adjuratione aquæ D. Dunstani apud *eit. Gonzal. l. cit. fin.* Raynaud. *q. 96.* Engl *n. 6.* Wiestner *n. 3.* Adhibebatur hoc genus Purgationis præcipuè, cùm de Veneficio fæmina aliqua suspecta erat.

6 Quæritur 2. an licitæ sint istæ se purgandi rationes? Fuerunt olim, qui honestas, & Christianis valde congruentes existimabant, & propugnabant; sed modò unanimi TT. & Canonistarum consensu rejiciuntur, propter claros textus SS. Canonum. Et quidem 1. per Monomachiam rejicitur apertè *can. Monomachiam 22. fin. caus. 2. q. 5. cura 1.* & *c. significantibus 2. h. tit.* Ratio est, quia per hanc Purgationis speciem non detegitur veritas, sed sæpe ex DEI permissione prævalet fortior, vel dexterior, ut bene advertunt Abb. *hic n. 2.* Sylv. *V. Duellum q. 1. n. 2.* Pirhing *n. 2. & 7.* König *n. 5. Neque obstat*, quòd David cum Goliath sic pugnârit *1. Reg. 17.* quia id instinctu Spiritûs Sancti factum est, & publica salus exigebat.

7 *Reliquæ* per Judicium ferri candentis, aquæ ferventis, aut frigidæ reprobantur *c. Mennam 7.* & *c. consuluisti 20. caus. 2. q. 5.* item *c. fin. h. tit.* Ratio est, quia ferrum candens, & aqua fervens debet naturaliter lædere, sive adurere tangentes illud: item corpus, quod natare non potest, naturaliter mergitur: unde per hujusmodi purgandi modos id intenditur, ut per miraculum DEUS impediat, ne, qui tangit ferrum ignitum, aduratur, & in aquam projectus, si reus sit, submergatur: quod est tentare DEUM.

8 Idem dicendum de aliis similibus Purgationum generibus, cujusmodi est fluxus sanguinis ex cadavere occisi, præsente occisore. Ex hac multi hodiedum arguunt præsentiam occisoris: sed perperam; nam hic sanguinis fluxus incertissimum indicium præbet, cùm ex causis incognitis descendat, & sæpius fefellit, dum interdum sanguis non effluxit, etsi verus interfector adfuerit, aliquando verò effluxit, accedente innocentissimo.

Quæritur 3. an enumerata Purgationis Vulgaris genera rectè prohibeantur? 9
Ratio dubitandi est 1. quia in Veteri Testamento *Num. 5. v. 18.* simile genus Purgationis præceptum fuit à DEO per aquas amarissimas ad probandum, utrum mulier commiserit adulterium: quod caput insertum est Decreto Gratiani *can. 21. caus. 2. q. 1.* 2. apud Gentiles quoque hoc examen per ignem, & aquam usitatum fuisse constat ex *Sophocle in Antigono*, & narrat *Varro*, Vestalem Virginem, cùm periclitaretur falsa suspicione de stuprro, cribrum implêsse aquâ de Tiberi, & ad suos Judices, nulla ejus parte stillante, portâsse. Similiter Achilles Tacius *l. 8. de amorib. Clitoph. pag. 206.* refert, prope Ephesum fuisse fontem, in quem, cùm violatæ pudicitiæ aliqua arguebatur, cogebatur descendere, juramento priùs depositio, se non fuisse violatam: ferebat autem illa hoc juramentum, in tabella collo appensa descriptum secum, & siquidem innocens erat, aqua omnino immota manebat; sin minùs, licèt vix medias tibias unda aliàs attingebat, intumescere quamprimum cœpit, atque ad collum usque se attollens tabellam contigit. 3. DEUS in Lege nova hujusmodi Purgationem criminum sæpe per miracula confirmavit. Notum est illud S. Cunegundis Imperatricis, & exempla alia habentur passim: sic Brigita Virgo in Scotia cùm lignum Altaris in testimonium Virginitatis tetigisset, viride factum fuit; Briccius Episcopus Turonensis, cùm falsò accusaretur de crimine, ad satisfaciendum populo, ardentes prunas veste inclusas stringens, usque ad sepulchrum S. Martini veste illæsa tulit; & B. Hildegundis, cùm furti accusaretur, ferro candente innocentiam suam ostendit. 4. confirmari videtur ex *Concil. Mogunt. can. 24.* ubi is, qui Presbyterum occidisse fertur, si servus sit, super duodecim vomeres ardentes se expurgare jubetur, prout refert *can. qui Presbyterum 24. caus. 17. q. 4.* 5. talis species Vulgaris Purgationis videtur esse tortura, quæ tamen juxta omnes licitè adhibetur.

Sed dicendum, rectè ejusmodi Pur- 10
gationes ab Ecclesia fuisse reprobatas. Causa reprobandi multiplex fuit. 1. enim pugnant cum usu SS. PP. & redolent ritum Gentilitatis. 2. continent Tentationem DEI, ad cujus extraordinariam Providentiam, & miraculum per eas temere recurritur, cùm tamen plura alia supersint inquirendæ veritatis, & innocentiæ tuendæ media. 3. hic modus Purgationis præstigiis, & magiæ dat locum, cùm per eas petatur effectus, quem causæ ejusmodi neque ex natura sua, neque ex promissione

Divina habent. 4. incertissimum est hoc Judicium, cùm compertum sit, occulto DEI judicio per ejusmodi purgationes multos nocentes liberatos, multos innocentes damnatos fuisse: sic refert Author Malei, famosam maleficam, provocantem ad purgationem ferri candentis, cùm adjudicata fuisset ad illud ferendum per tres duntaxat passus, per sex passus gestâsse indemnem, & ad ulteriùs gestandum se obtulisse, cùm tamen certò esset nocens.

11 *Ex quo sequitur*, graviter peccare Judicem, qui contra personam aliquam, quasi signo hujusmodi proditam, vel ad condemnationem; aut si prodita non videatur, idcirco ad absolutionem procedit: & ratio est, quia in processu contra reum indiciis, & probationibus uti oportet, quæ humano, & naturali modo deprehendi possunt, quales non sunt effectus illi, quorum origo superstitiosa, vel saltem nobis incognita est. Laym. *l. 4. tr. 10. c. 5. n. 5.* König *hic n. 10.* & alii omnes.

12 Neque obstant Rationes dubitandi oppositæ. *Ad 1.* imprimis præceptum illud, tanquam ceremoniale, morte Christi exspiravit *c. translato 3. de Const.* deinde negatur paritas; nam hoc ipso, quòd haustus illius aquæ præscriptus à DEO fuerit, ob promissionem Divinæ assistentiæ fuit medium licitum, & infallibile detegendæ veritatis: circa usum autem Purgationum, de quibus hìc agimus, nulla extat Divina institutio, aut universalis Ecclesiæ approbatio. *Ad 2.* hoc ipso, quòd examen hoc apud Gentiles usitatum fuerit, superstitionem redolet; cons. à Christianis usurpandum non est. *Ad 3.* cùm DEUS miraculis Purgationem hujusmodi confirmavit, instinctu suo speciali ad usurpationem illius propulit, ut veritas eluceret, & calumnia convinceretur: vel si aliqui ex ignorantia invincibili, aut etiam crassâ à DEO postulârunt miraculosam ostensionem veritatis, DEUS in favorem innocentiæ petitioni ipsorum annuit; quia bona intentione illud fecerunt: unde regulariter Judicium hoc est illicitum. *Ad 4.* is erat usus antiquus Gallicanæ Ecclesiæ, sed postea per Cælestinum, Innocentium, Gregorium Pontt. in præsenti *Titulo* relatos, prohibitum fuit: & hinc Gratianus *can. qui Presbyterum cit.* & Raymundus *c. qui Presbyterum 2. de Pœnit. & Remiss.* etsi referant reliqua verba textûs, verba tamen *super duodecim vomeres se expurget* omittunt; quia eorum tempore Purgatio ista jam erat vetita. *Ad 5.* imprimis tortura potest sufferri naturaliter sine miraculo, aliter, quàm Purgatio vulgaris, quæ fit per ferrum candens &c. deinde tortura non adhibetur ad probationem criminis, sed ad eliciendam veritatem, urgente dolore: & hinc quamvis tortus per torturam læsus fuerit, vel dixerit, se esse sustinere non posse, non tamen pro convicto habebitur, nisi insuper crimen confessus fuerit, & hanc suam confessionem extra tormenta, & horum conspectum positus confirmaverit. Engl *hic n. 7.*

13 Quæritur 4. an sententia, lata ex Purgatione vulgari, & Jure reprobatâ, à qua non fuit appellatum, possit retractari? *Ratio dubitandi est*; quia aliàs regulariter sententia, à qua non fuit appellatum, elapsis decem diebus, transit in rem judicatam, nec retractatur, etsi res aliter se habeat, & instrumenta nova postea reperiantur.

14 Sed respondendum est affirmativè Ita Vivian. *in c. 3. de Purgat. Canon.* Pirhing *hic n. 6.* & passim DD. Sumitur ex *c. significantibus 2. b. tit.* ubi cùm quidam de furto accusati, coacti essent cum accusatore in purgationem innocentiæ suæ decertare duello, & in eo cecidissent, furtum verò apud alios deinde inventum fuisset, Pontifex contra sententiam datam mandavit Spoletanis, ut bona, quibus illos spoliârunt, restituerent universa.

15 *Ratio responsionis* est. 1. Quia duellum (idem dic de cæteris Purgationis Vulgaris generibus) est probatio fallax, & cons. sententia, ex eo lata, lata est ex probationibus fallacibus. atqui sententia, lata ex probationibus fallacibus, reperta contraria veritate, retractari debet *c. cùm venerabilis 6. ℣. intelleximus de except.* & *tot. tit. C. si ex fals. instrum.* ergo &c. 2. Duellum in casu *c. cit.* oblatum, indictum fuit ex consuetudine loci, adeóque sententia lata ex probatione non integra. igitur sicut sententia lata ex delatione Juramenti, parti facta per Judicem, comperta veritate, retractari potest, ita etiam ista sententia retractari debuit. 3. Sententia hæc lata fuit contra Ordinem Judiciarium *l. prolatam 4. C. de sent. & interl.* igitur nulla fuit: imò injusta; quia deinde de injustitia illius constabat. Sed sententia injusta, compertâ injustitiâ, revocari debet; quia tunc cessat præsumptio, ex qua unicè valere potest.

16 Ex his cadit *Ratio dubitandi* allata superiùs; quia solùm illa sententia transire potest in rem judicatam, quæ non est lata contra Leges. Sententia autem, lata ex Purgatione vulgari, contra Leges lata est, quæ cùm non teneat, in rem judicatam transire non potest. Neque opus est ad impediendum hunc effectum, ut appelletur à tali sententia *c. sententia 1. de sent. & re judic.* igitur sententia ejusmodi impugnare non potest, quin possit rursus contra illum diffamatum procedi, &, si deficit plena probatio, ei Canonica Purgatio indici.

17 Quæritur 5. an licitus sit ille purgandi modus, qui olim frequenter fuit usitatus,

tus, per celebrationem Missæ, & sumptionem SS. Eucharistiæ, de quo memini *Tit. præc. n. 7. Rationem dubitandi* facit *S. Thomas*, qui apud Suar. *tom. 1. l. 1. de Irreligios. c. 3. n. 8.* censet, talem Purgationem esse per se malam, & illicitam, ac proinde Concilium Wormatiense, relatum *can. sæpe 23. caus. 2. q. 5.* dum statuit, ut si fiant furta in Monasteriis, & qui hæc committunt, ignorentur, Missa ab Abbate, vel ejus jussu ab alio celebretur, quâ finitâ, omnes Fratres communicent dicentes, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, errasse, & Decretum ejus per nova Jura, seu Canones revocatum fuisse. Idem dicendum esset de eo, quod dicitur *can. fin. q. cit.* ubi jubetur Episcopus, vel Presbyter, cui maleficium, vel crimen imputatum est, per Missæ celebrationem innocentem se ostendere.

18 Sed etsi iste purgandi modus, ut bene Pirhing *hic n. 5.* monet periculosus sit, cùm cedere possit in irreverentiam Sacramenti Eucharistiæ, ne ab indignis sumatur, atque ideo rectè abierit in desuetudinem: per se tamen licitus est; neque enim uspiam in SS. Canonibus prohibitus reperitur, aut intrinsecam aliquam malitiam continet, sicut modi Purgationis Vulgaris *n. 2. & tribus seqq.* relati. Ratio disparitatis est, quia cùm iste purgandi modus non fiat ad Virtutem Divinam per miraculum demonstrandam, Tentationem DEI non continet, sed solùm testimonium quoddam est, & confirmatio innocentiæ.

Disputant hic aliqui, an liceat pro- 19
vocare ad Divinum Judicium, in finem innocentiæ suæ ostendendæ? Ad quod ego breviter respondeo, & dico, provocationem istam, si fiat extra vindictæ cupiditatem, desperationem, vanitatem, aut aliam vitiosam affectionem, per se sine peccato fieri posse, cùm nihil superstitionis habeat, neque species sit Tentationis DEI, sed signum tantùm confidentis in conscientia sua animi: addo tamen, provocationem istam esse rem plenam periculi, ac propterea non facilè attentandam. Spectandum etiam, quo fine fiat; nam si fiat bono fine, quia scilicet ita provocans per notoriam injustitiam oppressus est, ut scilicet appareat ipsius innocentia, & Judex iniquus, terrore perculsus, ab oppressione desinat, per se licita est. Mortaliter verò peccat, si provocet injustè; quia graviter suggillat famam eorum, quos citat.

TITULUS XXXVI.

De *Injuriis*, & *Damno dato*.

CRrimina sæpe conjuncta sunt cum Injuria, & Damno proximi, ut adeò Reus, qui de ipsis legitimè convictus est, non tantùm condemnandus sit ad pœnam, ob crimen commissum luendam, sed etiam ad reparationem Injuriæ, & Damni dati. Hinc meritò post recensita Crimina Fori Ecclesiastici, subnectitur *de Injuriis, & Damno dato.*

§. I.

De Injuria.

SUMMARIUM.

1. *Diversa acceptio nominis Injuria.*
2. *Definitio istius.*
3. &c. *Quinam actioni injuriarum non sint obnoxii?*
8. &c. *Quando præsumatur aliquid factum, vel dictum animo injuriandi?*
10. &c. *Quot modis Injuria inferri soleat?*
14. &c. *Divisio Injuriæ in suas species.*
17. &c. *Personæ, quæ injuriam inferre, aut pati possunt.*
21. *An pro injuria illata Novitio agere possit Prælatus?*
22. *Pro illata marito uxor?*
23. *Pro illata fratri, aut cognato, frater, vel cognatus?*
24. &c. *Quæ actio oriatur ex injuria, & quæ sit ejus pœna?*
30. &c. *Quid sit Actio ad Palinodiam, & quibus, ac quando competat?*
34. &c. *Quæ pœna inferatur pro Libellis famosis?*
37. &c. *An is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur Actione injuriarum?*
41. &c. *An immunis à pœna sit qui retorsione utitur, & quando?*
45. &c. *An de injuria conveniri possit qui alteri convitium dixit cum præfatione honoris?*
48. &c. *Modi, quibus Actio injuriarum tollitur.*

Quæ-

1 QUæritur 1. quid sit *Injuria*? R. *Injuriæ* nomen dupliciter posse accipi, generaliter, & specialiter. *Injuria generaliter accepta* dicitur omne id, quod non jure fit, sive deinde cum culpa fiat, sive sine culpa. *Injuria specialiter accepta* requirit culpam, saltem Juridicam: & rursum sumitur tripliciter. 1. pro damno culpâ, non jure dato; & sic comprehendit etiam damnum contra Legem Aquiliam. 2. pro iniquitate, & injustitia; & in hoc sensu, quando Judex iniquam, vel injustam fert sententiam, dicitur injuriam facere. 3. denique pro Contumelia, quæ à *contemnendo* dicitur; quia vel contemptim fit (nemo enim nisi eum, quem contemnit, contumeliâ afficit) vel contemptum, ac dedecus ei accersit, qui injuriam patitur. Germanicè ein Schmach / oder Verleumbdung. In hoc tertio sensu hìc accipitur, &

2 Definitur, quòd sit *delictum privatum, dolo malo in contumeliam alterius admissum*; vel ut alii: *Est contumelia alicui dicta, vel facta dolo malo.* Ita Host. *in Summ. b. tit. n. 1.* Sylv. *V. injuria n. 1.* Vallens. *hìc* §. *1. n. 2.* Pirhing *n. 1.* König *n. 2.* Sannig *c. 1. n. 1. & 2.* & communiter DD. cæteri. Additur in utraque Definitione *Dolo malo*; nam, ut committatur Injuria, requiritur dolus, & animus injuriandi: & ratio est: quia injuria in affectu facientis consistit *l. illud 3.* §. *sanè 1. ff.* & *l. si non convitii 5. C. b. tit.* Pirhing *n. 2.* Engl *n. 1.* König *n. 9.* Reiffenstuel *n. 3.*

3 Et hinc Actioni injuriarum obnoxii non sunt 1. infantes, & infantiæ proximi, furiosi, mente capti, etsi injuriosi quid dicant, aut faciant *l. illud 3.* §. *sanè 1. ff. h. tit.* Manz. *ad §. 1. Inst. h. tit. n. 19.* Item nec dormientes, & noctambulones, si fortè in somno aliquem verberent, vel injuriosis verbis proscindant *arg. Clem. un. de Homicid.* & *l. coram Titio rog. ff. de V. S.* & ratio est, quia isti omnes doli capaces non sunt.

4 2. Ebrius: sed tunc tantùm, quando præter propositum tanta ebrietate fuerit oppressus, ut rationis usum amiserit, & sobrius factus pœnitentiâ ducatur *arg. can. sanè 7. caus. 15. q. 1.* Quodsi tamen perversos suos mores non ignoravit, & ab experientiâ habet, in ebrietate se consuevisse molestum, & injuriosum esse aliis, non excusatur ab injuria. König *hìc n. 6.* debuisset enim abstinere à nimio potu, & cùm hunc causam injuriarum fore præviderit, nec tamen vitaverit, meritò hæ ipsæ voluntariæ fuisse censentur.

5 3. Ludimoderator, si corrigendi, & castigandi animo quidpiam in aliqualem despectum disciputi sui protulerit, aut egerit *l. sed & si 5.* §. *fin. ff. ad Leg. Aquil. & l. item apud 15.* §. *adùcitur 38. ff. h. tit.* multóque magis hoc verum est de Patre, si eodem animo increpet, vel percutiat filium. Wiestner *n. 2.* de marito, si probroso verbo, aut etiam moderato verbere castiget uxoris socordiam, ejúsque petulantiam, & oris improbitatem compescat; de Concionatore, si depravatos sæculi mores, & invalescentia hominum vitia pro concione paulò acriùs, in genere tamen, nullâ personâ nominatâ, aut indicatâ, perstringat.

6 4. Magistratus, si necessitate officii in delinquentem severiùs aliquid statuerit, vel quidpiam aliud præceperit, aut ordinaverit, quod pertinet ad Juris, & Justitiæ administrationem, licèt dispendium honoris, & existimationis inde cuipiam consequatur, quod enim Reip. causâ fit, licèt reo probrosum sit, si modus non excedatur, injuriosum non censetur *l. injuriam 13.* §. *is, qui 1.* & §. *quæ jure 6. l. quod Reipublicæ 33. ff. h. tit.*

7 5. Astrologi, & Physiognomici, qui consulti ex astris, lineamentis manuum, aut figura corporis respondent, aliquem esse furem e. g. qui talis non est *l. item apud 15.* §. *fiquis Astrologus 13. ff. eod.* nam volenti non fit injuria.

8 6. Qui contra testem in Judicio, tanquam infamem, & suspectum excipit, si exceptionem suam probet *arg. l. eum, qui 18. ff.* & *l. si non convitij 5. C. eod.* quia, quod quisque facit ad defensionem juris sui, nemini debet injuriosum reputari, per *l. nullus 55. ff. de R. J.*

9 7. Qui per jocum, aut inconsiderantiam injuriosi aliquid dixerunt, aut fecerunt aliis *l. illud 3.* §. *itaque 3. ff. h. tit.* Sed quia præsumptio Juris est adversùs ipsos, probare debent, quòd ex joco, vel inconsiderantia hoc fecerint, ut notat Gloss. *in l. si non convitii tit. V. probare potes.* Sed hinc nascitur.

10 *Dubium*, quando præsumatur aliquid dictum, vel factum animo injuriandi aliis? R. hoc, si non aliunde, ex verbis, aut factis colligi; hæc enim si suapte naturâ injuriosa sint, animus injuriandi præsumitur *l. si non convitii cit.* Harppr. *pr. Inst. h. tit. n. 7.* & *10.* Manz. *ad §. 1. tit. eod. n. 35.* Engl *hic n. 2.* Pirhing *n. 2.* König *n. 9.* & tunc, si is, qui talia verba protulit, aut facta patravit, si dicat se joci tantùm causâ dixisse, aut fecisse, probare hoc debet; quia contra eum, ut *n. præc.* dictum est, stat Juris præsumptio, cùm talis quisque præsumatur, qualis apparet, & dolo censeatur factum, quoties quid naturâ suâ turpe, & Legibus, aut moribus prohibitum committitur, vel profertur. Clar. §. *injuria n. 12.* Menoch. *l. 5. præsumpt. 3. n. 47.* Magnif. D. Chlingensperg *Inst. h. tit. q. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 113.* Reiffenstuel *hic n. 5.* Non requiruntur tamen probationes valde exactæ, sed sufficientes.

ſufficiunt etiam conjecturæ, ex circumſtantiis concurrentibus deſumptæ, vel Juramentum, per quod probantur ea, quæ in animo merè conſiſtunt. Harppr. *cit. n. 10. & ſeqq.*

9 Contrà ſi dictum, aut factum, ut apparet, injurioſum non eſt, is, qui dicit, illud injuriandi animo dictum, aut factum eſſe, probare hoc debet, & ſi non probet, ſuccumbet, reúsque abſolvetur *arg. l. ei incumbit. 2. ff.* & *l. actor 23. C. de Probat.* Farin. *prax. crim. q. 150. àn. 115. & 117.* Zœſ. *ff. h. tit. n. 4.* Wieſtner *hic n. 3.* cum *citt.* Probatio autem iſta iterum fieri per conjecturas debet.

Quodſi verò omnibus conſideratis, dubium maneat, an animus injuriandi adfuerit, vel non adfuerit, cùm delicta in dubio non præſumantur, optimum erit, ſi tota res ex Officio Judicis tollatur, prout ſuadet Magnif. D. Chlingenſperg *l. cit.* & innuunt Statuta Bavarica Land-Recht *Tit. 46. art. 5.*

10 Quæritur 2. quot modis Injuria inferri ſoleat? R. ſolet, & poteſt inferri tribus modis, ſcilicet verbo, ſcripto, facto. *Verbo* infertur, quoties alicui ſive præſenti, ſive abſenti convitium fit, ei defectum ſive moris, ſive naturæ objiciendo, v. g. appellando furem, mendacem falſarium, ſpurium &c. §. *injuria 1. Inſt. l. item apud 15. §. convicium 7. & ſeqq. ff. l. ſiquidem 10. C. de injur.* Sylv. *V. injuria n. 2.* Clar. §. *injuria n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 150. n. 22. & 24.* Begnudell *V. injuria n. 1.* Engl *hic n. 4.* Wieſtner *n. 4.* Reiffenſtuel *n. 6.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 115.*

11 *Scripto* infertur, cùm libellus, carmen, vel hiſtoria, ad ludibrium, contemptum, infamiam pertinens, compoſita editur, vel vulgatur *l. lex Cornelia 5. §. ſiquis 9. l. item apud 15. §. generaliter 27.* & §. *ſiquis 29. ff. h. tit.* Hoſt. *in Summ. hic n. 3.* Sylv. *V. injuria n. 2.* Harppr. *in §. 1. Inſt. h. tit. n. 149.* cum *citt.* Et quidem ſi hujusmodi Scriptura, omiſſo nomine authoris, in vulgus ſpargatur, *Libellus famoſus*, dicitur *l. un. C. de Libell. famoſ.* Reiffenſtuel *n. 7.*

12 *Facto* denique infertur injuria, cùm quis alterum pulſat, ejus domum vi ingreditur, aut aliud quidpiam in ejus probrum, contemptum, famæ diminutionem agit *l. lex Cornelia cit. l. item apud cit. §. generaliter 27.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 569.* cum *citt.* Addunt aliqui quartùm injuriæ inferendæ modum, videlicet geſtu, ut oſtendendo medium digitum, vel affigendo cornua in porta domûs &c. Sylv. *n. 2. cit.* Pirhing *n. 1.* Sannig *c. 1. n. 3.* Sed hic modus facilè ad tertium ſupradictum reduci poteſt.

Porro injuriam his modis pati aliquis poteſt non ſolùm directè &, in ſeipſo, ſed etiam indirectè, & in perſonis, quæ ejus poteſtati, & aliquando affectui ſunt ſubjectæ: ſic injuria facta filio redundat in patrem, & facta uxori in maritum §. *patitur 2. Inſt.* & *l. injuria 1. §. fin. in fin. ff. de Injur.* Similiter injuria facta Clerico, vel Religioſo dicitur redundare in Collegium, vel Conventum, ejúsque Prælatum, ut proinde actio injuriarum his competat etiam nomine proprio *l. Pater 41. ff. eod.* 13

Ex his injuriandi modis diverſis diverſæ patent Diviſiones, quibus injuriæ dividuntur. Nam 1. alia eſt injuria directè facta alicui; alia facta indirectè, ratione modi, quo fit. 14

2. Ratione circumſtantiarum, & objecti, in quo fit injuria, aliæ pertinent ad læſionem corporis, ut cùm quis pulſatur, aut verberatur; quædam ad læſionem Dignitatis, ut cùm Matronæ honeſtæ comes abducitur; aliæ ad infamiam, ut cùm pudicitia alicujus attentatur; aliæ denique ad læſionem rerum, quæ ſunt ſub alicujus dominio, & poteſtate.

3. Ratione exceſſus, quo fit injuria, alia eſt levis, alia atrox. *Atrox* autem cenſetur vel ratione facti, ut cùm etiam plebejus aliquis cæditur, fuſtibus aut vulneratur §. *atrox 9 ff. h. tit.* & *l. ſed eſt 9. ff. eod.* vel ratione perſonæ tam injuriantis, ut filij offendentis Patrem, Vaſalli injuriantis Dominum Feudi *l. ſed ſi 17. §. quædam 3. ff. h. tit.* quàm etiam injuriatæ *l. atrocem 4. C. eod.* vel ratione loci, tam ubi fit injuria, veluti ſi fiat in templo, in loco Judicii &c. quàm partis corporis læſæ, ut ſi in facie fiat §. *atrox cit.* vel ratione temporis, veluti ſi fiat tempore convivii, aut ludorum *l. Prætor 7. §. fin. ff. h. tit.* 15

4. Denique ratione modi, quo fit, dividitur in Realem, & Verbalem *Realis* eſt, quâ quis facto alterius læditur. *Verbalis*, quâ læditur verbis vel ore prolatis; & tunc *Injuria dicta*, ſeu *convitium* dicitur: vel ſcripto comprehenſis, quæ *Injuria ſcripta* appellatur. Hujus ſpecies eſt *Libellus famoſus*, quo certum, & famoſum crimen alicui objicitur, & in publicum ſpargitur, prout dictum eſt *ſuprà n. 11. Conſt. crim. Carol. V. art. 110.* Vallenſ. *hic §. 1. n. 2.* König *ibid. n. 3.* 16

Quæritur 3. quænám perſonæ injuriam inferre, aut pati poſſint? R. Injuriam inferre poteſt omnis, & ſolus ille, qui doli capax eſt *l. illud 3. §. ſanè 1. ff. h. tit.* Non autem intereſt, an inferior ſit, vel Superior; nam etiam Judex, & Magiſtratus, ſi Juris ordine non ſervato, quidpiam decreverint, vel ſtatuerint, injuriæ illatæ reos ſe faciunt *l. nec Magiſtratibus 32. ff. eod.* Quin & Orator 17

Ecclesiasticus, si talia ex suggestu dixerit, quæ in unius, vel alterius hominis in particulari infamiam redundant, non vacat injuriâ *arg. l. cit.* quamvis eidem, ut *n. 5.* dictum est, permissum sit, in genere perversos hominum mores perstringere. Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 120. & 121.*

18 Injuriam verò pati possunt homines cujuscunque generis, & conditionis, etiam rationis usu destituti *l. illud §. sanè cit.* etiam mortui *l. injuria 1. §. & si forte 4. ff. h. tit.* quia scilicet jus ad famam, & honorem non perdunt. P. Schmier *l. cit, n. 122.* Nec interest, utrum quis injuriam patiatur in persona propria, vel in persona sibi conjuncta; quia ratione affectûs, aut conjunctionis injuria, uni facta, facta etiam censetur alteri. Host. *Summ. n. 5. h. tit.* Farin. *prax. crim. q. 105. n. 253.* Pirhing *hic n. 8.* König *ibid. n. 7.* cum reliquis passim.

19 Quare injuriarum agere potest 1. pater ob injuriam factam filio; quia illa censetur facta patri, in cujus est potestate *l. injuria 1. § item 3 ff. h. tit.* 2. Dominus ob injuriam illatam servo, quando iste in illius negotio, aut servitio est occupatus §. *sed si 7. Inst.* & *l. item apud 15. §. item si 48. ff. eod.* 4. Episcopus ob injuriam illatam Ecclesiæ suæ, vel Clerico sibi subjecto, & Abbas, seu Prælatus Regularis ob injuriam factam Monasterio, vel Monacho, aut Religioso. Sylv. *V. injuria n. 8.* Gomez *tom 3. var. c. 6. n. 6.* Farin. *prax. crim. q. 150. n. 291. &c.* Engl *hic n. 7.* Pirhing *n. 8.* König *n. 7.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 10.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 124.*

20 Ut tamen pro injuria subdito, vel Religioso illata Domino, vel Prælato Actio injuriarum competat, debet illa aliquo modo redundare in contemptum Religionis, vel potestatis Dominicæ. Unde si v. g. injuria tantùm indirectè pertineat ad Monasterium, vel uti si parentes Religiosi, aut Liberi in sæculo relicti offendantur, ex communiori sententia non videtur jus agendi competere Monasterio. Lauret. de Franch. *Contr. int. Episc. & regul. p. 2. var. q. 56.* Engl *n. 8.* Shmier *l. cit.*

21 Dub. 1. Utrum injuria etiam Novitio illata, & jus agendi, componendi, vel transigendi desuper ad Monasterium, vel Abbatem pertineat? Negat Lauret. de Franch. *l. cit q. 52.* quia Monasterium nondum habet jus in Novitium. Melius affirmat Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. l. cit.* Engl *n. 9. hic* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 125.* licèt enim Monasterium non habeat jus irrevocabile in Novitium, quamdiu tamen in Novitiatu est, censetur esse subditus, & de Jurisdictione Prælati sui. Quòd apertiùs confirmatur ex *c. Religioso 21. de sent. Excom. in 6.* ubi injuria realis, seu percussio, in Novitium attentata punitur Excommunicatione Canonis, non alio ex capite, quàm quòd reputetur cedere in contemptum Monasterii, & Religionis. igitur meritò hujus Prælato conceditur actio pro eadem.

Dub. 2. an sicut ob injuriam illatam uxori agere potest maritus ita etiam uxor ob injuriam illatam marito? 22 Videtur par esse ratio; quia si uxoris injuria censetur etiam esse mariti, vice versa etiam injuria, marito facta, censebitur facta uxori. *Sed respondendum* est negativè. Ita habetur §. *patitur 2. Inst.* & *l. quædsi 2. ff. h. tit.* ubi ratio redditur: *quia defendi uxores à viris non viros ab uxore æquum est.* Farin. *q. 150. n. 274.* Pirhing *hic n. 8.* Wiestner *ibid. n. 5.* *Excipitur*, nisi injuria esset communis, & concernat etiam honorem uxoris, ut si marito objiciatur, quòd uxorem habeat meretricem, hoc enim casu uxor injuriam, sibi non minùs, quàm marito factam, persequi proprio nomine potest. Farin. *n. 275.*

Dub. 3. an etiam frater agere possit propter injuriam illatam fratri, cognatus propter injuriam illatam cognato? 23 Affirmativam defendunt non pauci, quos refert Harppr. *in §. patitur 2. Inst. h. tit. n. 22.* ob rationem; quia propter affectionem istius injuria ad ipsum pertinere videtur. *Conf.* ex *l. Lex Cornelia 5. pr. ff. h. tit.* ubi cavetur, ne judicandi munere fungatur, qui Actori cognatione, vel affinitate propinquiore conjunctus est. Sed tenenda est negativa Sententia cum Perez *in Cod. h. tit. n. 12.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. eod. q. 9.* P. Wiestner *hic n. 7.* & alijs passim. *Ratio est.* quia Jus specialiter exprimit personas, quibus ob injuriam conjuncto illatam agere permissum est, & inter has non meminit fratrum, & aliorum consanguineorum collateralium, ut adeò videatur procedere principium generale, quòd inclusio unius sit exclusio alterius *l. cùm Prætor 12. pr. ff. de Judic.* *Excipitur* nisi injuria sit communis, ita, ut in totam redundet familiam. Wiestner *l. cit.* *Ad Argumentum contrarium* dico, affectionem hoc loco non sufficere; nam maxima affectio est Liberorum erga suos Parentes, & tamen si illi emancipati sint, per injuriam ipsis illatam non censetur injuriam pati, Pater, argumento ducto à sensu contrario ex §. *patitur cit.* ubi Pater injuriam pati dicitur per Liberos, quos in potestate habet. *Ad Conf.* ad hoc, ut persona conjuncta non possit esse Judex, sufficit affectio; hæc non sufficit, ut injuria unius censeatur esse injuria alterius.

Quæritur 4. qualis Actio oriatur ex 24 injuria, & quæ sit ejus pœna? R. ex injuria

juria duplex oritur Actio, Civilis, & Criminalis ; liberum enim est injuriato agere, quâ ex his voluerit: unâ tamen ex his Actionibus intentatâ, non potest recurrere ad alteram ; quia utrumque Judicium ad pœnam, & supplicium comparatum est, & unum, idémque delictum vindicari iterum non debet *l. Senatus 14. ff. de Accusat.* Reiffenstuel *hic n. 14.* *Civiliter* agitur ob injuriam, quando Actor petit satisfactionem suam privatam ; *criminaliter*, quando petit vindictam publicam.

15 *In Actione criminali* pœna arbitraria est, & de *Jure Civili* quidem vel corporalis, vel pecuniaria fisco applicanda ; *de Jure Canonico* autem pro delicti gravitate subinde etiam Censura in reum fertur : sic qui per injuriam in Clericum, vel Religiosum violentas manus injecerit, est ipso facto excommunicatus *can. siquis suadente 29. caus. 17. q. 4.* in eum, qui S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter persecutus, vel percusserit, veluti in reum læsæ Majestatis animadvertitur *c. felicis 5. de Pœn. in 6.* qui in Episcopum hæc perpetraverit, ijsdem ferè pœnis coërcetur. *Clem. 1. eod.* Clar. §. *injuria n. 7.* Mynsing. *cent. 4. obs. 4. n. 5.* Begnudell. *V. injuria n. 8.* Engl *hic n. 10.* Reiffenstuel *n. 13. ibid.*

16 *Actio Civilis* ob injuriam duplex conceditur, pœnalis scilicet, & rei persecutoria. Pœnalis iterum duplex est, & una quidem descendit ex Jure Civili in specie sic dicto, altera ex Jure Prætorio. *Ex Jure Civili in specie ita dicto* nascitur Actio Civilis *ex Lege Cornelia*, quâ reales quædam injuriæ, veluti si aliquis pulsetur, verberetur, aut domus ejus, in qua habitat, vi introeatur, vindicantur §. *sed & 8. Inst.* & *l. Lex Cornelia 5. pr.* & §. *seqq. ff. h. tit.* Agitur per hanc Actionem ad æstimationem injuriæ à Judice faciendam, & adjudicandam, vel ad pœnam pecuniariam fisco inferendam vel ad pœnam corporis afflictivam. Lauterbach *ad tit. cit.* §. *48.* Non datur Patri, si filius injuriam passus sit *l. Lex Cornelia cit.* §. *illud 6.* & est perpetua, ut cum *cit.* Lauterbach rectiùs docent. Fach. *l. 9. contr. c. 7.* Hart. Pistor. *p. 4. q. 20.* Reinhard. *Bachov. in Treutl. vol. 2. D. 30. thes. ult.* Brunnem. *ad l. cit.* Magnif. P. Schmier *de Præscript. c. 5. n. 268.* Magnif. D. Verlohner *de action. Injur. n. 7.*

17 *Ex Jure Prætorio* oritur *Actio æstimatoria*, quâ injuriam passus adversùs injuriantem agit, ut in pœnam pecuniariam à se signatam injurians condemnetur §. *pœna 7. Inst. h. tit.* Estque hæc Actio personalis, utpote dimanans ex delicto §. *in summa 10. Inst. eod.* famosa ; quia facit eum, qui condemnatur ex injuria, infamem *l. prætor 7. pr. ff. eod.* & annalis, tanquam Prætoria, & pœnalis *l. si non convitij 5. C. eod.* Datur injuriato, qui passus est injuriam sive directè in semetipso, sive in persona suæ potestati subjecta §. *injuria 2. Inst. l. injuria 1.* §. *item 3.* & *seq. ff. h. tit.* Hæredibus verò injuriati non datur, cùm meram sapiat vindictam, quàm moriens remisisse præsumitur *l. injuriarum 13. pr.* & *l. item apud 15.* §. *injuriarum 14. ff. eod.* nec contra hæredes injuriantis per *l. citt.* & rationem, quia pœnalis est.

In hac Actione injuriam passus æsti- 28
mare primùm debet injuriam suam: & ponamus, quòd eam æstimet 30. aureis, quorum jacturam maluisset facere, quàm probrum ferre : tunc petit à Judice, ut qui eam intulit, in tantùm sibi adjudicetur, & condemnetur : sed Judex petitionem plerumque moderari debet, & ad minorem summam v. g. 10. vel 20. aureos redigit, neque istos adjudicare solet actori priùs, quàm is juraverit, injuriam se tanti, quanti est ejus facta à Judice moderatio, æstimare: quod si fecerit, in eos condemnatur ipsi reus *c. olim 7.* junct. Gloss. *V. taxatione h. tit.* §. *pœna 7.* junct. Gloss. *V. æstimaverit Inst.* & *l. constitutionibus 37.* §. *etiam 1. ff. eod.* Clar. §. *injuria n. 6.* Sylv. *V. eod. n. 9.* Gail. *l. 2. obs. 102. n. 9.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 573.* Engl *hic n. 10.* Wiestner *tit. eod.* Reiffenstuel *ibid. n. 12.* Begnudell. *V. injuria n. 5.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 134.* Magnif. D. Verlohner *de act. injur. n. 25.*

Sed standum in hoc est Curiarum 29
praxi, in quarum aliquibus obtinuit, ut æstimatio à Judice taxata Actori sine ejusmodi Juramento adjudicetur *Haun. Wiest. Reiffenst. l. citt.* Idem dicendum etiam quoad Actionem injuriarum criminalem ; nam ut Mynsing. *cent. 4. obs. 4. n. 5.* monet, hodie ex consuetudine passim recepta, & per *Ordin. Camer. Imp. p. 2. tit. 28.* & Jus Provinciale Bavaricum Land-Recht *tit. 46. art. 2.* approbatâ ex injurijs verbalibus falsis non ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris per Palinodiam, sive injuriosorum verborum recantationem in Judicio agitur : quæ actio propterea *Actio ad Palinodiam*, sive *Recantatoria* dicitur.

Dub. 1, quid sit *Actio ad Palinodiam?* 30
R. est actio personalis, Civilis, rei persecutoria, perpetua, quâ injuriam verbalem passus agit adversùs injuriantem, ut dicta, seu dicteria famosa reclamet, atque injustè à se prolata judicialiter fateatur. Lauterbach *h. tit.* §. *47.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 137.* Magnif. D. Verlohner *de act. recantat. n. 1.* Dicitur 1. *Actio personalis* ; quia ex delicto, adeóque ex obligatione descendit. 2. *Civilis*, tùm quia ad effectum Civilem tendit, nempe ad satisfactionem privatam, tùm verò quia inventum est Juris Civilis, non quidem scripti, sed con-

consuetudinárii; nam inducta est moribus, & consuetudine, quæ pars Juris Civilis est *l. de quibus 32. & l. seq. ff. de Leg.* 3. *Rei persecutoria*; quia persequitur id, quod abesse videtur, videlicet læsam existimationem, Gaill. *l. 1. obs. 65.* Carpz. *pract. crim. p. 2. q. 94.* Lauterbach §. *47. cit.* & *Disp. de Act. recant. thes. 4.*

31 Causa Actionis istius est injuria verbalis, non qualiscunque, sed talis, quâ fama, & bona existimatio injuriati sit læsa; nam sinon famæ, & existimationis læsionem, sed corporis, duntaxat, seu sensuum vitium respiciat, adeóque ad contemptum solummodo collineet, ut siquis alterum gibbosum, claudum, cæcum &c. nominet, sive tales defectus sint veri, sive falsi, non ad Recantationem, sed ad *Christianam* solummodo *Deprecationem*, & Reconciliationem injurians compelli debet Carpzov. *prax. crim. q. 97. n. ult.* Non tamen refert, utrum talis verbalis injuria sit scripto, aut vivâ voce effusa, modo dolóso injuriandi animo facta. Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 2.* Dolus autem regulariter præsumitur, si verba aut scripta per se sint injuriosa: secus, si dubia; tunc enim in partem meliorem interpretanda sunt, prout dictum est *suprà n. 8. & 9.*

32 Datur Actio ista injuriato, & hæredibus illius (quia est rei persecutoria) adversùs injuriantem, non autem adversùs hæredes istius, cùm nascatur ex Delicto sterili. Objectum illius est fama, seu bona existimatio, quæ vulgi opinione per verba contumeliosa læditur. Lauterbach *D. de Act. recant. thes. 28.* cujus proindè reparatio ab injuriato petitur. Recantare jussus quidem non contrahit infamiam Juris, tum quia nusquam id est expressum, tum quia est mera Conditio, de qua ex *l. cessat 36. ff. de A. & A.* constat, quod etsi ex causa famosa consurgat, infamiam tamen secum non trahat: nihilominus tamen post se trahit quandam infamiam facti, utpote cùm apud honestos, & graves viros non bene audiat, qui seipsum mendacii arguere debuit. Harppr. *ad §. 10. Inst. h. tit. n. 109. & seqq.* Carpz. *prax. crim. q. 94. n. 65.* Lauterbach *ad h. tit. ff. §. 53.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 183. & seq.* Magnif. D. Verlohner *de Act. recant. 7.*

33 Intentata semel hæc actio recantatoria non excludit aliam actionem, & pœnam injuriarum, sed cumulari potest, sicut in simili Condictio furtiva ad restitutionem rei ablatæ cumulari potest cum Actione furti ad pœnam quadrupli §. *fin. Inst. de furt.* Mynsing *cent. 2. obs. 92. n. 10.* Gaill. *l. 1. obs. 65. n. 5.* Engl *n. 11.* Reiffenstuel *ibid. n. 16.* Magnif. D. Christoph de Chlingensperg *Inst. h. tit. q. 13.* Ratio est, quia Actio ad Palinodiam est rei persecutoria, actio autem injuriarum ad æstimationem est pœnalis, conf. ad fines diversos tendunt. actiones autem, ad finem diversum tendentes, cumulari possunt §. *cæterum 1. Inst. si quadrup. pauper.*

Duh. 2. quæ pœna inferatur pro *Libellis famosis*? 34
R. hæc injuria, quia in plurium notitiam devenit, & hominem magis, quàm aliæ injuriæ verbales, diffamat, in Jure severiùs castigatur: & quidem, si criminaliter agatur, ejus reo inferri jubetur pœna capitalis *l. un. C. de famos. libell.* quam tamen pœnam capitalem non de ultimo supplicio, sed de pœna exilii, vel deportationis intelligendum cum aliis statuit Harppr. *in §. 1. Inst. n. 161.* nisi crimen, per Libellum famosum alicui imputatum, esset capitale; tunc enim pœnam talionis imponendam vult *Const. crim. Carol. V. art. 110.* Reiffenstuel *hic n. 15.* Si civiliter solùm agatur, condemnatus jubetur esse intestabilis *l. Lex Cornelia 5. §. siquis 9. ff. h. tit.*

Neque interest, an verum crimen, 45
quod etiam expediat. Reip. scire, vel falsum in Libello objectum sit, juxta *Const. crim. art. 110. cit.* idque singulariter in odium, & extirpationem famosorum Libellorum, quamvis in simplicibus injuriis non scriptis circa veritatem objectam aliter res sese habeat. Engl *n. 5.* Item non refert, an quis ipse talis Libelli sit author, an verò vulgationem ejus promoverit. Conf. eandem pœnam incurrunt etiam, qui Libellum ejusmodi famosum, ab alio compositum, scripserunt, divulgârunt, aut inventum in publicum projecerunt, ut à quovis legeretur; talis enim utroque Jure pro Authore Delicti habetur, & ut talis est puniendus *can. qui in alterius 1. caus. 5. q. 1. l. un. C. de famos. libell.* Secus est de iis, qui Libellum, ab alio acceptum, descripserunt, non animo divulgandi, sed penes se privatim retinendi; tales enim impunes declarat Menoch. *de arbitr. cas. 263. n. 48.*

Typographi quoque, qui talem Li- 36
brum imprimunt, amittunt impressa Exemplaria, in suis Officinis reperta; privantur etiam potestate imprimendi Libros, & arbitrariè etiam aliàs puniuntur, ut ex variis Recessibus Imperii demonstrat Carpzov. *prax. crim. q. 98. n. 11.* Plura de Libellis famosis videri possunt apud Harppr. *ad §. 1. à n. 149. Inst. h. tit.* ubi *n. 210.* ex diversis Recessibus Imperii probat, pœnam famosorum Libellorum hodie plerumque esse arbitrariam, ita tamen, ut consideratis circumstantiis maximè ob frequentiam hujus delicti in aliquo loco *arg. l. 1. ff. de abig.* vel qualitatem injuriæ (si crimen capitale objectum sit *Const. Carol. cit.*) vel injuriantis, & præsertim injuriati,

pœ-

pœna meritò exaſperetur. Harppr. *ad* §. *10. Inſt. h. tit. n. 14.* Engl *n. 5. hic.*

37 Dub. 3. an is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur Actione injuriarum? Diſſentiunt DD. ex quibus aliqui generaliter defendunt negativam, inducti textu *l. eum qui 18. pr. ff. h. tit.* ubi JCtus ait, *æquum non eſſe, eum, qui nocentem infamavit, ob eam rem condemnari:* & additur ratio, *quia peccata nocentium nota eſſe oportet, & expedit.*

38 Sed meliùs diſtinguitur: Vel enim Reip. intereſt, crimen, vel defectum detegi, vel ejus non intereſt. *Si non intereſt Reip.* ob veritatem convitii non excuſatur injurians. Clar. §. *injuria n. 17.* Covar. *l. 1. var. c. 11. n. 6.* Mynſing. *cent. 4. obſ. 4.* Gaill. *l. 2. obſ. 99. n. 1. & ſeqq.* Fachin. *l. 9. contr. c. 10.* Vivian. *in c. fin. h. tit. pr.* Begnud. *V. injuria n. 2.* Zœſ. *hic n. 1.* Engl *n. 4.* Pirhing *n. 4.* Wieſtner *n. 12.* Reiffenſtuel *n. 17.* Ratio eſt; quia in actione injuriarum non tam veritas convitii, quàm animus injuriandi, in quo ſubſtantia delicti ſita eſt, conſideratur; nam ſine cauſâ detegere aliorum delicta inhumanum eſt, imò injuſtum, cùm læſus ad integritatem famæ ſuæ jus adhuc habeat, quamdiu crimen occultum eſt, nec illud detegi neceſſitas, aut utilitas publica poſtulat.

39 *Si verò intereſt Reip.* ut tale crimen, vel macula detegatur, v. g. quia eſt homicida, falſarius, fur, adulter, ſpurius &c. altera diſtinctio eſt adhibenda, an fiat in Judicio, an extra illud. *Si in Judicio* tale crimen, vel macula objiciatur, & probetur legitimè, nullâ actio ei, contra quem oppoſitum eſt, competit, cùm utique à pœna immunis eſſe debeat, qui commodo publico ſtudet. Magnif. D. Chlingenſperg *inſt. h. tit. q. 3.* Wieſtn. *n. 13. cum citt.* & in hoc ſenſu intelligenda eſt *l. eum qui* in contrarium allegata. De Jure tamen Canonico, ſi fructus ſperetur, præmittenda eſt admonitio ſecreta ex Lege Charitatis, quæ exigit, ut damna tam publica, quàm privata minimo proximi damno averſantur. Wieſtner *n. 14.*

40 *Si autem extrà Judicium* objiciatur, plerique ex *citt.* exiſtimant, illud objicientem, ſi appareat, quòd potiùs libidine nocendi, & vindictæ privatæ, quàm boni publici ſtudio motus hoc fecerit, à pœna immunem non eſſe, quòd pravus revelantis animus manifeſtationem iniquam reddat. Wieſtner *n. 13.*

41 Dub. 4. an immunis à pœna ſit, qui retorſione utitur, & poſtquam injuriam paſſus ab aliquo eſt, hunc vocat mendacem, aut eum pro tali habendum proteſtatur, donec objectum crimen probaverit? R. diſtinguendo, an retorſionem ejusmodi faciat ad ſui defenſionem, an non. *Si hoc ſecundum*, & objiciatur injuriam inferenti crimen diverſum, & injuriam acceptam nihil diminuens, retorquens ab injuria non excuſatur. Abb. *in c. 23. de Sent. & re jud. n. 22.* Gaill. *l. 2. obſ. 100. n. 9.* Begnudell. *V. injuria n. 20.* Pirhing *hic n. 6.* Wieſtner *n. 16.* Reiffenſtuel *n. 35.* & habetur etiam in Jure Bavarico Landt-recht *tit. 4. art. 6.*

42 *Si primum*, retorquens impunis eſt. Engl *n. 15.* Reiffenſtuel *n. 33.* cum *citt.* & communi cæterorum. *Ratio eſt*, quia vim vi repellere in continenti ipſo naturæ Jure permiſſum eſt. ergo etiam injuriam retorquere; honor enim, & fama hominis præponenda eſt omni pecuniæ *l. ſi in duabus 104. ff. de R. J.* & gravior eſt ejus jactura amiſſione oculorum *l. infamia 8. C. de Decur.* imò honor, & vita pari paſſu procedunt, & non minore ſtudio, & curâ, quàm vita ſervanda eſt. Gaill. *l. 2. obſ. 100. n. 1.*

43 *Neque obſtat*, quòd defenſionis jus tantùm detur adversùs futuram, vel præſentem injuriam, non autem adversùs præteritam, quæ apud Judicem, non verò apud privatum judicanda eſt; ſicut non licet poſt moram longiorem repercutere eum, qui priùs percuſſit &c. nam reſponderi poteſt, hæc quidem ordinariè ita ſe habere in injuria reali, injuriam verbalem autem ſemel prolatam, licèt quoad ſonum verborum, & in ſenſu phyſico jam præterierit, in ſenſu tamen morali, & quoad apprehenſionem hominum, & ſuſpicionem ex ea ortam contra injuriatum durare, & ſemper præſentem cenſeri, donec per Retorſionem, vel Judicium acceptum tollatur. Engl *n. 15.*

44 Ut verò rectè fiat Retorſio, tria requiruntur. 1. ut fiat animo ſe defendendi: hinc ſi objicienti e. g. mendacium, non mendacium, ſed aliud crimen à mendacio diverſum, & injuriam nihil diminuens retorqueretur, quia talis retorſio ad defenſionem nihil conferret, retorquens ab injuria non excuſaretur, ut dictum eſt *n. 41.* 2. ut fiat in continenti, ne ſi ex intervallo contingat, vindictæ involvat ſpeciem. *Excipitur*, niſi illata injuria eſſet abſenti, vel ſi ſcripto, aut adhibito Notario, & teſtibus retorſio fieret; tunc enim exigeret intervallum temporis, quo commodè fieri poſſet *arg. ſive ingenua 2. §. confeſtim 43. ff. ad S. C. Tertyll.* Wieſtner *n. 17.* 3. ut obſervetur moderamen juſtæ, & inculpatæ tutelæ; neque enim ab injuria excuſaretur, qui moderamen iſtud excederet, & verbalem e. g. injuriam intra privatos parietes paſſus, mendacium injurianti palàm, & affixâ ſchedâ impingeret, vel ſi in minori crimine injuriatus injurianti objiceret majus: unde ex tali retor-

sione mala daretur æquè injurianti Actio contra retorquentem, ut bene notat Abb. *in c. 23. de Sent. & re jud. n. 22.* quamvis retorquentem mitiùs puniri deceat, quòd justum animi dolorem compescere, & temperare sit difficillimum *l. si adulterium 38. §. imperator 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult.*

45 Dub. 5. An de injuria conveniri valeat, qui alteri convitium dixit, v. g. eum mendacem, aut furem appellando, cum præfatione honoris, sive cum protestatione, quòd sine animo injuriandi, & *salvo ipsius honore*, & *reverentia* ea verba protulerit? *Ratio dubitandi* est, quia protestatio conservare dicitur jus protestantis, quod maximè locum habet in casu præsenti, cùm ad injuriam secundùm dicta *n. 2.* exigatur, ut adsit injuriandi animus.

46 *Sed dicendum*, si verba, aut facta ex se injuriosa sint, uti est, si quis tergum alterius pulset, in faciem colaphum ipsi impingat, capillos, aut barbam evellat, protestationem nihil ipsum juvare; quia talis protestatio est contraria facto. Clar. §. *injuria n. 13.* Covar. *l. 1. var. c. 11. n. 13* Fachin. *l. 9. contr. c. 11.* Gaill. *l. 2. obs. 101. à n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 150. n. 311. & 313.* Vallens. *hic §. 1. n. 2.* Pirhing *n. 3.* König *n. 9.* Sannig *c. 1. n. 3.* Wiestner *n. 11.* Et hoc verum est, sive protestatio præcedat injuriam, sive sequatur. *Excipitur*, nisi ex conjecturis appareret, injuriam non fuisse illatam animo injuriandi; tunc enim talis protestatio excusaret. Clar. *l. cit.* Farin. *n. 314.* Pirhing *n. 3.* imò iste etiam sine protestatione non teneretur.

47 *Ad Rationem dubitandi* dico, id verum esse, quando objicitur aliquid, quod de se probrosum non est, trahi tamen in sensum contumeliosum potest; nam si is, qui ea verba protulit, protestetur, quòd in sensu bono illa protulerit, ab Actione injuriarum liberat protestatio.

48 Quæritur 5. quot modis tollatur Actio injuriarum: R. 1. tollitur *satisfactione*, quando injurians injuriato satisfecit pro injuria illata *l. sed si 17. §. si ante 6. ff. h. tit.* quæ satisfactio fieri potest aut jurejurando, si reus juret, si nihil animo injuriandi dixisse, vel fecisse *l. Lex Cornelia 5. § hac Lege 8. ff. h. tit. l. ait Prætor. 3. §. quacunque 1. ff. de Jurejur.* aut pacto, vel transactione *l. non solùm 11. §. injuriarum 1. fin. ff. h. tit.* ibi, *Si pater de injuria intercessit, & si transactum, & si Jusjurandum, exactum erit, actio injuriarum non tenebit.* Vultejus, Schneidewin, Harppr. *in §. 12 inst. de injur.* Gaill. *l. 2. obs. 106.* Speckhan *cent. 2. class 3. q. 4. n. 37.* Magnif. D. Verlohner *de Act. Recant. n. 13.*

49 2. *Retorsione*: non quidem si injuria realis sit (etenim qui accipit unam alapam, non potest reddere aliam, nisi plures adhuc timendas habeat, utpote cùm aliàs solam vindictam quærere censeatur) sed si verbalis, prout fieret, si, qui ab altero appellatus est fur, falsarius, nequam &c. ei dicat, *Tu mentiris*, aut, *tu ipse talis es*, *donec probes*; nam per ejusmodi retorsionem injuriam passo censetur satisfactum; satisfactione autem injuria tollitur, prout dictum est *n. præc.* Harpprecht *in §. hac actio 12. inst. h. tit. à n. 9.* Reiffenst. *hic n. 27.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 145.*

50 3. *Remissione* vel expressa, vel etiam tacita injuriæ, quæ fieri tunc censebitur, quando injuriam passus eam non statim revocat ad animum, h. e. non statim, quando potest, ostendit signa ægrè, ac graviter ferentis animi, ut si fortasse subridendo illam accipiat, aut si initio se offensum ostendit, deinde cum offendente instaurat antiquam amicitiam, ad convivium eum invitat &c. sic enim vulnus animi, quod injuria aperuerat, videtur esse obductum. §. *fin. inst.* & *l. non solùm 11. §. injuriarum 1. ff. h. tit.* Clar. §. *injuria n. 10.* Sylv. *V. eod. n. 10.* Vivian. *in c. fin. h. tit. in ration.* Engl *hic n. 12.* Pirhing *n. 9.* König *n. 15. & 16.* Reiffenstuel *n. 22.* Begnudelli *n. 12.* Ubi tamen notandum, quòd illi, qui in aliena sunt potestate, ut filiif. Religiosi &c. injuriam sibi illatam, invitis illis, in quorum sunt potestate, & quibus actio injuriarum concessa est, remittere injuriam non valeant. Contrà verò Pater, vel Prælatus, injuriam illatam filiof. vel Religioso, etiam hoc reclamante, condonare non prohibetur *l. sed si 17. §. planè 12 ff. h. tit.* Engl *n. 13.* Reiffenstuel *n. 23.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 144.* nisi filius sit eminentioris conditionis, quàm pater.

51 4. *Præscriptione annua*; nam lapsu unius anni actio criminalis super injuria verbali extinguitur, ita, ut non amplius intentari possit, *l. si non convitii 5. C. h. tit.* Aliud est de Actione injuriarum Civili; nam hæc perpetua est, & ad 30. annos durat, ut rectè advertunt Syiv. *V. injuria n. 10.* Clarus *n. 10.* Vivian. *l. cit.* Pirhing *n. 9.* König *n. 17.* Reiffenstuel *n. 25.* Wiest. *n. 19.* Et hinc per lapsum anni non tollitur actio ad recantationem, & Palinodiam; quia non Criminalis, sed Civilis est, ut monui *n. 30.* Harppr. *ad §. fin. inst. h. tit. n. 17.* Reiffenst. *n. 26.* Similiter perpetua est actio injuriarum realium descendens ex Lege Cornelia, quæ datur, cùm quis alium verberat, pulsat, vel domum illius vi ingreditur. Mynsing. *cent. 5. obs. 7. n. 7.* Engl *n. 12.* König *n. 17.* Reiffenstuel *n. 26.* Imò nec omnis actio injuriarum verbalium criminalis lapsu anni extinguitur; nam actio injuriæ scriptæ, seu libelli fame-

famosi etiam criminalis perpetua est, ut teste König *l. cit.* inter omnes convenit. Ubi verò actio extinguitur præscriptione annua, per hoc injuriato non tollitur potestas etiam post annum agendi ad compensationem damnorum, & expensarum: quas propter injuriam alterius passus est, imò etiamsi injuriatus non ageret, teneretur tamen injurians ad interesse, & damna, nisi injuriatus ea velit ipsi remittere. Sylv. *n. 10. cit.*

52 5. *Morte* tam injuriantis, quàm injuriati ante litem contestatam; quia Actio injuriarum, utpote ex delicto descendens, & pœnalis, neque hæredi, neque in hæredem datur *l. injuriarum 13. ff. h. tit.* quod intellige, quando injuriatus contra hæredes injuriantis pœnam prosequi vellet; nam si prosequi velit damnum, quod per realem injuriam in corpore, vel bonis suis accepit, rectè eo nomine tam ipse, quàm ejus hæredes civiliter agere poterit ad eorum damnorum resarcitionem tam contra damnificantem, quàm contra hujus hæredes, ut pro iis secundùm vires hæreditatis satisfaciant: & hoc verum, etiamsi lis cum defuncto non fuerit antea contestata, saltem de Jure Canonico *c. fin. de sepult. & in litteris 5. de Raptor.*

53 6. Ut aliqui volunt, Injuriarum actio tollitur *susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ*, quòd ista suscipiens vindictam ponere videatur, & jubeatur. Sed hæc ratio levis est; etsi enim hæc Sacramenta suscipiens, ut dignè illa suscipiat, animum vindictæ privatæ ponere debeat, non tamen ponere debet animum petendi satisfactionem pro injuria sibi, vel Reip. illata, cùm Jure debita sit. Abb. *in c. 1. de Maledic. n. 6.* Covar. *l. 2. var. c. 10. n. 17.* Palao *tr. 6. D. 1. p. 6. n. 8.* Wiestner *hic n. 20.*

§. II.

De Damno dato.

SUMMARIUM.

54 &c. *Damni duplex acceptio.*
56. &c. *Fieri potest dolo, culpâ, & casu fortuito.*
58. &c. *Vindicatur per Civilem Actionem Legis Aquiliæ: ubi discrimen inter hanc Actionem, & eam, quæ competit ex damno lucroso.*
61. &c. *Actio Legis Aquiliæ est partim rei persecutoria, partim pœnalis.*
64. &c. *Dividitur in Directam, Utilem, & in factum.*
68. *Cui detur Actio Legis Aquiliæ?*
69. *Contra quem?*
70. *An etiam contra hæredes damnificantis?*
71. &c. *Quid per Actionem istam petatur?*
74. &c. *Quid requiratur, ut alicui competat?*
76. &c. *An competat etiam ex culpa levissima, quando natura Contractûs ab hac culpa damnificantem absolvit?*
79. &c. *An, & qualis obligatio nascatur ex damno dato?*
83. &c. *Præsertim si datum sit per culpam merè Juridicam?*
90. &c. *An obligatio hæc stringat etiam in foro conscientiæ?*
100. &c. *An conveniri etiam possit ex damno sine vera, & propria culpa dato?*
106. &c. *Cui facienda sit restitutio ex Lege Aquilia &c. & quænam causæ ab hac excusent?*

54 QUæritur 1. quid sit *Damnum*, & quot modis illud possit contingere? R. Damnum, ita dictum à diminutione patrimonii *l. damnum 3 ff. de damn. infect.* dupliciter accipitur; nam aliquando damnificans ex bonis alterius lucrum facit, prout fieri solet per furtum, rapinam &c. aliquando autem sit sine lucro, cùm alius in corpore, vel rebus illius contra jus læditur, corrumpendo, vel deteriorando illas. Prius *lucrosum* dicitur, posterius *non lucrosum*: & duntaxat ad Titulum præsentem spectat. Delictum istud Aquilius Tribunus per suum plebiscitum vindicavit, Justinianus verò inter Delicta privata tertio loco retulit. Definiri potest, quòd sit *Delictum, quo patrimonium, vel res aliena dolo, vel culpâ, sine ullo damnificantis lucro, vel emolumento diminuitur*, ut siquis domum alienam succendat, animalia occîdat, vestes laceret &c. Host. *in Summ. hic n. 1.* Manz. *ad Rubr. Inst. de Leg. Aquil. n. 2. & 8.* Engl *n. 23.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 38.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 61.* Causa efficiens hujus damni est solus homo; nam si à Bruto datum sit, non damnum, sed *Pauperies* appellatur. Objectum ejus sunt res tam animatæ, quàm inanimatæ.

Po-

55 Potest autem damnum in destructione, vel corruptione rei alienæ fieri tripliciter, scilicet Dolô, Culpâ, & Casu fortuito. *Dolo* datur, quando fit, vel omittitur aliquid animo nocendi, sive ea intentione, ut damnum sequatur *l. hoc edicto 1. §. dolum 2. ff. de Dol.* Estque hic dolus aliquando verus, aliquando præsumptus. *Verus*, seu *Apertus* tum esse dicitur, quando animus damnificandi ipsius damnificantis confessione, vel certis, & omnino indubitatis indiciis declaratur. *Præsumptus* vocari solet, si colligatur ex indiciis non quidem indubitatis, sed tamen verisimilibus, & multùm urgentibus. Bartol. *in l. quod Nerva 32. ff. depositi. n. 14.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 293. n. 4.* Wiestner *hic n. 22.*

56 *Culpâ* datur, quando omittitur diligentia, quâ adhibitâ damnum potuisset evitari. Bartol. *l. cit. n. 7.* Wiestner *n. 23.* Hæc vel est Theologica, vel Juridica. *Theologica* est, quæ continet peccatum contra Justitiam, quod mortale est, si culpa sit gravis, veniale, si culpa sit levis. Molin. *l. cit. n. 2.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 184.* Wiestner *n. 24.* *Juridica* triplex est, videlicet Lata, Levis, & Levissima *Lata* committitur, quando omittitur diligentia, quam passim omnes hujus conditionis homines ad evitandum adhibere solent, v. g. siquis librum sibi commodatum extra domum deponat foris in publico. *Levis*, quando omittitur diligentia, quam adhibere solent prudentiores, & rerum suarum magis studiosi, e. g. si liber quidem intra cubiculum, sed non clausum relinquatur. *Levissima*, quando omittitur diligentia, quæ non nisi ab exactissimis, & qui extraordinario studio damna præcavent, adhibetur, v. g. si liber in cubiculo quidem clauso reponatur, sed discedens indè non exploret, an fera rite obducta sit. Molin. *l. cit. n. 4.* Haun. *n. 185.* Wiestner *n. 23.*

57 *Casu fortuito* damnum datur quando res perit, aut deterioratur eventu omnino inopinato, & qui nullo humano consilio, vel diligentiâ evitari potuit, aut prævideri juxta *c. fin. de Homicid. l. non utique 2. §. si eo tempore 7. de administr. rer. ad civit.* v. g. si pereat naufragio, aut fulmine de cœlo lapso absumatur. Molin. *n. 3.* Wiestner *n. 25.*

58 Quæritur 2. quâ actione vindicetur Damnum non lucrosum, dolô, vel culpâ datum? ℟. vindicatur per Civilem Actionem *Legis Aquiliæ*: ubi adverte duas notabiles differentias inter Actionem, quâ persequimur damnum lucrosum, v. g. furtum, aut rapinam, & inter actionem Legis Aquiliæ pro damno non lucroso. Nam 1. condemnatus de furto, rapina, usuris perdit honorem, & fit infamis, ita, ut deinceps nequeat esse testis in Testamento, vel Judicio, nec Advocatus, nec Dignitatem aliquam, vel Ordinem Ecclesiasticum assequi, prout propriis locis dictum est. *Contrà* condemnatus de damno non lucroso honorem retinet. Engl *n. 24. h. tit.* Reiffenst. *ibid. n. 19.* cum aliis. *Ratio est*, quia, cùm quæritur augmentum proprium mediis illicitis ex alterius jactura, adest facti turpitudo, quæ abest, quando damnum sine lucro damnificantis infertur, præsertim si hoc fiat per culpam merè Juridicam.

2. Conventus de furto, rapina &c. tenetur pro diversitate casûs, an fur occultus, vel manifestus fuerit, in duplum, vel quadruplum, secundùm ea, quæ dicta sunt *Tit. 17. n. 61.* & *Tit. 18. n. 79. 86.* Sed actione Legis Aquiliæ tantùm restituitur simplex æstimatio damni, & quanti interest damnificantis, damnum datum non fuisse *pr. & §. illud 10. Inst. de Leg. Aquil.* *Excipiuntur* tamen tres casus, qui graviori pœna coërcentur. 1. siquis alterius arbores clàm exciderit; nam hic in duplum ejus, quanti arbor virens prudentum judicio valuit, condemnatur, deducta tamen ligni apud dominum manentis æstimatione, prout dictum est *Tit. 18. cit. n. 160.* cùm enim arbores tardiùs succrescant, & præsertim frugiferæ multis usibus deserviant, earum destructio punienda gravius visa est Legibus. 59

Excipitur 2. si damnum illatum sit dolo, sive ex proposito hominibus per vim coactis; nam talis damnum inferens civiliter convenitur in quadruplum, criminaliter verò punitur aliquando publicatione bonorum, & deportatione, banno, vel relegatione; quia æquiparantur Raptoribus, de quibus dictum *Tit. 17. cit. n. 61. & seqq.* 60

Excipitur 3. si quis tempore calamitoso, videlicet incendii, tumultûs, ruinæ, aut naufragii dolo malo, & ex proposito damnum aliis dederit; nam hic intra annum in quadruplum condemnatur *l. prætor ait 1. pr. & l. quo naufragium fit 3. §. non solùm 4. ff. de incend. ruin.* Engl *hic n. 28.* Reiffenst. *n. 51.*

Addi potest *Exceptio quarta* circa ejicientes, vel effundentes in plateam publicam, qui, ut dicetur *infrà*, ob damnum indè consecutum in duplum conveniuntur. Engl *n. 29.* Reiffenstuel *n. 52.*

Quæritur 3. an Actio Legis Aquiliæ sit rei persecutoria, vel an sit pœnalis? ℟. esse ex parte rei persecutoriam, & ex parte pœnalem. *Rei persecutoria* est, quatenus persequimur nostrum interesse, sive id, quod nobis abest: unde si servus hæres institutus est occisus, hæreditatis 61

tis quoque æstimatio venit *l. inde 23. ff. ad Leg. Aquil. Pœnalis* verò est, quatenus persequimur id, quod nobis non abest; nam licèt actio Legis Aquiliæ in simplum regulariter duntaxat detur, æstimatio tamen damni non fit præcisè secundùm id tempus, quo datum est, sed quanti plurimi res perdita valuit retro intra annum, vel 30. dies proximos.

61 Intra annum quidem, si ex *primo capite* Legis Aquiliæ agatur, nim. pro occisione servi, vel animalium, quæ pecudum in numero sunt, & gregatim pasci consuêrunt; intra 30. dies verò, si agatur ex tertio capite pro vulneratione servi, aut animalis pecudum numero contenti, vel pro occisione animalis pecudum numero non contenti, aut pro combustione, corruptione, aut fractione rei inanimatæ §. *hic autem 9. §. capite tertio 13. §. illud 14. Inst. de Leg. Aquil.* Manz. *ad pr. Inst. tit. eod. n. 1. & seqq.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *ibid. n. 11.* Magnif. D. Verlohner *de Act. Leg. Aquil. n. 1.* Engl *n. 30.* Reiffenstuel *n. 50.* cum aliis. *Secundum caput* Legis Aquiliæ non ampliùs est in usu, §. *caput secundum 12. Inst. de Leg. Aquil. & l. servus 27. §. hujus 4. ff. eod.* Volunt autem, hoc secundo capite olim cautum fuisse de Servitutibus, quarum usu contra consuetum modum damnum esset datum.

63 Imò ex approbata hodie à DD. quoad usum fori sententia non multùm refert, an ex primo, vel tertio etiam capite Actio Legis Aquiliæ intendatur; quia, ut Brunnem. *ad l. si servus cit. n. 7.* Lauterbach. *ff. ad Leg. Aquil. §. 24.* Stryck. *Us. mod. Pand. ad tit. cit. §. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 64.* testantur, hodie damnum non ampliùs æstimatur secundùm bonitatem, quam res antecedenter habebat, sed juxta statum præsentem, in quo illa fuit tempore damni dati: adeóque qui equum claudum occidit, ex Lege Aquilia conventus, debet tantùm refundere æstimationem equi, quanti iste tunc temporis vendi potuit. quamvis ante septimanam unam, vel alteram, recto pede incesserit, majorique pretio constiterit. Hinc etiam, ut idem Stryckius *l. cit.* notat, nihil interest, qualis sit res quæ per dolum, vel culpam est diminuta.

64 Quæritur 4. quotuplex sit Actio Legis Aquiliæ? R. triplex, Directa, Utilis, & in factum. *Directa* est, quæ directè provenit ex verbis, & sententia Legis Aquiliæ, quando scilicet damnum datum est corpore in corpus, uti contingit, quando quis quadrupedem manu occidit.

65 *Utilis* est, quæ oritur ex mente, & ratione Legis Aquiliæ, quando nimirum liber homo damnum est passus, aut aliàs damnum corpori, non autem corpore datum est, ut si jumentum per alterius exagitationem, vel territionem in præceps est actum, aut equus stabulo inclusus, subtracto pabulo, interiit.

Subsidiaria in factum, quæ neque 66 ex sententia, neque mente Legis Aquiliæ pullulat, sed ex interpretatione prudentum ob singularem æquitatem à Prætore fuit recepta, quando videlicet damnum nec corpore, nec in corpus est datum, veluti siquis canem, aut pecus inclusum solverit, ut fugam capesseret §. *fin. Inst. de Leg. Aquil.*

Hodie tamen, quia, ut *n. 63.* annotavi, non ampliùs attenditur ad æstimationem damni per retrotractionem ad tempus præteritum, nihil interest, qualis instituatur Actio, ut cum Stryck. *l. cit. §. 6.* notat Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 97.* & idipsum ferme sentit Brunem. *ad l. quâ actione 7. ff. ad Leg. Aquil. n. ult.* 67

Quæritur 5. cui, & contra quem detur Actio Legis Aquiliæ? R. hæc 68 Actio solùm conceditur illi, cujus interest propter jus in re v. g. dominium, vel Usumfructum, damnum non fuisse datum *l. item Mela 11. §. Legis 6. & §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* *Ex quo sequitur*, non dari hanc actionem ei, cujus interest propter jus ad rem, fortè quòd res corrupta, aut deteriorata ipsi fuerit locata, vel commodata *l. cit. §. eum, cui 9.* *Neque obstat*, quòd *l. hæc actio 2. ff. si quadrup. pauper. fec.* commodatario concedatur actio de pauperie; non enim propterea eidem concedenda est actio Legis Aquiliæ: & ratio disparitatis est, quia homo facilius potest damnum inferre, quàm bruta, quod, si culpam præstet levissimam, facilè avertere potest. Imò nec creditori, licèt jus reale habeat in pignore, ratione istius actio Legis Aquiliæ datur, sed domino, seu debitori, si tamen iste solvendo sit; nam si solvendo non sit, permittenda est creditori, ad quantitatem debiti, quod tamen hic consequitur, debitori prodest ad diminuendam debiti quantitatem *l. qui occidit 30. §. pignori 1. ff. ad Leg. Aquil.* Magnif. D. Verlohner *de Act. Leg. Aquil. n. 4. & 5.*

Datur actio hæc contra damnificantem, 69 sive deinde is damnum dederit per seipsum, sive mandato ejus alius *l. liber homo 37. ff. tit. cit.* In Mandatario tamen distinguendum est: nam si mandans habuit jus imperandi, cum solo mandante agendum est; quia in iis, quæ atrocitatem facinoris non complectuntur, ignoscitur servis, & filiisf. qui dominis, & Patribus suis obtemperant *l. is damnum 169. ff. de R. J.* Si verò extraneus sit, cui imperari non potuit, agi quoque cum mandatario potest *l. liber homo cit.* Si plures ad indivisibile damnum concurrerunt, de Jure Romano hac actione,

in quantum pœnalis est, i. e. quatenus ultra modum damni dati lis æstimatur, omnes tenentur in solidum, nec uno solvente, cæteri liberantur; quia tot sunt pœnæ, quot delicta *l. item Mela cit. §. sed si plures 2.* & *§. si plures 4.* Hodierno autem jure, quia secundùm dicta *n. 63.* tantùm agitur ad æstimationem pro tempore damni illati, qui suum consecutus est ab uno, non habet ulteriorem actionem adversùs alios. Stryck *Usu Mod. Pand. ad tit. cit. §. 21.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 15.* Magnf. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 99.*

70 Utrum verò Actio hæc etiam in hæredes damnificantis detur, controversum est inter DD. Et quidem P. Engl *hic n. 31.* defendit, affirmativam saltem de Jure Canonico veram esse ob *c. fin. de Sepult.* & *c. litteris 5. de Raptor.* ubi ad exonerandam conscientiam defunctorum hæredes jubentur compelli, ut pro viribus hæreditatis solvant damna, quæ defunctus in vita sua aliis sciens dedit. *Sed videtur distinguendum;* nam si defunctus damnum dedit per dolum, aut culpam Theologicam, omnino fateor, etiam hæredes teneri damnum hoc resarcire, etiamsi ratione damni istius nihil ad eos pervenerit; tunc enim jure naturæ defunctus ad compensationem illius tenebatur, & pro hac obligantur omnia illius bona, quæ proinde cum onere hoc suo transeunt ad hæredes. At si damnum solummodo datum sit per culpam Juridicam, obligatio illud compensandi in hæredes non transit, cons. ad hoc conveniri non possunt actione Legis Aquiliæ, nisi lis cum defuncto sit contestata, aut hæres ex damno per defunctum dato locupletior effectus sit *l. bis autem 9. Inst. de Leg. Aquil.* Et hoc verum est non tantùm ea enus, quatenus Actio ista pœnalis est, sed etiam quatenus rei persecutoria; quia jux a generalem Regulam actiones rei persecutoriæ, ex delicto descendentes, tunc solùm in hæredes transmittuntur, quando ad eos aliquid pervenit. ergo, si nihil ad eos pervenit, non transmittuntur.

71 Quæritur 6. quid per Actionem Aquiliam petatur. R. 1. petitur reparatio damni, & quidem de Jure communi secundùm æstimationem quanti plurimi; de Jure moderno autem secundùm æstimationem in statu præsenti, juxta dicta *n. 63.* Si reus inficietur, damnum à se datum esse, & mendacii convictus sit, ad alterum quoque tantum, i. e. duplum conveniri potest *l. lege 2. §. & infra 1.* & *l. inde 23. §. hæc actio 10. ff. ad Leg. Aquil.*

72 2. Peti potest etiam damnum emergens, & lucrum cessans *c. si rixati 1. h. tit.* Farin. *prax. crim. q. 119. n. 110.* Sayr. *Clav. reg. l. 10. c. 1. n. 20.* Zœs. *hic n. 3.* & *11.* Pirhing *n. 17.* conf. repeti à damnificato possunt expensæ, quas facere debuit in curationem vulneris, & æstimatio operarum, quibus privatur ob læsionem, Vivian *in c. 1. cit.* Gonzal. *ibid. n. 3.* Vallens. §. *2. n. 2.* Zœs. *n. 11.* Sannig *c. 2. n. 2.* Ratio est, quia omnium horum damnorum, & lucrorum cessantium damnificans causa est. Nihil tamen restituendum est ratione deformitatis relictæ in corpore ex vulnere accepto; quia liberum corpus æstimationem non recipit *l. ex hac lege 3. ff. si quadrup. pauper. fec.* Excipitur, si per cicatricem inducta deformitas Virginem à nuptiis cum divite averteret; tunc enim damni compensatio est præstanda. Magnif. D. Verlohner *de Act. Leg. Aquil. n. 18.* Similiter de Jure communi non æstimatur dolor, ex vulnere, vel percussione contingens *l. arg. ex hac lege cit.* Beseld. *Thes. pract. V.* Abtrag, nisi contraria praxis alicubi vigeat; hanc enim non iniquam esse, defendit Stryck, *Us. mod. Pandect. h. tit. §. 10.* eáque fundamentum habet in *Carolin. crim. art. 20.* ubi æstimatur dolor torturæ.

73 3. Inter damna, quæ repeti possunt, enumerantur etiam expensæ litis, & si quæ aliæ ob læsionem in justam factæ sunt: possúntque hujusmodi expensæ repeti, etiamsi læsus per Statutum juramentum præstiterit de non repetendis damnis acceptis *c. in nostra 8. h. tit.* & ratio est, quia juramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit actum, nec cogitatum *c. Quintavallis 23. de Jurejur.* & quoniam in Statutis debet fieri stricta interpretatio, ita, ut verba capiantur in propria, & stricta interpretatione *l. ait prætor. 3. §. hæc verba 6. ff. de negot. gest.* arqui in propria, & stricta significatione damnorum non veniunt expensæ *c. in nostra cit.* quia damnum in stricta interpretatione est diminutio proprii patrimonii, seu bonorum ad aliquem spectantium per alium facta; expensæ verò fiunt propria voluntate illas facientis, etsi fortè coactâ, uti advertunt Abb. *in c. cit. n. 3.* Vallens. §. *2. n. 2.* Pirhing *n. 20.* igitur juramentum præstitum super articulo damnorum non debet intelligi, ut comprehendat expensas; accipiendum enim est strictè, ut minimùm noceat. Atqui hinc vulgaris est Practicorum formula, ut petant sigillatim damna, expensas, & interesse.

74 Quæritur 7. quid requiratur, ut competat damnificato actio ex Lege Aquilia? R. 1. requiritur, ut res alterius deterioretur, aut omnino destruatur; nam hoc significat damnum, de quo hoc loco sermo est, prout constat ex dictis *n. 54.* Hinc si damnum acciderit in re salva, & integra, fortè quia aliquis vinum nostrum ebibit, uvas maturas decerpsit, vestimentum alienum induit, Actio Legis Aquiliæ non consurgit *l. si servus 27. §. si oli-*

vam

vam 25. & l. qui occidit 30. §. si quis 2. ff. ad Leg. Aquil. quia res non corrupta, vel diminuta, sed ad usum naturalem adhibita est. Contrà oritur Delictum & Actio Legis Aquiliæ, si quis vinum nostrum effuderit, uvas immaturas decerpserit, vestimentum laceraverit, vel conspurcaverit *l. si servus cit. §. cùm eo 15. & §. si olivam cit.* quia res ad usum alium, quàm sibi connaturalem, destinata videtur. Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 70. & 71.*

75 2. Requiritur, ut res corrupta, vel deteriorata sit dolò, vel culpâ. Dolus enim determinatè non requiritur, sed culpa sufficit, etiam levissima *l. in lege 44. pr. ff. ad Leg. Aquil.* Et hinc qui per negligentiam, incuriam, aut imperitiam qualemcunque læsit alterum, hujus delicti reus est *c. fin. h. tit. sed etsi 5. §. injuriam 1. & §. fin. l. idem juris 8. pr. & §. mulionem 1. l. si putator 31. ff. eod.* Neque opus est, ut sit culpa commissionis, sed etiam sufficit culpa omissionis, ut contra Zœs. *ff. ad. Leg. Aquil. n. 7.* melius docent Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 698.* Struv. *syntagm. Jur. Civil. exerc. 14. thes. 20.* Magnif. D. Verlohner *de act. Leg. Aquil. n. 13.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 66.* Et hinc ex Lege Aquilia tenetur Medicus, qui medicinam ab initio præscripsit, & curationem postea dereliquit *l. idem juris 8. cit. pr.* item famulus, qui ad ignem obdormivit, & per hoc incendio causam dedit *l. si servus cit. § si fornicarius 9.*

76 *Dubium est*, utrum Actione Legis Aquiliæ conveniri possit ille, qui culpâ levissimâ damnum dedit, quem natura contractûs à præstatione culpæ levissimæ eximit e. g. si conductor in re locata, vel depositarius in re depositâ damnum dedit per culpam levissimam, ad quam præstandam ex natura Contractûs non obstringitur? Affirmant nonnulli etiam graves DD. & nituntur *l. sed etsi 5. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* ubi Magister Discipulum elusâsse ponitur, & JCtus dubitat, an locati actio moveri possit, non verò dubitat de actione Legis Aquiliæ. igitur poterit dari actio Legis Aquiliæ, quin detur actio locati. *Conf.* si conductor, & extraneus culpâ levissimâ damnum darent, sequeretur, posteriorem obstringi, non priorem: quod videtur absurdum, cùm prior magis peccet, quàm posterior.

77 Sed tenenda videtur sententia negativa, quam etiam defendunt Covar. *p. 2. de matr. c. 6. §. 8. n. 14.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 687.* Struv. *synt. Jur. Civil. exercit. 14. thes. 20.* Eckolt *ff. ad Leg. Aquil. §. 1.* Lauterbach *ad tit. cit. §. 9.* Stryck. *Us. mod. Pand. ibid. §. 14.* Gleile *Jurispr. terrib. p. 2. c. 4. §. 3. n. 23.* Magnific. D. Verlohner *de Act. Leg. Aquil. n. 10.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de delict. c. 1. n. 67. & seqq.* Engl *hic n. ult.* Ratio est, quia tali casu culpam levissimam remittunt Leges, ita, ut eam committens avertere ipsam non debuerit; aliàs in vanum disputaremus, qualis culpa præstetur in singulis contractibus, si deficiente actione ex contractu, ad Actionem Legis Aquiliæ convolare liceret.

78 Neque obstat *l. sed etsi* in contrarium allegata; nam ibi JCtus dubitavit, an oriatur Actio Locati, non ob gradum culpæ, sed ob defectum subjecti, quòd damnum in corpore libero datum directè pecuniarium dici, & ideò in actionem locati deduci nequeat. Cœterùm etiam actionem locati hoc casu dari, idem JCtus decîdit alibi, nempe *l. item quæritur 13. § item Julianus 4. ff locat.* ubi similem casum refert. *Ad Conf.* non apparet, quomodo magis delinquat conductor, quàm extraneus, cùm illi culpam levissimam remittant Leges, non verò isti.

79 Quæritur 8. an, & qualis obligatio nascatur ex damno ad illud compensandum? *Certum est 1.* restitutione damni dati immunes esse, in quos dolus, vel culpa ob defectum rationis cadere non potest, ut sunt furiosi, amentes, infantes *l. sed etsi 5. §. ideo 2. ff. ad Leg. Aquil.* Engl *hic n. 32.*

80 *Certum est 2.* neminem obligari ad compensandum damnum, casu merè fortuito datum, nisi ita conventum fuerit *c. un. de commodat. & l. obligationes 1. §. & ille 4. ff. de O. & A.* ut proinde res, quæ tali casu fortuito perit, domino suo pereat *l. Pignus 9. C. de Pignor.* Ratio est, quia Jus naturale dictat, quòd pœna sit infligenda propter culpam, nullúsque sine culpa puniri debeat. atqui, ubi damnum casu merè fortuito datur, non adest culpa. ergo &c. Ob eandem rationem etiam

81 *Certum est 3.* per se neminem obligari ad refusionem damni, quando priùs omnis diligentia in eo præcavendo adhibita est, ut siquis ex arbore, vel tecto ligna projiciens proclamavit, & transeuntes monuit, monito autem insuper habito, alius temere præteriit, & obtritus est; item si in loco, ubi aliàs consuetum est jaculorum, & sclopetorum exercitium, jaculando se exercens, ibi incautè ambulantem, quem non prævidit, vulneravit §. *ac ne is 3. & §. seq. Inst. de Leg. Aquil.* Engl *n. 32.* Reiffenstuel *n. 45.* Idem dicendum in omni casu, in quo ex actione alterius, absque hujus culpa omni etiam levissima, sequitur; quia tale damnum tum censetur casu merè fortuito evenisse. Potest tamen aliquis aliquando obligari etiam in conscientia ad resarciendum damnum casu fortuito, & sine omni culpa datum, si scilicet de compensatione in hoc casu facienda conven-

tum est, vel is, apud quem damnum contigit, fuit in culpabili mora rem domino suo restituendi *c. un. de Commod. l. ea quidem 1. C. eod. Reg. mora 25. in 6.*

81 *Certum est 4.* non esse obligationem compensandi damnum, quod in bello justo, vel necessariæ defensionis causâ adversario infertur, dummodo justæ defensionis, & moderaminis inculpatæ tutelæ termini non excedantur; quia tale damnum non injuriâ, sed jure datum est, cùm vim vi repellere omnia jura permittant. Reiffenstuel *n. 46.* Ad necessariam defensionem etiam refertur, siquis incendii arcendi causâ, ne ignis ad se perveniat, vicini ædes incensas demoliatur, & destruat; nam si morale periculum fuit, propterea Actione Legis Aquiliæ pulsari non potest *l. siquis 49. §. quod dicitur 1. ff. ad Leg. Aquil.* Aliud est, si prudentum judicio periculum morale non fuit; nam tunc ad refusionem æstimationis adstringitur *l. si alius 7. §. est & alia 4. ff. quod vi, aut clàm.* Imò Bartol. *in l. 1. ff. ad Leg. Rhod. de jact.* Duar. *ibid. c. 2.* Gaill. *l. 2. obs. 22. n. 4. & 5.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. D. 18. thes. 8. lit. B.* Struvius *Synt. Jur. Civil. exercit. 20. thes. 20.* advertunt, casu, quo aliquorum ædes tempore incendii, ne ignis latiùs serpat, fuerunt diruta, id damnum à tota vicinia, quæ per destructionem talium ædium ab incendio præservata est, compensandum, sicut in simili in Lege Rhodia de jactu constitutum est, ut si in periculo naufragii levandæ navis causâ quorundam res, aut merces in mare projiciuntur, omnium navigantium contributione resarciatur, quod pro salute omnium ejectum est; argumentum autem à simili, quando subest eadem æquitatis ratio, in Jure plurimum valere probat *l. non possunt 12. & l. seq. ff. de LL.* Gaill. *l. cit.* Engl *hic n. 33.* Begnud. *V. damnum n. 13.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. de Leg. Aquil. q. 4.*

82 *Certum est 5.* per se loquendo in foro tam interno, quàm externo dari obligationem reparandi damnum, quod dolô, vel culpâ latâ Juridicâ datum est: Innoc. *in c. sicut 6. de homicid.* Sylv. *V. culpa n. 5. & 6.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 293. n. 7. fin.* Palao *tr. 32. D. 3. p. 1. n. 7.* Haun. *tom. 1. de Just. tr. 2. n. 186.* Wiestner *hic n. 28.* Et quidem quoad damnum dolô datum per se constat; quia talis est culpa Theologica contra Justitiam commutativam. De damno autem data per culpam latam Juridicam ratio est; quia etiam ista per se continet culpam Theologicam gravem: & ratio est, quia in re gravis momenti e. g. ubi periculum est incendii, vel homicidii, diligentia ad hæc evitanda communis, & quam homines communiter in similibus circumstantiis adhibere solent, omitti non potest sine peccato lethali contra Justitiam. Dixi *per se loquendo;* quia etiam culpa lata Juridica, imò & dolus, cùm is est merè præsumptus, quod culpam Juridicam latiorem aliqui vocant, aliquando per ignorantiam, vel in advertentiam, adeóque sine culpa Theologica committi potest: & tunc de hac, sicut de culpa Juridica levi, & levissima quæri potest, an, & qualem obligationem inducat; in qua quæstione punctum totius controversiæ tandem consistit. Quare

Dub. 1. utrum detur obligatio re- 83
parandi damnum, per culpam merè Juridicam datum? R. in foro externo reparationem ejus imponi. Patet ex textibus utriusque Juris; sic enim ex constitutione *Juris Civilis* ad damni reparationem tenetur 1. qui jaculando, vel bombardam explodendo alienum servum, vel animal trajecit in loco, ubi ei jaculari non licebat §. *itaque 4. Inst. ad Leg. Aquil.* 2. Medicus, vel Chirurgus, qui ægrum, cujus curam suscepit, deseruit, aut imperitè secuit, si is moriatur §. *præterea 6.* & §. *imperitia 7. Inst. eod.* 3. putator, qui ex arbore dejecto ramo transeuntem occîdit, si prope viam publicam hoc fecit, nec proclamavit, ut casus evitari posset §. *item putator 5.* 4. Mulio, si impetu mularum, quas ipse propter imperitiam, vel etiam infirmitatem, cùm alius firmior eas retinere potuisset, servus tuus oppressus fuerit §. *impetu 8.* ubi id extenditur etiam ad eum, qui cùm equo veheretur, impetum ejus propter infirmitatem, aut imperitiam retinere non potuit. Plura exempla passim afferuntur *Inst. & ff. tit. cit.*

Jure Canonico 1. prenum animalis, in 84
cisternam lapsi, reddere obligatur, qui hanc effodit & non cooperuit *c. siquis 2. h. tit.* 2. damnum à bove cornupeta, vel alio jumento, animalibus, agro, vineæ illatum, resarcire debet dominus ejusdem, qui illam non custodivit, aut hoc dimisit, cùm scire potuerit, & debuerit periculum esse, ne depasceret aliena *c. si bos 3.* & *c. si læserit 4. tit. eod.* 3. compensare debet alienas segetes, qui excitavit ignem, quo dein illæ absumptæ sunt *c. si egressus 5.* 4. & universim quicunque culpâ, imperitiâ, negligentiâ, ignorantiâ damnum dedit, id reparare tenetur *c. fin.*

Ratio sic statuendi fuit, quia SS. Ca 85
nonum, Legúmque conditores voluerunt, potiorem esse causam ejus, qui damnum absque sua culpa, & facto passus est, quàm alterius, qui id facto, aut culpa quacunque intulit alteri, cui proinde, ne illius factum, & culpa esset nociva, ab ipso illatum damnum resarciri voluerunt. Et quidem hæc obligatio

Extenditur 1. etiam ad eum, qui 86
etsi damnum ipse non dederit, tamen ut

hoc

hoc daretur, mandavit; quod enim quis per alium facit, perinde est, acsi per seipsum feciſſet *Reg. qui facit 72. in 6.* Aliud est, si non mandavit, sed consilium duntaxat dedit; quia ex consilio, nisi malitiosum hoc sit, aut ab alio datum, qui attenta personæ, aut muneris qualitate peritiam, artem, vel scientiam profitetur in re, circa quam dat consilium, nemo regulariter obligatur, cùm alteri liberum sit consiliò uti, vel non *Reg. nullus 62. in 6.*

87 *Extenditur 2.* ad eum, qui opem vel auxilium, ut damnum tale daretur, tulit, ut qui jaculanti, ubi non oportebat, supposuit humerum, si ea explosione lædatur, vel occidatur alterius servus, vel animal *c. fin. h. tit.* & *ibi* Gloss. *V. tulisti.* Valens. *hic* §. *2. n. 1.* Zœs. *n. 2.* Engl *n. 37.* Pirh. *n. 11.* Sannig *c. 2. n. 1.* Ratio est, quia quæ alterius auxiliò fiunt, ab ipso facta censentur. Aliud est, siquis damnum ab alio in sui gratiam datum ex post facto ratum habuit: nam hic non tenetur id compensare; quia ratihabitio subsequens non est causa damni, quod ponitur jam perfectum esse. & licèt aliquando retrotrahatur, & æquiparetur mandato, tamen hoc solùm fit in Contractibus, & aliis causis nondum perfectis, & quæ ad sui perfectionem alicujus consensum, & ratihabitionem desiderant. Engl *hic n. 39.*

88 *Extenditur 3.* ad eum, qui causam dedit propinquam damni, ut siquis stipulam in agro suo incendit, & ignis egressus combussit acervos frugum alterius, vel segetes stantes in agris alienis; quia qui dat causam damni, damnum dedisse censetur *c. fin. h. tit.* & *l. videamus 11. ff. locat.* & qui non prævidet, quod prævidere potuit, ac debuit, est in culpa *l. qui occidit 30. §. in hac 3. ff. ad Leg. Aquil.* poterat autem talem causam dans prævidere periculum, si majorem diligentiam adhibuisset. ergo &c.

89 *Extenditur 4.* etiam, cùm per servum alicujus, vel animal est damnum alteri factum; nam si in culpa dominus fuit, quòd animal naturâ ferox, e. g. ursum, leonem &c. in publico tenuit, nec bene custodivit, ne læderet: vel si animal, naturâ quidem non ferox e. g. bos, qui solitus sit cornibus impetere, damnum intulerit, dominus animalis, siquidem per tale animal liber homo vulneratus, vel occisus fuerit, arbitriò Judicis in ducentos solidos condemnabitur, si verò in alijs rebus, ut laceratione vestis, vel fractione ejus, quod portatur, damnum contigerit, in duplum condemnatio fiet *6. fin. Inst. si quadrup. paup.* Aliud est, quando culpa domini nulla intervenit; tunc enim oritur Actio de *Pauperie*, de qua *infrà n. 103.*

90 Dub. 2. utrum obligatio resarciendi damnum, ex culpa merè Juridica datum, contrahatur etiam in foro interno, & conscientiæ? Affirmant Covar. *p. 2. de Sponſ. c. 6. §. 8. n. 15.* Zœs. *ff. ad Leg. Aquil. n. 6.* Arnold. Rath. *tr. de Damno n. 34.* & plures alij, cum quibus etiam sentire videtur Barb. *in c. fin. h. tit. n. 2.* Fundantur 1. quia Leges istæ, quæ reparationem damni per culpam merè Juridicam dari decernunt, sunt justæ, communiter receptæ, & approbatæ, non nimis rigidæ, & intolerabiles, sed fini, & bono communi proportionatæ. sed tales Leges obligant in conscientia. ergo & istæ obligant. 2. potuit Legislator humanus ad ejusmodi damni refusionem obligare damnificantem in conscientia, ut apud omnes est indubitatum; quia ipsi competit potestas disponendi de subditorum suorum rebus in bonum totius Reip. & quòd ita obligare voluerit, conjicitur ex eo, quòd Legis Aquiliæ textibus damnum culpâ datum reparandum statuatur absolutè, non distinguendo inter culpam Theologicam, & Juridicam, ac proin locus videtur esse *arg. l. de pretio 8. ff. de Public. in rem act. 3.* eandem obligationem asserere videtur Jus Canonicum; nam *c. fin. h. tit.* Gregorius IX. asserit, eum non excusari (utique in foro conscientiæ de quo etiam agit Jus Canonicum) cujus imperitiâ, aut negligentiâ damnum illatum est, sed tantùm illum, qui ne occideret, nihil de contingentibus omisit. ergo etiam ex culpa merè Juridica nascitur in conscientia obligatio compensandi damnum. *Conf.* ex *can. consuluisti 20. caus. 2. q. 5.* ubi Stephanus V. ita scribit: *Monendi sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet interveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidij rei inveniantur.* multò magis igitur quævis negligentia reos faciet alterius minoris injuriæ, & inducet obligationem restitutionis, & reparationis damni illati.

Sed, etsi sententia ista sit valde pro- 91
babilis, in praxi tamen prior, & in Jure etiam probabilior videtur esse sententia negativa, quam etiam defendunt Innoc. *in c. 6. de homicid.* Sylv. *V. Culpa à n. 5.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 698. n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 7. n. 24.* Tann. *tom. 3. D. 4. q. 6. dub. 2. n. 40.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 6. n. 2.* Lugo *D. 7. de Just. sect. 3. & 4.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 178.* Pirhing *hic n. 11.* König *n. 27.* Wiestner *n. 33.* Reiffenstuel *n. 43.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. ad Leg. Aquil. q. 9.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de delict. c. 1. n. 77.* éstque communior TT. præsertim RR.

Ratio est 1. quia damnum, ex culpa merè Juridica datum, datum est absque omni advertentia, & cons. omnino involuntarium est, habétque se respectu nostri

instar casûs fortuiti. sed damnum involuntarium penitus, & fortuitò datum reparandi obligatio in conscientia, absque speciali contractu, nulla datur. prout dictum est. *n. 79.* ergo nec datur obligatio in conscientia reparandi damnum culpâ Juridicâ datum : quod magis etiam urget casu, quo commissa est tantùm culpa Juridica levis, & levissima; nam secluso speciali pacto, nemo tenetur majori diligentia cavere damnum alterius, quàm soleant ordinariè homines ejusdem conditionis in simili materia, cùm nemo debeat esse prudentior, aut circumspectior in negotijs, quàm alij homines similis conditionis. igitur damnum, quod ex omissione hujus majoris diligentiæ evenit, ad culpam, & compensationem per se imputari non debet, sed sufficit adhiberi diligentiam communem, ad quam, seclusâ ignorantiâ, & inadvertentiâ quivis tenetur.

2. Obligatio restarciendi damnum ità
93 datum ante omnem Judicis sententiam, si spectetur fragilitas humana, quæ sæpe ex inconsiderantia, & inadvertentia in hujusmodi damna facienda prolabitur, est nimis gravis, & ignota fidelibus; nam horum communis sensus, & persuasio est, se in conscientia tutos esse, & ab obligatione restituendi immunes, quando damnum ipsis innocentibus, & non advertentibus datum est : quod confirmari potest; nam damnum ab infante, vel amente datum compensandum est solùm ideo, quia tale damnum non censetur factum humano modo, & voluntariè, sed solùm fortuitò. ita autem se habere videtur damnum datum ex culpa merè Juridica; nam nec ipsum datum est humano modo, & voluntariè, cum injuria propriè dicta, sed quasi fortuitò. ergo &c.

3. Si hæc obligatio daretur, fuis-
94 set imposita vel Jure naturali, vel Jure positivo, vel ex conventione partium, aut Judicis præcepto. Non ex *Judicis præcepto*; quia ponitur tale nullum adesse. Non ex *conventione partium*; quia supponitur nulla præcessisse talis conventio. Non ex *Jure positivo*; quia *citt.* & similes Leges obligationem istam non clarè imponunt, cùm hoc à multis, & gravissimis JCtis negetur, & ferè ab omnibus etiam Adversarijs in dubium revocetur, ut proinde locus sit Regulæ, quòd in re dubia, & obscura, benignior pars præferenda sit *l. semper 56. & l. ea quæ 192. §. in re 1. ff. de R. J.* & videatur standum pro immunitate ab obligatione, sive libertate, in cujus possessione homo à natura constitutus, & in dubio conservandus est juxta *Reg. in pari 65. in 6.* Non denique ex *Jure naturali*; quia hoc Jure duplex solummodo est radix restitutionis, ex re accepta, & ex injusta acceptione. Ex *re accepta* oriri obligatio compensandi damnum in nostro casu non potest; quia ponitur, quòd damnificanti indè nullum lucrum, vel emolumentum consurgat. Sed neque ex *injusta acceptione*; quia cùm læso facta sit omnino inadvertenter injusta dici non potest.

Neque contrarium probant Argu-95 menta *n. 90.* allata. *Ad 1.* esto, Leges illæ, quatenus decernunt reparationem damni culpâ Juridicâ dati, sint justæ, & non merè pœnales, obligationem tamen in conscientia propterea non inducunt, propter defectum sufficienter manifestatæ voluntatis obligandi in conscientia eum, qui damnum omnino inadvertenter, & involuntariè intulit. *Ad 2.* etsi Legislator humanus potuerit hanc obligationem imponere, tamen dubium est, an illam revera imposuerit. in dubio autem præferendum est, quod est benignius, & favendum libertati, cui in dubio non est imponenda obligatio *arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A. Ad 3.* ibi, ut *Lessius* explicat, Pontifex loquitur de damno dato ex culpa Theologica, cùm agat de culpa lata, quæ nunquam, aut rarissimè est sine culpa Theologica. Sumitur ex textu *c. fin. cit.* ibi, *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Ad Conf.* eadem est responsio; culpa enim in re tam periculosa, & magni momenti, est culpa lata, atque ad eam vitandam gravis est obligatio. Eodem modo explicandi sunt reliqui Canones, & Jura, quæ in contrarium esse videntur : quia loquuntur vel de culpa lata vera; & tunc habet illa sibi conjunctam culpam Theologicam, sicque etiam obligationem in conscientia : vel de præsumpta in foro externo, quæ præsumptio non habet locum in conscientia, ubi veritas stat contra præsumptionem. Si neutrum sit, dici debet, quòd sint pœnales, adeóque iterum non obligant in conscientia ante sententiam.

Dub. 3. an saltem detur post sen-96 tentiam Judicis obligatio in conscientia ad compensandum damnum ex culpa merè Juridica datum. Negat Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 178.* cum *Rebello*, & alijs. Fundantur 1. quia Leges illæ, quæ imperant reparationem damni sic dati, & sententia secundum eas lata, fundantur in præsumptione culpæ Theologicæ; Sed Lex humana fundata in præsumptione, si hæc falsa sit, non obligat in conscientia, ubi præsumptio veritati cedit, ergo &c. 2. eædem Leges vindicant damnum injuriâ datum *pr. Inst. & l. si servus 3. ff. ad Leg. Aquil.* sed injuria involvit culpam Theologicam. 3. damnum culpâ merè Juridicâ datum reputatur

tatur instar illati per casum merè fortuitum. Sed hoc reparandi obligatio in conscientia nec ante, nec post sententiam datur. 4. ex communi Juristarum doli incapaces hac Lege conveniri non possunt, & hoc non alio ex capite, quàm quia non sunt capaces culpæ Theologicæ. ergo ubi culpa Theologica non est commissa, non est obligatio ex ista Lege. 5. Lex humana non potest disponere contra Legem naturalem. sed Lege naturali non est obligatio reparandi damnum sine culpa Theologica datum. ergo nec dispositione Legis humanæ ejusmodi obligatio in conscientia induci potest etiam post sententiam.

97 Sed his non obstantibus, dicendum adhuc, quòd post sententiam Judicis detur obligatio etiam in conscientia ad compensandum damnum etiam datum culpâ merè Juridicâ. Est communior DD. cum Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 698. n. 5.* Wiestner *hic n. 34.* Reiffenstuel *ibid. n. 44.* Ratio est, quia nisi obligarent ejusmodi Leges saltem post sententiam Judicis in conscientia, ferè inutiles essent, & carerent suo fine, cùm secluſa tali obligatione, posset quis nihilominus post latam sententiam damnum non compensare, aut postquam compulsus esset ad hoc resarciendum, occultam compensationem quærere: quæ licentia præberet ansam plurimis, & maximis dissidiis, neque satis cautum esset privatorum Juribus, atque etiam communi bono. oportet igitur saltem post sententiam esse obligationem in conscientia ad resarciendum damnum, proximo datum etiam per culpam merè Juridicam.

98 *Atque hinc sequitur*, eum, qui damnum, ex ejusmodi culpa datum, per Judicis sententiam coactus solvit, non posse id, quod in damni reparationem solvit, repetere, vel occulta compensatione uti; quia solvit, quod in conscientia obligabatur solvere. Ante sententiam autem, sicut qui damnum ejusmodi dedit, ad reparationem illius non obligatur, ita nec ei, qui damnum passus est, jus compensationis occultæ competit, ut colligitur ex *l. Legis 2. C. ad Leg. Aquil.* quâ dicitur, eum, qui passus damnum est, resarcitionem damni consequi debere *competentis Judicis authoritate.*

99 Neque contrarium evincunt Argumenta *n. 96.* in contrarium allata. *Ad 1.* Leges illæ non fundantur in præsumptione culpæ Theologicæ; nam Lege Aquilia obligatur etiam, qui culpâ Juridicâ solummodo leviſſimâ damnum dedit, ut colligitur ex *l. idem Juris 8. §. mulionem 1. & l. in lege 44. ff ad Leg. Aquil.* culpa autem Juridica leviſſima non solet esse Theologica. Colligitur idipsum etiam ex fine; nam Leges istæ actionem adversùs damnificantem concedunt, & damnum resarciendum imperant non tam in pœnam damnificantis, quàm ad excitandam curam in adhibenda cautela, ne quis alteri vel per se, vel per res suas sit damno, ut ita magis consulatur Juribus privatorum, & paci, atque concordiæ Reipublicæ. *Ad 2.* Injuria in his LL. ut habetur *l. sed etsi 5. §. injuriam 1. ff. eod.* nihil est aliud, quàm quod nullo Jure fit. potest autem aliquid fieri nullo Jure, & vel citra, vel contra Jus alterius absque culpa Theologica per meram culpam Juridicam. *Ad 3.* distinguendum est inter casum merè fortuitum, seu illum, qui tam Theologicè, quàm Juridicè fortuitus est, & inter eum, qui solùm fortuitus est Theologicè; nam quamvis ad casum merè fortuitum præstandum obligari aliquis, præciso speciali contractu, nequeat, vel ante, vel post sententiam, obligari tamen post sententiam potest ad præstandum casum, qui fortuitus est Theologicè, non autem Juridicè: & talis casus est damnum culpâ merè Juridica datum. *Ad 4.* soli illi, qui doli capaces sunt, Lege hac conveniri possunt; quia qui conveniri hac Lege possunt, debent esse capaces diligentiæ, & providentiæ humano modo adhibendæ, ad præcavenda, & providenda damna alijs oritura, in cujus diligentiæ, & providentiæ omissione stat culpa Juridica, atqui qui doli capaces non sunt, non sunt capaces hujusmodi diligentiæ, & providentiæ, ergo mirum non est, quòd conveniri hac Lege nequeant, cùm etiam conveniri nequeant de culpa Juridica. *Ad 5.* Lex humana non potest disponere contra Legem naturalem illi repugnando, aut adversando, potest tamen disponere contra illam inducendo obligationem aliquam, quæ determinatè per Legem naturalem non est inducta, si hoc bonum commune exigat: & talis est obligatio Legum istarum inducentium obligationem in conscientia ad compensandum damnum culpâ Juridicâ datum post sententiam; plurimum enim obligatio ista prodest ad accurandam hominum industriam, & præcavendam damnificationem aliorum. Et hinc Lex naturæ deobligans à reparatione damni cum culpa Juridica dati sine Theologica solùm est conditionata, nisi scilicet legitimus Magistratus propter exigentiam boni communis Legem de compensatione etiam talis damni, per culpam merè Juridicam dari, post sententiam faciendâ tulerit, qua conditione posita deobligatio ab hujus compensatione facienda cessat, cùm etiam Lex naturæ jubeat servare Leges humanas justas, utiles, & necessarias bono Reip.

Dub. 4. an conveniri etiam post- 100
sit aliquis ex damno sine vera, & propria

pria culpa dato? R. affirmativè. Patet ex Legibus, quæ obligationem inducunt ex quasi delicto, & ex nocumento per servum, vel animal sine propria domini culpa dato. *Primum* exemplum est *Judex* per errorem, aut imprudentiam malè judicans; nam iste, licèt non supponatur versari dolosè, aut culpam admittere credatur à Jure, adeoque Delictum verum non committat, ita judicando tamen committit quasi Delictum *pr. inst. de Oblig. quæ ex quasi delict.* quia præsumitur, aut magis fingitur in eo esse culpabilis, quòd vel ipse rem non sufficienter discusserit, vel, cùm potuisset, prudentiores, & peritiores non consulerit. Contra hunc ergo ei, qui per imperitiam ipsius læsus est, datur Actio in factum, quâ petit, ut Judex malè judicans tantum illi præstet, quantum religioni Judicis Superioris æquum fuerit visum *pr. inst. cit.* & *l. fin. C. de pœn. Jud. mal. jud.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 148. & duob. seqq.*

101 2. *Paterf.* vel alius habitator, ex cujus ædibus projectum, vel effusum aliquid est, quod transeuntium personis, vestibus, aut rebus damnum intulit; nam hic, etiamsi nihil sciverit de effusione, vel dejectione ab alio facta, eatenus præsumitur, aut potiùs fingitur delinquere, quatenus non magis vigilavit, aut cavit, ne quid cum alterius detrimento dejiciatur, vel effundatur §. *item is 1. Inst. de oblig. ex quas. delict.* Quare contra ipsum ei, qui læsus est, datur actio dejecti, vel effusi, & quidem si læsio contigerit in rebus pecuniâ æstimabilibus, veluti in vestibus, per ipsam petit, ut duplum damni illati præstet §. *item is cit. l. Prætor ait 1.* & §§. *seqq. ff. de his, qui effud vel dejec.* si verò læsus sit homo liber in sua persona, actio dejecti, vel effusi est popularis, datúrque ad 10. aureos in casu mortis actori solvendos *l. prætor ait cit.* §. *sed cùm 5.* in casu autem vulneris ad impensas curationis, & operas cessantes solvendas §. *item is cit.* & *l. fin. ff. tit. cit.* Myller *in Struv. Exercit. 14. thes. 31.* Magnif. D. Verlohner *act. de ex Edict. de his, qui effud n. 3.* Magnif. P. Schmier *c. 1. cit. n. 151. & seqq.* Simile quid est in casu, quo aliquid positum, vel suspensum est in loco, ubi vulgò fit iter; nam si hoc ceciderit, & lapsu suo prætereuntibus, aut ponè consistentibus damnum intulerit, contra eum, qui author est talis positionis, vel suspensionis, quia debitam cautelam adhibuisse censetur, datur actio in factum, seu actio positi, vel suspensi, ut pro damno solvat 10. solidos seu aureos *l. si verò §. prætor ait 6. ff. tit. cit.*

102 3. *Caupo* vel *Rector navis*, nam hic, si in navi ejusdem, cauponâ, vel stabulo per famulos, aut inquilinos vectoribus, & viatoribus per furtum, vel aliud maleficium damnum illatum sit, quamquam conscius, aut particeps nullo modo sit, in eo tamen delinquere creditur, quòd famulorum, & inquilinorum fidem accuratiùs non exploraverit §. *fin. Inst. de oblig. ex quas. delict.* ac propterea convenitur actione in factum, ut præstet duplum ejus, quòd actori ex damno in navi, caupona, aut stabulo à suis ministris famulis &c. causato abest *l. fin. §. hæc actio 1. & §. seq. ff. naut. caup.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. de oblig. ex. quas.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 159. & seqq.*

103 4. *Dominus*, cujus Servus alterum damnum, vel quadrupes pauperiem, h. e. nocumentum intulit; nam contra hunc, quia ipsi imputatur in culpam, quòd servum suum, vel animal non ampliùs custodierit, vel cautelam sufficientem non adhibuerit, si quidem per servum ejus damnum illatum sit, ita læso datur actio noxalis, si verò per animal, Quadrupedaria, Directa quidem, si animal fuerit quadrupes, & mansuetum, Utilis verò, si bipes, vel bestia cicurata, & custodiâ hominis coërcita *l. si quadrupes 1. pr. & l. hæc actio 4. ff. si quadrup. paup.* Stryck *tr. de Action. sect. 1. membr. 10. §. 60.* Petitur per hanc Actionem, ut dominus tali servi, vel animalis, vel æstimationem damni solvat, vel servum ipsum, aut animal, per quod nocitum est, noxæ dedat, h. e. in damni compensationem actori relinquat *pr. Inst. & l. si quadrupes cit. pr. ff. si quadrup. paup. l. noxales 1.* & *tot. tit. ff. de noxal. act.* ita, ut in electione rei conventi sit, an velit servum, vel animal noxæ dare, vel damnum aliter resarcire *l. si quadrupes cit. pr.* nisi per mendacium negaverit, animal damnificans esse suum; tunc enim amittit alternationem, damnúmque resarcire adstringitur *l. cit. §. interdum 15.* Plura de his Civilistæ.

104 Quoad obligationem in conscientia ex Legibus noxalibus, de pauperie, & ex quasi delictis dicendum idem, quod à *n. 90.* dictum est de obligatione ex damno per culpam merè Juridicam dato; nempe post sententiam datur obligatio etiam in conscientia damna hæc reparandi, non autem ante. *Ratio primi* est, quia Leges istæ, quæ resarcitionem damni sic dati imperant, sunt justæ, & inductæ ex fine boni publici, ut homines tantò accuratiores reddantur ad damna aliorum impedienda. igitur ne elusoriæ omnino sint saltem debent post sententiam obligare. *Ratio secundi*, quia major obligatio vix à quoquam mortalium agnoscitur, cùm Leges ejusmodi nullam supponant culpam etiam Juri-

Juridicam, nisi ad summum præsumptam: unde erunt quasi pœnales, quæ ante sententiam nullam inducunt obligationem in conscientiam ad pœnam solvendam. *Excipitur*, nisi natura, caupo &c. promisisset pacto, se omne damnum quovis modo per homines, vel animalia sua inferendum compensaturum; tunc enim ex pacto etiam in conscientia obligatio nasceretur. Engl *hic n. 45. fin.*

105 Porro ex his *consequitur 1.* eum qui per sententiam condemnatur, damnum per homines, vel animalia sua datum resarciit, non posse solutum repetere, vel occulta compensatione uti; quia solvit, quod in conscientia obligabatur solvere. Si tamen damnum hoc per hominem datum fuit, potest is, qui condemnatus solvit, id, quod solvit, ab eo, qui damnum dedit repetere *l. prætor ait 1. & tot. tit. ff. de his qui effuder. Sequitur 2.* ita damnificatum non posse ante sententiam, & extra viam Juris sibi ipsi ex rebus ejus, per cujus homines, vel animalia damnum passus est, resarcitionem damni illati quærere; quia ante sententiam nihil adhuc eidem debetur. *Sequitur 3.* non esse licitum aliena animalia, in agris, vel segete deprehensa, interficere, includere, vel aliud eis damnum inferre; tum quia hoc modo dominus eorum innocens pateretur damnum; tum verò, quia damnificato contra ipsum pro damno dato ordinarium Juris remedium competit. Abigi proinde debent sine damno, vel dominus admoneri, ut recipiat *l. Quintus 39. & l. seq. ff. ad Leg. Aquil.* Si tamen inclusio non fieret animo celandi, seu subtrahendi, sed ut deveniatur in cognitionem domini, quia animalia fortassis ignota sunt; vel si consuetudo permittat talem inclusionem quasi pro pignore, usque dum dominus satisfaciat, tolerari hoc posse censet Molin. *tr. D. 697. n. 23.* Engl *n. 34. ℣. si tamen* & talem consuetudinem passim inductam, testantur Christoph. Richter, *decis. 5.* David Mævius *ad Jus Lubec. l. 3. art. 3. tit. 11. à n. 9.* Magnif. D. Christoph de Chlingensperg *Inst. si quadrup. paup. fec. q. 3.* Magnif. D. Verlohner *act. de past. pecor. & de pauper. n. 3.* & consentit Jus provinciale Bavaricum Land-Recht *tit. 27. art. 7. & 8.*

Dub. *5.* cui facienda sit restitu- 106
tio ex Lege Aquilia, vel noxalibus, aut de pauperie, & quænam causæ excusent à restitutione? ℣. restitutio facienda est ipsi læso, vel ejus hæredi, si notus sit, pro læsionis modo, & ordine Juris. Excusat autem

1. Impossibilitas physica, vel moralis, ut si restitutio fieri nequeat salvâ vitâ, si nequeat fieri sine damno boni ordinis superioris, si ob paupertatem, restitutione facta, ad hanc condemnatus, deberet carere necessariis sibi ad vitam: quibus casibus tamen obligatio compensandi damnum, præcepto Judicis imposita, non cessat absolutè, sed tantùm suspenditur, ut solùm tamdiu duret excusatio, quamdiu ratio excusans durat. Engl *hic n. 44.*

2. Excusatur condemnatus, si con- 107
donatio obligationis facta ipsa à læso est; cùm enim sententia hæc prolata sit in favorem læsi, & favoribus sibi factis quilibet renuntiare possit, non apparet, ex quo capite prohibeatur læsus obligationem istam arbitrio suo lædenti remittere.

3. Excusatur, si læsus jam aliunde sibi compensavit damnum, quod passus est, ex bonis lædentis; tunc enim nihil ipsi debetur ampliùs, & sententia tantùm procedit ex suppositione nondum factæ compensationis. Idem dic, si lædens ipse ante sententiam damnum jam compensavit.

§. III.

De Repressaliis, seu Pignorationibus.

SUMMARIUM.

108. *Definitio Repressaliorum.*
109. *Generaliter sunt illicitæ.*
110. *Nec per consuetudinem licitæ fieri possunt.*
111. 112. *Conditiones, cum quibus licitè indicuntur.*
113. &c. *An possint admitti etiam contra innocentes?*
116 &c. *An contra Ecclesiasticos, & eorum bona?*
118. *An contra Scholares?*

108 QUæritur 1. quid sint *Repressaliæ*? R. *Repressaliæ*, barbaro nomine, Latinè *Pignorationes*, sunt quando una persona, vel res ejus pro delicto, aut debito alterius capitur. Si fiant à Principe, vel Rep. concedi plerumque solent per Litteras, per quas subditis, aut militibus suis, damnum injustum passis Princeps, aut Resp. dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compensationem damnorum, quæ ipsis illata sunt. Sylv. *V. Repressaliæ n. 1.* Laym. *l. 2. tr. 3. c. 12. n. 13. v. atque huc*, Pirhing *hic n. 21.* Sannig *ibid. c. 2. n. 3.*

109 Quæritur 2. an licitæ sint Repressaliæ? R. generaliter loquendo sunt illicitæ; nam *c. un. h. tit. in 6.* & *Novell. 52. c. 1.* injuriis annumerantur: & meritò; quia non est æquum ob culpam, & crimen alterius innocenti infligi pœnam, quæ tantùm suum sequitur authorem *l. sancimus 22. C. de pœn.* Et hinc *in Novell. cit.* Imperator senio mandavit Judicibus tales pignorationes punire, simulque statuit, ut in Civili causa faciens pignorationem reddat quadruplum, & insuper causam amittat.

110 Estque hoc ita verum, ut nec consuetudine induci possit, ut Repressaliæ privatis hominibus indifferenter permittantur; quia cùm *c. un. cit.* declarentur Juri naturali contrariæ, consuetudine, quæ contra Jus naturale nihil operatur, licitæ fieri non possunt *§. sed naturalia 12.* & *ibi* DD. *Inst. de I. N. G. & C.* unde talis consuetudo *c. cit.* non consuetudo, sed abusus nominatur. Dixi autem *generaliter loquendo*; nam in certis casibus, & certis conditionibus concurrentibus, contra certas personas, & universitates, quæ requisitæ Justitiam non ministrant, & iis foventes, Repressaliæ non sunt illicitæ. Ancharan. *in c. cit. not. 2.* Franc. *ibid. not. 1.* Zœs. *hic n. 19.* Pirhing *n. 21.* Engl *n. 22.* Sannig *c. 2. n. 3.*

111 Quæritur 3. quæ conditiones requirantur, ut Repressaliæ fiant licitæ? R. 1. requiritur Authoritas Principis; nam indici debent à Principe, & quidem tali, qui bellum possit indicere. Covar. *Reg. peccatum p. 2. § 9. n. 5. v. hinc denique*, & alii passim; quia sunt quædam species belli, & bellum saltem particulare.

2. Justa causa concedendi, talis scilicet, ob quam bellum indici possit: qualis est, si Resp. contra quam indicuntur Repressaliæ, neglexerit vindicare, quod à suis, vel subditis ipsius improbè factum fuit; vel si recuset reddere, quod per injuriam ablatum est *can. Dominus 2. caus. 23. q. 2.* Covar. *l. it.*

3. Recta intentio illius, cui conceduntur Repressaliæ, scilicet compensandi damni, non privatæ vindictæ. Pirhing *l. cit.*

114 4. Ut Repressaliæ non excedant damnum illatum, & interesse datum. *Pirhing, Sannig l. citt.* Item ut non fiant in personis, quæ damnum non intulerunt; quia iniquum est alium pro alio, sive pro culpa alterius prægravari *c. un. cit. pr. Zœs. Pirh. Sannig l. citt.*

5. Ut Princeps, vel Resp. adversùs quem Repressaliæ indicuntur, priùs moneatur, & post monitionem neglexerit compensationem facere, vel imperare *can. dominus*, & *DD. citt.* nec enim videtur omnino extra culpam esse, qui negligit vindicare suorum improbitatem, vel Justitiam super debito facere recusat, aut differt, & sceleris authorem apud se latitantem non tradit.

115 Quæritur 4. an Repressaliæ possint admitti etiam contra innocentes, qui inter nocentes commixti degunt? R. in personas eorum non posse, ut patet ex *n. præc.* & ratio ulterior est, quia ut nemo specialiter ad pœnam corporalem pro alio se obligat, aut obligare se potest, cùm non sit dominus membrorum suo-

ſuorum ; ita nec obligari poteſt per iſtam obligationem generalem. igitur ad innocentium offenſionem in perſona per ſe loquendo Pignorationum, & Repreſſaliarum conſuetudo non permittitur.

114 Dixi *in perſona* ; nam in rebus etiam innocentium licent Repreſſaliæ, ſi aliunde adſint conditiones cæteræ, ita, ut bona eorum diripi, & occupari poſſint. Covar. *in Reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. ℣. hinc ni fallor*, Zœſ. *hìc n. 19.* Pirhing *n. 21.* nam bonorum ſuorum damno poteſt quilibet ſe ſubjicere, & Legi, vel Statuto nomine alterius alterum ſubjicienti conſentire, debitúmque alienum, licèt ſine culpa ſua, ex cauſa tamen civiliter luere. Quodſi tamen innocentes in hujusmodi Repreſſaliis patiantur damnum in rebus ſuis, ſalvus manet eis regreſſus adversùs eum, qui criminis, aut debiti author fuit. Zœſ. *l. cit.*

115 Addidi *per ſe loquendo* ; ex accidenti enim permiſſum eſt etiam innocentes occidere, & ladere in ſuis perſonis, ſi Repreſſalias exequentibus repugnent, & ſe, ſuáque defendant. *Covar. Pirh. l. citt.* Ratio eſt, quia aliter Repreſſaliæ, legitimè indictæ, exerceri non poſſunt.

116 Quæritur 5. an contra Eccleſiaſticos, vel bona eorum, concedi Repreſſaliæ poſſint ? ℣. negativè. Ita habetur *c. un. h. tit. in 6.* ubi damnatur omnis contraria conſuetudo, & contra transgreſſores hujus Decreti, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententia Excommunicationis ; ſi verò Univerſitates, Eccleſiaſticum Interdictum decernitur, niſi intra menſem hujusmodi conceſſionem, vel extenſionem revocaverint. Zœſ. *hìc n. 19.* Pirhing *n. 22.* Engl *n. 20. fin.*

Unde ſequitur, quòd, ſi Repreſſaliæ ſimpliciter, & generaliter concedantur in aliqua Provincia, illæ non extendantur ad Clericos, & Religioſos, nec ad propria illorum bona, quippe quæ gaudent eodem privilegio, quo ipſæ perſonæ. Franc. *in c. un. h. tit. in n. 7.* Ratio eſt, quia cùm Repreſſaliæ ſint odioſæ, non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ. Accedit, quia expreſſa, & ſpecialis conceſſio adversùs hos & bona illorum non valeret. ergo nec generalis ; hæc enim comprehendere nequit, quæ in ſpecie prohibentur. 117

Similiter generali Repreſſalium Decreto non comprehenduntur Scholares juxta *Auth. habita C. ne filius pro patre &c.* quæ licèt loquatur de ſtudentibus Juri Civili, tamen eadem ratio eſt de iis, qui ſtudent in aliis Facultatibus, maximè Juri Canonico. Gloſſ. *hìc poſt caſum in notatis.* 118



PARS IV.

De Pœnis Delictorum.

EXaminavimus hactenus Delicta Fori Ecclesiastici, & plerisque subjunximus pœnas à Jure taxatas, quarum aliquæ in Judiciali foro externo aliæ interno seu Pœnitentiali imponuntur: utrarumque natura in Parte hac quarta Libri præsentis est explicanda.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

PŒnarum, quas Ecclesia injungit delinquentibus, aliquæ Vindicativæ, aliquæ Medicinales sunt: de posterioribus agetur *Tit. 39.* de prioribus, in quantum pertinent ad forum externum, in *Titulo* præsenti sermo præcipuus: priùs tamen aliquid dicetur de Pœnis in genere.

§. I.

De Pœnis in genere.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Pœnæ.*
2. 3. *Requisita, ut justè imponatur.*
4. *Ejus diversa acceptio.*
5. *Et divisio.*
6. *Conventionalis à quo solvi debeat?*
7. &c. *An tota pœna Conventionalis solvi debeat ab eo, qui contractum observavit ex parte tantùm?*
11. &c. *Variæ Subdivisiones Pœnæ Vindicativæ.*
15. &c. *Quodnam sit Subjectum Pœnæ?*
23. &c. *Quoties delinquens puniendus?*
26. &c. *Quid Judici in infligenda pœna sit attendendum?*
31. *An Judex loco pœnæ ordinariæ possit imponere extraordinariam, vel eam omnino remittere?*
32. &c. *Quid circa remissionem, vel mitigationem pœnæ possit Supremus Princeps, aut Status Imperii, jus aggratiandi habens?*
36. &c. *Quid Judex inferior, cui jus aggratiandi non competit?*
44. *An debeatur à reo pœna in conscientia ante sententiam?*
45. *Quando debeatur pœna Conventionalis?*
46. &c. *Quando pœna ipso Jure lata?*
54. &c. *An, quando Lex ipso Jure imponit publicationem bonorum, reus ante sententiam declaratoriam statim amittat illorum dominium?*
60. &c. *Quid operentur verba* absque alia declaratione, *vel* nulla monitione prævia, *addi non rarò solita in Legibus, quæ Jure, & facto ipso privant rebus ante possessis?*
63. &c. *Quas pœnas teneatur exequi delinquens post latam sententiam?*

Quæ-

1 QUæritur 1. quid sit *Pœna* in genere? R. juxta *S. Aug.* relatum *can. pœnitentia 4. ¶. pœna de Pœnit. dist. 3.* est *læsio, quæ punit, & vindicat, quod quisque commisit:* vel ut eam ex *Cujacio* definit. Zœs. *ff b. tit. n. 1.* est *Delictorum, sive Criminum coërcitio, sive vindicta, inducta ad disciplinæ publicæ emendationem.*

Ut justa sit hæc coërcitio, requiritur 2 1. *honestus finis*: talem habebit: si non quiescat in nudo malo alterius, sed eò tendat, ut vel reus emendetur, vel, si noluerit se emendare, reddatur inhabilis ad peccandum, vel ut scandalum scelere datum exemplo pœnæ reparetur. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 15.* 2. *authoritas publica*; cùm enim ex una parte coërcitio tendat ad utilitatem publicam, ex altera verò non expediat cuilibet privato potestatem coërcendi concedere, necessum est, ut pœna ab eo dictetur, qui publica ad hoc authoritate instructus est. Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 16.* 3. *Proportio*, & *æqualitas*, ut in eo gradu se contineat, in quo malitia delinquentis erat posita: conf. propositio ista debet esse non Geometrica, sed Arithmetica; cùm enim gravitas pœnæ debeat correspondere gravitati culpæ, non minùs in pœnarum qualitate observari debet proportio Arithmetica, & æqualitas rei ad rem, quàm in Contractibus, & cæteris actibus Justitiæ commutativæ. P. Schmier *l. cit. n. 18.*

Neque obstat, quòd *l. in servorum* 3 *10. pr.* & *l. capitalium 28. §. fin. ff. b. tit.* jubeantur gravius castigari Servi, quàm homines ingenui; sicque habeatur respectus ad personas, & observari videatur proportio Geometrica, ut arguit Ant. Matth. *de criminib. ad libr. 48. tit. 18. c. 4. n. 7.* Nam hoc ideo fit, quia vel Delicta servorum atrociora sunt Delictis ingenuorum, vel quia pœnæ, quæ respectu hominum liberorum sunt graves, respectu vilium sunt leves, cùm isti cruciatu corporis, illi infamiâ, & aliis animi doloribus acerbiùs crucientur. P. Schmier *l. cit. n. 19. & 20.*

4 Quæritur 2. quotupliciter possit accipi Pœna? R. accipi potest tripliciter. 1. latè, prout includit etiam Medicinales. 2. strictè, prout Medicinales quidem excludit, includit tamen Pœnas Civiles. 3. strictissimè, prout includit solam Vindicativam: & huic tanquam illi, quæ propriè pœna solùm est, convenit Definitio *n.* 1. data; nam Pœnæ illæ, quæ Civiles merè sunt, propriè pœnæ non sunt, utpote quæ non publicæ disciplinæ emendationem, sed privatam satisfactionem spectant.

5 Pœna ergo *Vindicativa* est, quæ ad vindictam publicam, *Civilis*, quæ ad satisfactionem privatam tendit. Et hæc posterior triplex est, *Legalis*, quæ à Lege, *Judicialis*, quæ à Judice, *Conventionalis*, quæ mutuo partium consensu imponitur, & apponitur Contractui, ut is firmiùs observetur. Et quidem, quòd hujusmodi pœna *Conventionalis* apponi possit Contractui, eáque exigi, certum est ex *c. constitutus 7. h. tt.* & docet *ibid.* Abb. *n. 2. & 3.* Zœs. *hic n. 2.* Pirhing *n. 12.* & alii passim.

Incumbit obligatio solvendi pœnam 6 Conventionalem illi, qui contractui contravenit *c. dilecti 4. de arbitr.* & *l. si pacto 14. C. de Pact.* nisi & alter eidem Contractui contravenerit; tunc enim obligatio solvendi pœnam in utroque cessat *c. constitutus cit.* Gloss. *ibid. V. utramque*, Host. *V. eod.* Pirhing *hic n. 12.* Engl *ibid. n. 1.* quia paria delicta quoad pœnam privatam mutua compensatione tolluntur *c. fin. de adult.* & *l. si ambo 10. ff. de Compensat.*

Difficultas est, an is, qui Contra- 7 ctum observavit ex parte tantùm, satisfaciat, si partem pœnæ solvat, an verò obligetur ad totam pœnam solvendam, tanquam si nulla ex parte stetisset contractui? Casus est: Titius mutuos accepit 200. fl. à Cajo, cum pacto, ut intra annum restituat summam integram, vel si non solverit, in pœnam moræ Cajo pendat 10. fl. transacto anno, Titius solvit 100. duntaxat, quæstio est, utrum pœnæ nomine teneatur solvere 10. tanquam si nihil solvisset; an verò satisfaciat, si solvat quinque?

Rationem dubitandi faciunt ex una 8 parte *l. stipulationum 5. §. fin. ff de V. O. l. in executione 85. §. item si 6. ff. eod.* & *l. hæredes 25. §. idem juris 13. ff. famil. herciſc.* ubi jubetur totam pœnam solvere, qui sortem non solvit integrè. Ex altera verò parte *c. suam 9. h. tit.* ex cujus textu tali casu solùm manet obligatio solvendi pœnam cum proportione ad partem debiti, statuto tempore non exsoluti, & Episcopo, pœnam integram petenti, silentium imponitur. Ob hunc posteriorem textum nonnulli cum Gloss. *ibid. V. persolutis*, Innoc. *in c. cit.* Abb. *n. 6.* Berojo *in c. dilecti cit. n. 82.* putant Jure Canonico correctum rigorem Legum Civilium *citt.* Sed quia *in c. cit.* Pontifex ne verbo quidem meminit de ulla correctione Juris Civilis, neque hujus dispositionem improbat, hinc meritò factam aliquam hujus Juris correctionem negant Sanmient. *l. 5. select. c. 6. n. 11.* Fachin. *l. 10. contr. c. 63.* Zœs. *in l. stipulationum cit. n. 5.* Barbos. *in c. cit. n. 13.* Wiestner *hic n. 6.* Hinc meliùs cum his

Distinctio fit inter pœnas, utrum 9 individua sit, an verò dividua. *Si indi-*

vidua est, solvi debebit integra, etiamsi contractus ex parte sit observatus. *Si verò dividua sit*, videndum, an Contractus non sit observatus ex parte notabili, an solùm in minima. *Si primum*, & pœna secundùm Leges sit moderata, alter, qui observavit Contractum, petere potest integram. *Si secundum*, æquitas postulat, ut integra pœna non exigatur, præsertim à Clericis, & Episcopis, quos Ecclesia ab omni avaritiæ, & sordidi ei specie vult esse remotos.

10 Quæritur 3. quotuplex sit Pœna Vindicativa? R. variæ sunt istius Divisiones; nam 1. dividitur in Personalem, Realem, & Mixtam. *Personalis* est, quæ tantùm personam afficit: & talis pœna est incarceratio, detrusio in Monasterium, Depositio, verberatio, relegatio ad triremes &c. *Realis* est, quæ in odium personæ rebus imponitur, ut cùm reus privatur Beneficio, cùm mulcta pecuniaria ei imponitur, aut omnino confiscantur illius bona &c. *Mixta* denique est, quæ partim est personalis, partim realis, ut Interdictum, Relegatio, Proscriptio in exilium &c.

11 2. In Ordinariam & Extraordinariam, seu Arbitrariam. *Ordinaria* est, quæ Lege, Canone, vel Consuetudine præscripta est; *Extraordinaria*, sive *Arbitraria*, quæ nulla Lege, Canone, vel Consuetudine definita est, sed Judicis arbitrio, secundùm personarum, & delictorum qualitatem imponitur. Tiraquell. *in l. si unquam 8. V. revertatur. C. de revocand. Donat. n. 5.* Suar. *l. 5. de LL. c. 7. n. 1.* Wiestner *hic n. 8.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 21.* & alii passim. Ex Ordinariis aliquæ infliguntur *ipso Jure*, ita, ut ipso facto, quo crimen patratur, contrahantur etiam ante sententiam condemnatoriam Judicis; aliæ *sententia Judicis*, qui reum ad eam secundùm Leges, Statuta, vel Consuetudinem condemnet, indigent.

3. In Positivam, & Negativam.

12 *Positiva* est, quæ ad sui executionem exigit actionem, sive dein actio ista facienda sit ab ipso delinquente, sive ab alio tertio, uti est flagellatio, exilium, solutio pœnæ, mutilatio membri, privatio vitæ &c. *Negativa*, quæ in negatione, vel amissione consistit, quales sunt privatio beneficii, officii, usûs Ordinis, fructuum; item omnes inhabilitates, irritationes, & annullationes actuum &c. in pœnam delicti decretæ. Palao *tr. 3. D. 2. p. 1. n. 1.* Pirh. *hic n. 3.* Wiestn. *ibid. n. 9.*

4. In Capitales, & non Capitales.

13 *Capitalis* pœna est, quæ infert reo mortem aut naturalem per ablationem vitæ, aut civilem per ademptionem libertatis, vel Patriæ: hujus species sunt ultimum supplicium, quo duntaxat intelligitur pœna mortis naturalis *l. ultimum 22. ff. h. tit.* damnatio ad metallum, deportatio: quibus æquiparatur perpetuum exilium, & Bannus Imperialis. *Non Capitales* sunt, quæ non ad capitis periculum, sed ad existimationem pertinent *l. capitalium 28. §. cæterè 1. ff. h. tit.* sive quâ quis, salvâ vitâ naturali, & civili, i. e. libertate, & civitate, coërcetur: & hoc modis diversis fieri potest in bonis, in corpore, vel in statu delinquentis: & hinc

5. Pœnæ non Capitales aliæ sunt, 14
quæ afficiunt animum; & tales sunt illæ, quibus delinquentis status diminuitur, aut infamia eidem irrogatur per Dignitatis, aut publicæ existimationis ademptionem. Aliæ, quibus affligitur corpus, ut fit per incarcerationem, abstinentiam, fustigationem, rescissionem narium &c. & hæ *Corporales* dicuntur. Aliæ respiciunt bona delinquentis externa: & quidem si pecuniam illius, *Pecuniariæ* appellantur: qualis est mulcta, non parti, sed fisco applicanda; si verò res, & Jura alia, ab istis nomen sortiuntur: & hinc aliquæ ex istis *Spirituales* vocantur, quibus nempe delinquens Officio Spirituali, vel ipsius, aut SS. Ordinum usu, & exercitio vel in perpetuum, vel ad tempus privatur, vel ad ea inhabilis redditur, uti sunt Degradatio, Depositio, privatio Beneficii, sepulturæ Ecclesiasticæ, Vocis activæ, & passivæ in Electione ad Beneficia &c.

Quæritur 4. quodnam sit Subjectum 15
pœnæ? R. est homo vivens, & delinquens. Dixi 1. *Homo*; nam bruta, sicut ob rationis defectum Juris, obligationis, & culpæ sunt incapacia, ita pœnam propriè dictam pati non possunt. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 26.* *Neque obstat*, quòd aliquando flammis exusta, vel alio mortis genere perempta legantur; nam id factum est in detestationem criminis, cujus homines complices se fecerunt, vel in confusionem & afflictionem Dominorum, qui animalia sua meliùs non custodierunt. P. Schmier *l. cit. n. 27.* Addi potest tertia ratio, ut hujusmodi animalia cessarent esse noxia.

Dixi 1. *Vivens*; nam crimina cum 16
morte nocentium extinguuntur *can. quorundam 14. dist. 23. l. defuncto 6. ff. de Publ. Judic. & l. fin. C. si reus, vel accusator &c.* cons. cadavera mortuorum ad supplicium rapi nequeunt, neque pœna de defunctis repeti P. Schmier *n. 28.*

Excipitur 1. si pœna pecuniaria, vivente adhuc delinquente, lata est, nec per appellationem suspensa; tunc enim solvi illa ab hæredibus debet, cùm jus ad illam per ipsam sententiam quæsitum sit fisco. *l. ex Judiciorum 20. ff. de Accusat.*

Ex-

Excipitur 2. crimen repetundarum, & perduellionis; nam ob ista delinquentium bona etiam post mortem eorum confiscantur *l. ex Judiciorum cit. l. ff.* & *l. fin. pr. C. ad Leg. Jul. Majest.* ubi statuitur, quòd *etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, ut convicto mortuo, memoria ejus damnetur, & ejus bona successori ejus eripiantur.*

17 *Excipiuntur* 3. Hæretici, Excommunicati, & aliorum quorundam delictorum rei, quibus mortuis, nisi se DEO, & Ecclesiæ antea reconciliaverint, negatur Sepultura Ecclesiastica, prout dictum est *Libr. 3. Tit. 28. à n. 49.* quibus adde alia quædam delicta, ob quæ ultimo supplicio affectorum, licèt pœnitentes decesserint, corpora ad majorem aliis terrorem incutiendum in loco publico suspensa, & inhumata ex consuetudine passim recepta relinquuntur: quam consuetudinem non improbandam dixi *l. cit. n. 69.* Imò aliquando nocentes terræ mandati rursus exhumantur, & suspenduntur è patibulo, implicantur rotæ, aut igne consumuntur; vel ubi cadavera eorum haberi non possunt, in detestationem criminis ea executio fit in eorum effigie, si primùm post mortem de enormi illorum facinore constare cœperit. Carpzov. *pract. crim. q. 131. n. 28. & seqq.* P. Schmier *l. cit. n. 33.*

18 Dixi 3. *delinquens*; quia pœna sequitur ad culpam. Atque hinc sequitur, quòd alius pro alio per se loquendo puniri non possit; quia pœna suos tenet authores, neque ulteriùs contra eos progreditur, qui procul sunt à delicto *l. sancimus 22. C. de Pœn.* Covar. *l. 2. var. c. 8. n. 7.* Farin. *prax. crim. q. 24. n. 1.* Palao *tr. 3. D. 2. p. 6. n. 1.* Magnif. P. Schmier *c. 3. cit. n. 34.*

Dixi *per se loquendo*; nam si subsit specialis causa, vel bonum commune hoc exigat, potest innocens secundùm se, ob connexionem, quam cum nocente habet, pœnâ affici, & gravamen sustinere. *Et ratio est*, quia etsi pœna nunquam inferatur sine culpa, & ordinariè requiratur culpa propria, juxta regulam, *sine culpa non est aliquis puniendus c. sine culpa 23. de R. J. in 6.* id tamen intelligendum duntaxat est, *nisi subsit causa*, ut in *Reg. cit.* additur; nam aliquando inferri potest sine culpa puniti, sed tamen non sine causa. Sylv. *V. Pœna n. 1.*

19 Estque hoc receptum utroque Jure, etiam Canonico; sic enim qui Episcopum suum occiderit, non tantùm ipse omnia, quæ ab Ecclesia obtinet, amittit, sed etiam liberi illius usque ad quartum gradum ab Ecclesia, & illius Beneficiis arcentur *c. ad aures 10.* & *c. in quibusdam 12. h. tit.* Eodem modo pœnæ, in Hæreticos, & læsæ Majestatis reos statutæ, à parentibus ad filios transeunt, ut statuitur *c. vergentis 10. de Hæret. c. statutum 15. eod. in 6. l. quisquis 5. §. filii 1. C. ad Leg. Jul. Majest.* & tradunt *ibi* DD. *Ratio* autem, quòd ad filios etiam pœnæ parentum extendi possint, est multiplex, præcipuè verò duæ istæ, partim quia filii sunt aliquid Patris, & commune bonum exigit, ut ad terrorem aliorum in atrocioribus hujusmodi delictis parentes non tantùm in se, sed etiam in filiis puniantur; partim quia timetur, ne filii indolem parentum, & peccata imitentur, & sic in illis remanet præsumptio paternæ malitiæ.

Si delinquat Universitas, seu Com- 20
munitas, refert, an omnes sint culpabiles, an major pars, an aliqui tantùm. *Si primum*, omnes puniri possunt, plerumque tamen pœna eorum non debet esse æqualis; quia nec æquale omnium solet esse delictum, cùm delinquere non soleat multitudo, nisi à seditiosis capitibus, & sceleratis coryphæis fuerit impulsa, atque commota. Accedit, quia in tali Communitate plerumque continentur etiam pueri, mulieres, plebeji &c. qui cùm consiliorum publicorum expertes sint, non eandem, quam viri Senatores, Consules, docti &c. malitiam contrahunt. Quare hoc casu potiùs in Authores, & primores sceleris ultore gladio sæviendum erit, cæteri verò etsi puniri possint, & debeant in bonis fortunæ, non tamen in vita, vel membris; quia ut *can. ordinationes 5. caus. 9. q. 1.* loquitur Pontifex, *ubi multorum strages jacet, ibi subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati.* P. Schmier *l. cit. n. 35. & duob. seqq.*

Si secundum, non minùs, quàm in 21
primo casu, puniri tota Communitas potest; & si delictum sit unum ex atrocioribus, tota Civitas, vel Provincia, quamvis multi in ea sint innocentes, devastari, velut exempla habemus in S. Script. *Deut. 13. v. 12. & seqq.* si enim ob Hæresin, aut perduellionem parentum innocentes Liberi famâ, fortunisque spoliantur secundùm dicta *n. 19.* multo magis innocui Cives bonis privari poterunt, si major Civitatis pars excesserit, eò quòd major pars partem minorem quoad commoda, & incommoda repræsentet. Dixi *bonis privari poterunt*; nam in vita, vel corpore sola delinquentium capita sunt coërcenda, cùm non æqualem potestatem Resp. in vitam, & membra, qualem in res & fortunas, subditorum suorum habeat, & intrinsecè malum sit innocentem, qui talis esse cognoscitur, privare vitâ, vel integritate membrorum suorum. P. Schmier *n. 38. & 39.*

Si tertium, singuli delinquentes, 22
absque præjudicio Communitatis singulari pœnâ plectendi sunt *l. siquis 7. §. fin. ff.*

de

de Jurisd. l. ita vulneratus 51. ff. ad Leg. Aquil. l. vulgaris 21. § si duo 9. ff. de furt. Const. crim. Carol. V. art. 148. Ant. Matth. *de crimin. ad Libr. 48. tit. 18. n. 30.* Br un. *de Imper. mer. c. 1. §. 6. n. 28.* Gletle *Jurispr. terribil. p. 1. c. un. §. 3. n. 30.* P. Schmier *l. cit. n. 40.* Quandoque tamen inter ejusdem delicti reos, quis ultimi supplicii pœnâ afficiendus sit, sortitione determinatur, prout fieri assolet inter plures milites tumultuantes, aut ordinem, vel signa deserentes, ubi plures, vel pauciores, quos sors infausta tetigerit, rapiuntur ad furcam, vel aliud supplicium capitis Lauterbach *h. tit. ff. §. 16.* nam, ut Imperator *Novell. 30. c. 12. pr.* monet, *summa quædam humanitas est, cùm multi paucorum animadversione salvantur.* P. Schmier *l. cit. n. 41.*

23 Quæritur 5. quoties delinquens puniendus sit? R. toties, quoties iterat delictum. Ita Covar. *l. 2. var. c. 10. n. 8. ¶ quod verò*, Vallens. *hic §. 1. n 3.* Pirhing *n. 4.* König *n. 10.* Sumitur ex *c. ea, quæ 1. h. tit.* ubi dicitur: *Ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententiâ condemnentur.* Et ratio est, quia, quoties iteratur idem crimen, non in continenti, sed ex intervallo, est novum, & distinctum delictum; adeóque puniri iterum debet.

24 Dixi, *non in continenti, sed ex intervallo*, nam textus ille, & nostra assertio solùm intelligenda est, ut bene monet Covar. *l. cit.* cùm iteratur crimen momentaneum ex intervallo. Unde in criminibus successivis, ubi delictum iteratur contra eandem personam, ut fit in adulterio, fornicatione, concubinatu &c. nisi interruptio interveniat; aut crimen jam semel deductum ad judicem, & ab hoc punitum sit, in ordine ad pœnam censetur esse unum peccatum, & cons. unâ pœnâ, licèt graviori, est puniendum. Gloss. *in l. vulgaris V fuerit ff. de Furt.* cujus opinio, teste König *l. cit.* omnium calculis communiter recipitur, sive deinde pœna sit capitalis, sive alia iterabilis.

25 Addidi, *idem crimen*; nam si aut per unum actum, aut in uno continuo actuum diversa committantur crimina, ut siquis rem suam alteri furripiat, & eadem occasione percutiat, injuriam inferat, vulneret, aut occîdat proximum, DEUM blasphemet &c. pœnâ non tantùm furti, sed etiam injuriarum, homicidii, & blasphemiæ tenebitur *l. nunquam 2. ff. de privat. delict. l. illud 32. §. si idem 1. ff. ad Leg. Aquil.*

26 Quæritur 6. quid Judici in infligenda pœna sit attendendum? R. maximè considerabit circumstantias: & 1. quidem qualitatem Delicti; nam aliter punitur vis publica, aliter vis privata *l. de vi privata 1. ff. ad Leg. Jul. de vi privat.* & *tot. tit. ff. ad Leg. Jul. de vi privat.* item aliter animadvertitur in reum furti manifesti, aliter in eum, qui reus est furti non manifesti §. *pœna 5. inst. de oblig. quæ ex delict.*

2. Tempus, locum, & eventum; nam tempus delicti commissi facit, ut aliter puniendus sit fur nocturnus, quàm fur diurnus *l. itvque 4. §. lex 1. ff. ad Leg. Aquil.* locus facit, ut idem furtum, vel Sacrilegium aliquando sit puniendum capite, aliquando minore supplicio *can. quisquis 21. §. Sacrilegium caus. 17. q. 4.* Eventus facit, ut aliter puniatur crimen factum, aliter crimen solùm intentum; intentio enim criminis, etiamsi in actum propinquum exierit, non habetur pro facto, nisi in quibusdam valde enormibus.

3. Qualitatem personæ delinquentis; nam ut Decius *in c. 1. de leg.* Bald. *in l. un. C. de Rapt. Virg.* Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 4.* König *hic n. 12.* advertunt, deferendum est Dignitati, aut nobilitati ejus, qui deliquit: & ratio est, quia aliquando eadem pœna respectu Nobilis major, respectu ignobilis minor est, & viciſſim. Hinc pœnâ pecuniariâ graviùs puniendus est Nobilis, aut in Dignitate constitutus, quàm plebejus; è contrario pœnâ corporali idem Nobilis est coërcendus mitiùs *l. aut facta 16. §. persona 4. ff. h. tit. l. sacrilegii 6. ff. ad Leg. Jul. peculat.* quia à Nobili, cùm ditiores hi sint plerumque, pecuniaria pœna minùs sentitur, magis verò corporalis. igitur hæc moderanda, illa verò est aggravanda supra id, quod aliàs in plebejos decerni solet. 27

4. Quantitatem damni illati, & deliberationem, quâ delictum commissum est; nam ob defectum deliberationis, aut perfectæ deliberationis sæpe evitatur omnino pœna, cùm maleficia tum solùm puniantur, cùm ex corde committuntur *can. illi 6. caus. 15. q. 1.* Gloss. *in c. 1. de Convers. Conjug.* sæpe pœna, quæ aliàs gravior secundùm Leges imponi deberet, diminuitur, prout dicetur *infrà n. 41.* Ob quantitatem autem diversam, qui ovem furripit, fur tantummodo; qui gregem, Abigeus dicitur, & diversâ pœnâ, quàm fur, afficitur *l. aut facta 1. de abigeis 1. & l. fin. ff. de abig.* 28

5. Qualitatem certitudinis quâ delinquentem pœnæ obnoxium esse constat; nam si in Jure, vel in facto occurrat dubium, an crimen commissum, vel qua pœnâ puniendum sit, Judex regulariter semper in partem mitiorem inclinare debet, nisi concurrentes circumstantiæ aliud suadeant *l. perspiciendum 11. l. interpretatione 42. ff. h. tit.* Ex quibus ducitur Regula generalis, quòd in Legibus pœnalibus ea interpretatio sit adhibenda, ex qua 29

po-

pœnæ potiùs mitigentur, quàm exasperentur. Hinc si de Jure Canonico pœna Depositionis statuatur cuidam crimini, id non de Degradatione, sed de simplici tantùm Depositione accipiendum est. Item quando in Jure Civili pœna capitalis decernitur, hoc aliquando non de vitæ naturalis amissione, sed Civilis tantùm, i. e. deportationis, vel exilii intelligi debet, teste Harppr. *tit. de injur.* §. *1. n. 161.* Begnudell. *V. pœna n. 5.* Engl *hic n. 18.* Reiffenstuel *ibid. n. 13.*

30 6. Denique suam ipse personam spectare Judex in pœna inferenda debet; nam aliæ pœnæ decernuntur à Judice Laico, aliæ ab Ecclesiastico, qui nunquam irrogare pœnam sanguinis reo potest *c. clericis 5.* & *c. sententiam 9. ne Cler. vel Monach.* Et hinc quando ipsi vel ex delegatione Principis, vel alio jure competit cognitio criminis, quod pœnam sanguinis petat, eam remittere debet vel ad ipsum Principem, vel alicui Judici Laico illam demandare *c. in Archiepiscopatu 4. de Raptor.*

31 Quæritur 7. an Judex teneatur imponere Pœnam Ordinariam, quæ Jure statuta est, vel utrum illius loco possit substituere aliam, & decernere extraordinariam, vel omnino ipsam remittere? *certum est*; pœnam ordinariâ minorem imponi Delicto posse à Principe supremo, cujus Lege pœna ordinaria sancita est; hic enim cùm Lege sua superior sit, eámque à propria voluntate pendentem habeat, relaxare eandem potest; conf. illam Pœnam, quam Legibus suis delicto sanxit, vel omnino remittere, vel eidem substituere arbitrariam, ut communiter docent DD. *in l. nulla 25. ff. de LL.* Idem dic de inferiore Judice, qui jus aggratiandi, vel remittendi pœnas ex privilegio, vel consuetudine habet, prout hodierno tempore habent Principes, & Status Imperii; cùm enim vi Superioritatis territorialis Leges communes immutare possint, possunt etiam reis veniam pœnæ concedere, vel eam in minorem convertere. Carozov. *pract. crim. q. 150. n. 19. & seqq.* Engl *hic n. 3.* Reiffenstuel *ibid. n. 8.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 66.*

32 Dub. 1. est, utrum Supremus Princeps, aut Status Imperii jus aggratiandi possint exercere in Delictis etiam illis, quibus in Lege Divina Veteris Testamenti pœna capitalis præfixa est, quale est Homicidium, quod *Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. Exod. 21. v. 12.* morte puniri jubetur? Negant Petr. Heig. *p. 2. q. 24. n. 42.* Carpzov. *pract. crim. q. 150. n. 31. & seqq.* Reinking *l. 1. class. 5. c. 6. n. 206.* Vitriar. *Inst. jur. Publ. l. 3. tit. 17. n. 114. & seqq.* Pfeffinger *ibid. ad n. 112. lit. A.* & plerique JCti Acatholici. Rationem dant, quia Princeps inferior (qualis respectu Legis Divinæ est quicunque Legislator, & Judex humanus) non potest abolere Legem superioris, prohibentis v. g. misericordiam cum homicidis, & sanguinem pro sanguine reposcentis. *Conf.* quia aliàs posset Princeps etiam absolvere nocentem, quod est absurdum.

33 Sed tenenda est sententia affirmativa, quam post *S. Thom. Major. Felin. Alphonf. de Castro* etiam tenet Covar. *l. 1. var. c. ult. n. 8.* perperam à *Carpzovio* in contrarium allegatus, & plures alii, quos sequitur Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 73.* Ratio est, quia pœnæ criminum, à DEO in veteri Lege constitutæ, non pertinebant ad Leges morales, seu naturales; quantumvis enim Lex naturæ jubeat, ut sontes puniantur, genus tamen, quantitatem, & qualitatem pœnæ non determinat: sed pertinebant solùm ad Leges positivas, & Judiciales, pro commodo, & statu Reip. Judaicæ sancitas. atqui Leges Judiciales veteris Testamenti amiserunt vim suam in novo Testamento *c. un. de Purif. post part.* igitur quando Princeps pœnam mortis Homicidæ condonat, nihil agit adversùs Legem Divinam, sed in Lege tantùm humana dispensat.

34 Potest igitur Princeps etiam in Delictis, quibus Lex Divina antiqui Testamenti pœnas certas sancivit, & in quibuscunque aliis sui fori jure aggratiandi uti, non tamen pro libitu, sed cum ratione, & discretione, ut cùm Svveder. *Introduct. ad Jus Publ. part. spec. sect. 2. c. 14. n. 957.* advertit Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 79.* Hinc ut rectè utatur Princeps hoc Jure, notare tria hæc debet. 1. In condonandis suppliciis non debet esse nimiùm facilis, & frequens, ne crimina faciliora, & frequentiora, reddat. 2. rariùs ex integro debet pœnam remittere, quàm in aliam, & mitiorem commutare; quia obligatio puniendi resultat ex Jure naturali, quamvis modus puniendi dependeat ex norma Legis humanæ. Et hinc 3. nunquam relaxabit pœnam à Lege statutam, aut eam in arbitrariam commutabit sine causa, quamvis ad commutationem hujusmodi sufficiat levior, quàm ad relaxationem omnimodam faciendam; imò ut valida sit dispensatio, sufficit arbitrium illius & voluntas, etsi nullam habeat dispensandi causam: in quo tamen cavendum est, ne vel Jus publicum, vel alicujus privatum sic indulgendo lædat. Ut verò licitè dispenset. 4. pro Regula, ad cujus amussim gratiæ quantitatem, & qualitatem examinare poterit, considerabit causas, ex quibus Magistratus inferior pœnam temperare potest; nam ex iisdem causis poterit Princeps

ceps Jure aggratiandi uti P. Schmier *l. cit. n. 80. & 81.*

85 Ad Argumentum contrarium *n. 29.* allatum patet ex dictis *n. 30.* Deinde retorqueri potest in ipsos Adversarios; nam ipsi concedunt Jus aggratiandi supremo Principi saltem in Delictis, quibus pœna statuta est per Jus positivum humanum, atqui si argumentum allatum probaret aliquid, non posset eo Jure uti Princeps; cùm enim Lex naturalis, & Divina sine distinctione præcipiat *Deut. 21. maleficum non patieris vivere*, & *Rom. 13.* dicatur de Judice, *Non sine causa gladium portat, vindex in iram illi, qui malè agit*, sequeretur, quòd Princeps relaxando pœnam etiam pro his delictis, solveret Jus Divinum, & Naturale. *Ad Conf.* aliud est absolvere à pœna delicto debita, aliud absolvere à delicto, & declarare innocentem, qui revera nocens est: hoc posterius absurdum est, non verò prius, cùm à suprema Principis potestate dimanet.

86 Dub. 2. an etiam Judex inferior, cui Jus aggratiandi non competit, pro Ordinaria pœna infligere arbitrariam possit? *Rationem dubitandi* facit 1. authoritas S. Augustini *Epist. 158.* ubi, *foleo*, inquit, *audire, in potestate esse Judicis mollire sententiam, & mitiùs vindicare, quàm Leges jubent.* 2. praxis; videmus enim, quòd aliquando Judices etiam inferiores pœnam minuant, aliquando verò augeant ultra taxam Legis, ergo signum est, quòd non teneantur servare Leges in hac parte. 3. ratio; si enim Judex inferior pro Ordinaria non potest substituere pœnam mitiorem, inutilis, & vana, imò illicita foret interpellatio, quâ apud Judicem sæpe insistitur pro reo ad pœnæ remissionem, vel ad ejus mitigationem.

87 Sed his non obstantibus, dicendum à Judice inferiore, per se loquendo, reis legitimè convictis de crimine, infligendam pœnam Ordinariam. Ita S. Thom. *2, 2, q. 67. art. 84.* Suar. *l. 5. de LL. c. 11. n. 2.* Palao *tr. 3. D. 2. p. 5. n. 2.* Vallens. *hic §. 1. n. 8.* Zœs. *n. 15.* Pirh. *n. 3.* Engl *n. 3.* König *n. 13.* Wiestner *n. 11.* Reiffenstuel *n. 7.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 23.* & constat ex *l. accusatorum 1. §. quorum 4. ff. ad S. C. Turpill.* ubi Marcianus, *Facti quidem*, inquit, *quæstio in arbitrio judicantis est, sed pœnæ persecutio Legis authoritati reservatur*, adeò ut, si Judex inferior *crimen apud se probatum distulerit, seu omiserit, vel impunitate donaverit, aut molliorem, quàm præstituta sit, pœnam protulerit, gravi infamiâ sit notandus*, quemadmodum dicitur *l. Servos 8. § fin. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. vel privat.*

88 *Ratio est 1.* quia inferior potestas immutare, & corrigere nequit Legem superioris *l. cùm inferior 16. de major.* & Judici non licet judicare de Legibus, sed secundùm illas *can. in istis 3. dist. 4. c. canonum 1. de Constit.* Leges enim pœnam jam commensurârunt delictis. 2. si Judex infligeret pœnam aliam, tunc vel illa esset major, quàm Leges statuant, vel minor illâ. si major est, injuriam facit reo, plus ab ipso exigendo, quàm ille per Leges debeat. si minor, tunc vel est pœna pecuniaria applicanda parti læsæ, & cons. diminutio pœnæ fieret in præjudicium partis læsæ; vel est mera vindicta, & tunc etsi injustitia adversùs personam singularem committatur nulla, committitur tamen adversùs Remp. contra cujus commune bonum est delicta manere impunita, vel minùs punita, quàm oporteret. 3. Leges, quibus decernuntur pœnæ, non feruntur tantùm, ut instruant Judicem, verùm etiam ut obligent ad imponendam pœnam, cujus signum est, quia conceptæ sunt verbis imperativis, & ratio etiam probat, quia aliàs efficaciam, à Legislatore intentam, non haberent; nam reus ante sententiam non tenetur ad pœnam, Judex autem observare illam non obligaretur, igitur nemo esset, qui Lege illa stringeretur.

89 Dixi autem, *per se loquendo*; nam si per accidens circumstantiæ tales concurrant, ut Judicis arbitrio ad aliorum terrorem infligenda sit pœna major ordinariâ, potest illam eo casu Judex infligere, & pœnam augere. Tales circumstantiæ aggravantes præ cæteris sunt 1. *locus* delicti, ut si quis in templo, theatro, foro, vel conspectu Superioris deliquit; nam hic gravius puniri meretur quàm ille, qui scelus in loco privato, & clàm commisit *l. aut facta 16. §. locus 4. ff. h. tit.* 2. *tempus*, delicti; nam delicta noctu patrata, quia difficiliùs caventur, plúsque terroris habent, atque periculi, severiùs puniuntur *l. aut facta cit. §. tempus 5.* 3. *persona*, contra quam delinquitur; nam atrocius crimen est, quod contra dominum, patronum, parentem, Sacerdotem, aut Principem attentatum est, cons. atrociori pœnâ dignum *l. cit. §. persona 3.* 4. *iteratio*, & frequentatio delicti *l. capitalium 28. §. solent 3. & §. grassatores 10. ff. h. tit.* nam relapsus in idem scelus frequentior incorrigibilitatem arguit. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 60.* qui *n. 61.* cum Anton. Matth. *ad Libr. 48. tit. 18. c. 4. n. 28.* addit, non hoc ipso pro incorrigibili habendum illum, qui tertiâ vice deliquit; nam neque Medicus illico pro abjecto, & desperato habet eum, cui tertia potio, vel medicamentum non profuit. Hinc Judex non numerum duntaxat Delictorum, sed qualitatem Delicti admissi, & animum, ætatem, consuetudinem Rei explorare debebit,

bebit, ut omnibus collatis judicare possit, quid spei reliquum sit.

40 Similiter potest Judex inferior aliquando pœnam Lege constitutam minuere, si circumstantiæ crimen minuant, aut diminutionem pœnæ suadeant. Tales circumstantiæ sunt 1. si Delictum non ex proposito, sed ex ira, subitanea rixa, ebrietate, justo dolore &c. commissum est *l. perspiciendum 11. §. delinquitur 2. ff. h. tit.* 2. quando aliquis deliquit ex instinctu, & jussu alterius magis, quam motu proprio. P. Schmier *l. cit. n. 44.* 3. infirmitas animi, quæ colligitur vel ex sexu, si fœmina, vel ex ætate, si impubes, aut minorennis deliquit. Begnudell. *V. pœna n. 17.* Engl *hic n. 4.* Schmier *n. 45.* 4. Infirmitas corporis: ob hanc mutare pœnam potest Judex, si pœna criminis sit amputatio membri, reus verò sit adeò infirmus, ut amputato membro credatur omnino decessurus: idem dic, si manus ex Lege sit præcidenda, & reus sit unanimus, si oculus eruendus, & reus sit monoculus. Ant. Matth. *c. 4. cit. n. 21.* Schmier *n. 46. & 47.* 5. Spontanea Rei confessio: ob quam mitigare Judex supplicium juxta Carpzov. *pract. crim. q. 149. n. 23. & seqq.* & apud istum *citt.* potest, sive delinquens confessus sit sponte, ultro se Judici sistendo, sive citatus à Judice ex metu probationum; quamvis contrarium teneant Ant. Matth. *tit. 18. cit. c. 5. n. 3.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 550.* Quidquid sit, illud, apud omnes receptum est, quòd in Proditionis, & Majestatis crimine is, qui proditionem excitatam, vel excitandam deregit, non tantùm mitigationem, sed plenissimam pœnæ condonationem mereatur, etsi ejusdem criminis complex fuerit *l. quisquis 5. §. fin. C. ad Leg. Jul. Majest.* 6. Diuturnitas temporis *l. si diutino 25. pr. ff. h. tit.* quòd tum saltem verum est, quando delinquens se penitus emendavit, & ab omni alio delicto abstinuit. Farin. *prax. crim. q. 10. n. 84. & seqq.* Carpzov. *q. 141. à n. 70.* Begnudell. *V. pœna n. 6. & 17.* Schmier *n. 52. & 53.* 7. Prolongatio Carceris; qui enim carceris pudorem, & molestias diu sustinuerunt, partem commeriti supplicii jam sustinuisse censentur *l. omnes 23. C. h. tit.* quod tamen intelligendum duntaxat, quando reus præter culpam suam, & ex sola Judicis mora in carcere diuturniore detentus fuit; nam si ipsemet tergiversatione propria, & malitiosâ Processûs inquisitorii, ac defensionis protractione carceris angustias sibi protraxit, habet, quod sibi imputet, nec pertinaciâ suâ tueri se poterit.

41 Causæ plures panduntur ab aliis, ob quas pœna, & supplicium etiam ab inferiore Judice mitigari potest, veluti est nobilitas sanguinis, honestas vitæ anteactæ, meritorum in Rempublicam decus, & gloria liberorum copia &c. de quibus consuli possunt Ant. Matth. *c. 5. cit. n. 5. & seqq.* Carpzovius *q. 142. & seqq. usque ad 149. inclusivè*: adeò ut in communem hodie Regulam transiisse videatur, quòd pœnæ criminum nostro tempore arbitrariæ sint. Guazzin. *defens. reor. 33. c. 16. n. 2.* Vallens. *hic* §. *4. n. 3.* Engl *n. 5.* Reiffenstuel *n. 12.* Quod intelligendum juxta explicationem hactenus datam, si scilicet concurrat circumstantia aliqua aggravans, vel diminuens delictum, ut bene advertit Reiffenstuel *l. cit.* Et hoc maximè verum est in Jure Canonico, præsertim circa Censuras Ecclesiasticas, circa quas Trid. *sess. 25. c. 3. de Reform.* mandavit, ne Judices Ecclesiastici faciles sint in illis ferendis, nisi omni alio modo destituantur, cùm experientia doceat, Censuras Ecclesiasticas, levibus de causis latas, contemni potiùs, quàm observari. Engl *hic n. 5. & 6.*

42 Præcipuè in mitigandis, vel aggravandis pœnis, considerare Judex consuetudinem delinquendi debet; nam si adverterit, quòd reus malam contraxerit consuetudinem, adeò ut exiguam, vel nullam spem emendationis ostendat, non nimis clemens esse debet juxta illud *Exod. 22. v. 18. Maleficos non patieris vivere* & illud *Isaiæ 26. v. 10. Misereamur impio, & non discet Justitiam*; quia periculum erit, ne paulatim Civitas, vel Provincia malis hominibus repleatur, & tales Rei, per nimiam lenitatem Judicis liberati, perpetrent graviora crimina, quæ ipsi Judici tali casu non minima ex parte imputari poterunt. Quare insculptum cordi suo Judex habebit monitum Marciani *l. perspiciendum 11. pr. ff. h. tit.* ubi, *Perspiciendum*, inquit, *est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit; nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria effectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est.*

43 Neque contrarium probant Argumenta *n. 36.* allata. *Ad 1.* textus ille *S. Aug.* intelligendus est in sensu hactenus explicato, scilicet in potestate Judicis esse mollire sententiam, & mitiùs vindicare, cùm circumstantiæ istud suadent. *Ad 2.* Judices sæpe augent, vel minuunt pœnas ultra taxam Legis in particulari, non tamen ultra taxam Legis absolutè; Lex enim specialis imponit pœnam delicto, ut frequenter committi solet: at si specialem gravitatem, & deformitatem habeat, ob illam pœna augeri potest; quia id aliis Legibus præscriptum est, prout sumitur ex *l. quid ergo 13. §. pœna 8. ff. de bis, qui not. infam.* Contrà verò, si delictum non attingat gravitatem communiter contingentem,

tem, prout sit in casibus *n. 40.* relatis, poterit pœna temperari. *Ad 3.* bene interpellatur Judex pro mitigando, vel remittendo etiam delinquenti supplicio, in iis circumstantiis, in quibus hoc in ejus est potestate, non verò in iis, in quibus illud in ejus potestate situm non est.

44 Quæritur 8. an debeatur à reo pœna in conscientia ante sententiam? R. Distinguendum inter pœnas ferendæ sententiæ, & inter eas, quæ ipso facto incurruntur. *De primis* certum est, non deberi illas ante sententiam; quia tunc Lex ponit potiùs pœnam designandam à Judice, quàm designatam. igitur antequam designetur, ad eam reus non obligatur. Et procedit hoc in omni pœna Legali, quæ est ferendæ sententiæ.

45 Idem dicunt aliqui etiam de *Pœnâ Conventionali*, nisi pars altera petat; quia si non petit, videtur condonare. Pendet tamen res hæc ex partium conventione: unde videndum, quâ mente convenerint partes in pœnam Contractui appositam. Quando de mente contrahentium non satis constat, diffident inter se DD. nam *Felinus*, *Decius*, *Paludanus &c.* volunt, eam deberi in conscientia, etiam parte non petente, ante omnem sententiam Judicis. *Covar. Menoch. Molin. Gutier. Suar. Bonacin. &c.* contendunt, eam tum solùm deberi ante sententiam, quando petitur. Palao autem *tr. 3. D. 2. p. 3. n. 4.* cum *Navarro*, *Beja*, *Less. Sanch. Vasq. &c.* probabiliùs putat, non deberi hanc pœnam, quousque à Judice declaretur. *Rationem* dat, quia mens contrahentium, nisi aliud verbis exprimatur, videtur esse, ut solùm obligare ad pœnam se velint, condemnatione ad istam per Judicem facta. Quod *confirmat*, quia in dubio contrahentes intelligi debent appositse pœnam juxta Regulam pœnarum Juris communis, quæ non obligant ante latam sententiam saltem declaratoriam. Quare

46 *Dubium* præcipuè, & 1. est, an pœnæ ipso Jure latæ subeundæ sint ante omnem Judicis sententiam? In quo iterum inter DD. convenit 1. ita contrahi Censuras: & hinc, qui delictum commisit, cui ipso Jure inflicta est pœna Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti, statim à communione fidelium, administratione Beneficii, vel Officii, & Divinorum participatione abstinere tenetur, ut colligitur ex *can. piquis suadente 29. caus. 17. q. 4.* & *tot. tit. de sent. Excomm.* & *de Homicid.* Sot. *l. 1. de just. q. 6. art. 6. concl. 2.* Salas *de Legib. D. 15 sect. 2. n. 29.* ℣. *inhabilitas.* Sanch *l. 9. de matr. D. 30. n. 1. & 2.* Suar. *de LL. l. 5. c. 5. n. 5.* Wiestner *hic n. 13.*

Convenit inter eosdem 2. ante omnem sententiam observandas esse varias Irregularitates, & inhabilitates ad suscipiendos, vel exercendos SS. Ordines, ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica, ad Suffragium in Electione ferendum, ad contrahendum Matrimonium &c. Suar. *l. 5. cit. c. 9. à n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 15. n. 5.* Wiestner *hic n. 14.* Ratio hujus, & prioris *Numeri* est, quia ita est usu receptum, & quia conveniens erat, ut Ecclesia, quæ Spiritualem subditorum profectum spectat, aliquas haberet pœnas, quibus à committendis delictis, quantumcunque occultis, arceret. 47

Convenit 3. inter plerosque, potuisse Legislatores obligare ad subeundas etiam alias, & propriè dictas pœnas tam positivas, quàm privativas, si moderatæ sint, ante omnem Sententiam; quia ejusmodi pœnæ, nisi mortis, mutilationis, exilii, vel alia similis foret, executio à Reo faciendæ rationabiliter potuisset sperari. Castro *de Leg. Pœnal. l. 1. tr. 4. c. 15.* Wiestner *n. 14.* ℣. *convenit inter plerosque* contra Sot. *l. 1. de Just. q. 6. art. 6.* & Cajet. *2, 2. q. 6. n. 3.* quorum prior generaliter, posterior quoad pœnas positivas dissentit. 48

Difficultas est, an hujusmodi pœnæ non adeò graves defacto ita latæ sint, ut subiri debeant ante omnem Sententiam? R. distinguendo; nam si pœna sit *positiva*, defacto non constat, quòd ulla ex illis in Jure Canonico, vel Civili sic lata sit, ut ad eam, sic exequendam in se, reus ante omnem Sententiam Judicis obligetur. Salas *de LL. D. 15. sect. 3. n. 49.* Suar. *de LL. l. 5. c. 7. n. 6.* Palao *tr. 3. D. 2. p. 2. n. 6.* Wiestner *hic n. 15.* 49

At si *Privativa* sit, videndum, an privet jure primùm quærendo, an verò jam plenè quæsito. *Si privet jure primùm quærendo*, aut *nondum plenè quæsito*, pœna hujusmodi Jure lata delinquentem ante omnem Judicis sententiam afficit. Et hinc ante omnem Judicis sententiam dimittere tenetur Beneficium Parochiale, qui intra annum suâ culpâ non ordinatur Sacerdos *c. licèt 14. de Elect. in 6.* & Episcopus Episcopatum, si intra sex menses à die Confirmationis obtentæ non consecretur. Trid. *Sess. 23. c. 2. de Reform.* Similiter pro ratione temporis dimittere tenetur fructus Beneficii sui, qui Horas Canonicas recitare negligit, ex *Motu proprio S. Pij V.* incipit *Ex proximo 12. Calend. Oct. 1571.* Navar. *Man. c. 25. n. 122.* Palao *p. 2. cit. n. 7.* 50

Si verò pœna sit privativa Juris jam plenè quæsiti, præter Censuras, Irregularitates, & privationem Juris petendi debitum in conjuge incestuoso, nulla alia regulariter hodie ante Sententiam omnem Judicis 51

ita

ita afficit delinquentem, ut iſte jus iſtud ſuum teneatur dimittere. Covar. *p. 2. de Sponſal. c. 6. §. 8. n. 8. & 10.* Caſtro *l. 2. de juſt. Hæret. punit. c. 9.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 29. à n. 63.* Salas *de LL. D. 15. a n. 46.* Vaſq. *de LL. D. 178. c. 4. n. 25.* Sanch. *l. 2. de Matr. D. 53. an. 5. & l. 7. D. 89. n. 11.* Palao *p. 2. cit. n. 8.* Wieſtner *hic n. 18.* & hoc teſte communis aliorum. *Ratio eſt*, quia in pœnis benignior interpretatio eſt facienda. *Reg. in pœnis 49. in 6. Conf.* quia ita obtinuit uſus, & conſuetudo, ut ad hujusmodi pœnarum, & privationis plenarium effectum ſententia, ſaltem criminis declaratoria requiratur *arg. c. cùm ſecundùm 19. de Hæret. in 6.* ex cujus diſpoſitione Hæreticorum bona, quibus à die commiſſi criminis ipſo Jure privantur, ante talem ſententiam fiſco tradi non debent, neque ab iſto poſſunt occupari.

52 Et hinc usque ad Sententiam declaratoriam criminis retinere poſſeſſionem Beneficii ſui poteſt Canonicus, qui occidit Prælatum, vel alium Clericum ſuæ Eccleſiæ, etſi iſto ipſo Jure privatus ſit *c. in quibusdam 12. v. Sacri h. tit.* Item Clericus alius, qui Beneficiis ſuis privatus ipſo Jure eſt ob percuſſionem Clerici *c. felicis 5. eod. in 6.* & veriſimiliùs etiam Clericus, qui propter commiſſum Aſſaſſinium Beneficium, vel Officium *c. pro humani 1. de Homicid. in 6.* & Prælatus, qui ob mælè factam rerum Eccleſiaſticarum alienationem *Extrav. un. int. comm. de reb. Eccl. non alien.* vel aliud Delictum commiſſum Prælaturæ ſuæ Dignitatem ipſo Jure amiſerunt. Suar. *de Simon. c. 43. n. 13. fin.* Barboſ. *in c. cùm ſecundùm cit. n. 8.* Wieſtner *hic n. 18. & 19.* cum aliis.

53 *Neque obſtat*, quòd *c. pro humani cit.* Clericus Aſſaſſinus Beneficium ſuum, & *Extrav. cit.* Prælatus Dignitatem amittere dicatur absque alia declaratione, & ita, ut liberè aliis poſſit conferri; nam in primo textu additur, *Poſtquam* de crimine *probabilibus conſtiterit argumentis*, quo innuitur, opus ad hoc eſſe notitiâ publicâ; & poſterior textus in tanto rigore non eſt uſu receptus, ut obſervant Navar. *Man. c. 27. n. 15.* Suar. *l. 5. de LL. c. 8. n. 14. & 15.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 53. à n. 5.* Salas *D. 15. de Legib. à n. 46.* Wieſtner *hic n. 19. fin.*

54 Dub. 2. utrum caſu, quo Lex ipſo Jure imponit Publicationem bonorum, reus ante Sententiam declaratoriam ſtatim amittat bonorum illorum dominium? Negant aliqui, amitti etiam per Legem, quæ ipſo Jure ſine facto hominis publicationem bonorum decernit ob crimen commiſſum. *Moventur* textu *l. quæſitum 15. pr. ff. qui, & à quib. manumiſſ. liber. non fiunt &c.* ibi, *Quoniam ante damnationem dominus eſt*, in caſu ſcilicet læſæ Majeſtatis, ob quam induci publicationem bonorum ipſo Jure extra dubium eſt. *Conf.* nam verba *ipſo jure, ipſo facto* habent conditionem ſibi adjectam, ſi videlicet ſequatur Sententia declaratoria.

Sed his non obſtantibus, videtur ad- 55
hærendum ſententiæ affirmativæ, ſcilicet dominium hoc ipſo amitti. Ita Suar. *l. 5. de LL. c. 8.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 29. n. 64.* Sayr. *Clav. Reg. l. 3. c. 9. n. 30.* Azor *p. 1. l. 5. c. 7. q. 2. & l. 8. c. 12. q. 2.* & plures alii apud Sanch. *l. 2. mor. c. 22. n. 2.* quamvis ipſe contrarium ſentiat. Eandem ſententiam etiam tenet Zœſ. *hic n. 21.* & hoc teſte communior DD. *Ratio* eſt, quia verba *ipſo Jure* non ſunt fruſtranea. eſſent autem, ſi, ut operarentur aliquid, opus eſſet ſententiâ. cùm igitur, ut operentur effectum, non ſit neceſſaria ſententia condemnatoria, dicendum eſt ipſo Jure induci privationem dominii. *Conf.* ſententia declaratoria non inducit pœnam, ſed declarat jam incurſam. igitur extenditur, & retrotrahitur usque ad diem commiſſi delicti, cui jure, & facto ipſo alligata eſt ea pœna, quaſi jam tum lata fuiſſet Sententia condemnatoria. hoc autem non fieret, ſi primùm per Sententiam declaratoriam induceretur bonorum privatio. ergo &c.

Ad Argumentum in contrarium allatum 56
dico, verba illa *Dominus eſt*, intelligi debere de poſſeſſione, & uſu rerum, quem rectè obtinet reus usque ad ſententiam declaratoriam: cæterùm dominium amitti ſat clarè patet ex *l. fin. ff. ad Leg. Jul. Majeſt.* quæ poſt mortem Rei, niſi crimen purgetur à ſucceſſoribus, & hæredibus, permittit hæreditatem fiſco vindicari. *Ad Conf.* malè intelligitur illa conditio adjecta; nam *c. cùm ſecundùm 19. de Hæret. in 6.* in ſimilibus caſibus dicitur dominium ipſo Jure amitti, & tantùm additur, occupationem bonorum differendam ad Sententiam declaratoriam.

Idem, quod modò dictum eſt de 57
confiſcatione bonorum, pariter dicendum, cùm delicto Jure ipſo impoſita eſt pœna privationis Beneficii jam obtenti: nam ut hoc dimittere teneatur Clericus, opus eſt Sententiâ Judicis declaratoriâ; ante hanc autem licitè Beneficium adhuc retinere poteſt, quamvis ſecutâ poſtea Sententiâ declaratoriâ, reſtituere teneatur fructus, poſt crimen admiſſum perceptos.

Diſcrimen ergo inter privationem 58
per ſententiam condemnatoriam, & inter eam, quæ fit ipſo Jure, eſt, quòd licèt utrimque retineatur poſſeſſio usque ad ſententiam, in primo tamen caſu retineatus poſt crimen commiſſum etiam dominium, & proprietas rei, quâ delinquens propter crimen privandus venit, in ſecundo autem ſtatim à tempore commiſſi delicti illam amittat.

59 Imò, ut Vallens. *hic* §. *3. n. 1.* advertit, si quis per sententiam privatus Beneficio, à Sententia privationis appellavit, durante Appellationis Judicio, nondum censeri debet privatus Beneficio: ac proinde, si interim resignet Beneficium, valida erit Resignatio, licèt illud jam antè ob privationem fuerit obtentum ab alio: & hoc pro indubitato practicari in Curia Romana ex *Piasecio* testatur Vallens. *l. cit.*

60 Dub. 3. quid operentur verba *absque alia declaratione*, vel *nulla monitione prævia*, addi non raro solita in Legibus, quæ Jure, & facto ipso privant rebus antè possessis? Aliqui cum *Covarruvia* putant, adhuc opus esse sententiâ declaratoriâ criminis. Melius tamen negatur cum Zœsio *hic n. 22.* sed ubi verba hæc in Lege, pœnam dictante, sunt addita, nisi aliter consuetudo receperit, continuò, commisso crimine, pœna dari executioni potest: & ratio est, quia verba *absque alia declaratione*, debent aliquid operari, ne frustra dicantur posita, & quidem aliquid ultra verba *ipso jure, ipso facto.* atqui verba *ipso jure* jam operantur hoc, ut prout dictum est *n. 55.* tollant reo dominium rerum suarum, & occupationem solùm differant ad sententiam declaratoriam, igitur verba illa adjecta dici debent etiam hanc tollere, & permittere executionem, nulla præmissa declaratione.

61 Adverto tamen cum eodem Zœs. *n. 23.* etiam hoc casu reum bona sua non teneri ante sententiam deferre ad fiscum, sed uti iisdem posse, donec declaratio sequatur: & ita habet communis praxis, teste Zœs. *l. cit.* & ratio est, quia rationi non videtur consentaneum esse, ut reus gravissimæ suæ pœnæ, qualis est confiscatio bonorum, ipse sit executor. Verùm etsi usum rerum illarum obtineat, antequam occupentur, occultare tamen Justitiæ Ministris bona illa non potest; quia jam aliena sunt. Quodsi tamen negligentiâ fisci absque suo facto aliqua non fuerint occupata, indicare non tenebitur; sic enim teneretur ad oblationem: sed satis erit, si permittat ea sibi auferri.

62 Idem dicendum casu, quo per sententiam addicta fisco sunt alicujus bona. *Excipitur*, si sententia justa solùm fuerit in foro externo, quòd Judex secundùm allegata, & probata processerit; tunc enim, si reus revera sit innocens, non obligatur in conscientia ad sententiam, sed subterfugere pœnam, clanculùm subtrahendo, potest: executioni tamen Judicis, si evitare illam sine violentia, & scandalosa resistentia nequeat, parere tenebitur: quia quando Judex secundùm allegata, & probata procedit, Judex utitur potestate sua, cui resistere subdito nunquam est licitum. Palao *tr. 3. D. 2. p. 4. n. 1.*

63 Dub. 4. quas pœnas teneatur exequi delinquens post latam sententiam? Et cum discrimine inter pœnas. Nam 1. si pœna sit supplicium capitis, mutilationis, aut verberationis gravis, nemo per Legem, aut sententiam condemnatoriam obligari potest ad eam sibi ipsi inferendam, e. g. ad abstinendum à cibo, ut fame, vel sumendum venenum, ut veneno moriatur, licèt aliàs mortem sit meritus. Suar. *l. 5. de LL. c. 7. fin.* & *c. 10. n. 12.* Vasq. *D. 173.* Bonac. *D. 1. q. 1. p. 7. §. 2. n. 29.* Palao *p. 4. cit. n. 2.* quia bono communi non expedit delinquenti obligationem istam imponere, ut ipse sui ipsius vindex sit, cùm satis sit, si delinquens, quando pœna talis ab alio imponitur, patienter illam sustineat.

64 2. Si pœna sit carcer diuturnus, vel exilium, tenetur reus ad eam condemnatus illam in seipso exequi, si ad illam executionem condemnetur sententiâ ultimâ, quam appellatione, vel alio remedio Juris infirmare non possit: unde non potest à carcere fugere, vel ab exilio exire; quia est justa sententia, & præcepto justo parendum est. S. Thom. *2. 2. q. 62. art. 2.* Tiraquell. *in l. si unquam C. de revoc. donat. V. revertatur n. 291.* Navarr. *Man. c. 23. n. 66.* Sayr. *Clav. Reg. l. 3. c. 9. n. 4.* Salas *D. 15. de LL. sect. 2. n. 32.* Azor *p. 1. l. 5. c. 8. q. 6.* Suar. *c. 10. cit. à n. 5.* Bonac. *n. 33.* Palao *n. 4.* & ab his *citt.* *Excipitur*, nisi carcer sit durus, & tristis; nam in hoc, ut cum *Suarez* existimat Palao *n. 5.* non tenetur reus persistere, præsertim si ibi malè tractetur. Et idem dicendum, si condemnetur ad exilium in terra insalubri, vel longo tempore ad triremes, aut ad quamlibet aliam actionem de se nimis molestam; quia nimis inhumanum videtur esse, ut obligetur reus esse minister pœnæ adeò molestæ contra se ipsum. Palao *l. cit.*

65 3. Si pœna sit pecuniaria, ex communi sententia obligatur reus illam solvere, postquam ad hoc per sententiam condemnatus est, vel si talis sit, ut ipso facto incurratur, postquam Judex tulit sententiam criminis declaratoriam, & quod ita pronuntiatum est, nec appellatione, nec alio Juris remedio suspendi, aut infirmari potest. Salas *n. 82.* & *106.* Suar. *c. 7. n. 7.* Bonac. *n. 30.* Palao *n. 6.* Requiritur tamen, ut petatur ab eo, cui est solvenda; quia ita habet praxis, & usus communis: hinc quando non petitur, retinere eam reus potest, & prudenter præsumere eam sibi condonari. Palao *l. cit.*

§. II.

§. II.

De Pœnis Ecclesiæ Spiritualibus, & in Specie, de Irregularitate.

SUMMARIUM.

66. *Definitio Irregularitatis.*
67. 68. *Hujus explicatio.*
69. *Differentia ab aliis pœnis Ecclesiasticis.*
71. *Quis indicere illam, & in quem cadere ipsa possit?*
72. &c. *Propter quam causam contrahatur?*
74. &c. *Si ex delicto, quale hoc esse debeat?*
77. &c. *An ob causam dubiam censendus sit aliquis Irregularis?*
89. *Qui sint Effectus Irregularitatis?*
90. &c. *Quomodo privet Ordine suscipiendo?*
92. &c. *Quomodo Beneficiorum consecutione?*
96. &c. *An privet etiam Beneficiis antè obtentis?*
100. &c. *An Pensionibus, fructibus Beneficii, Jurisdictione &c.*
103. *Quæ causa excuset ab Irregularitate?*
104. &c. *An excusetur, qui ignoravit, quòd delictum à se commissum Lege Ecclesiastica specialiter prohibitum sit?*
107. &c. *Aut qui scit ita prohibitum esse, ignorat autem Irregularitatem ei annexam?*
110. *An Irregularitas tollatur per Baptismum?*
111. 112. *An per Professionem, aut Vota Religiosa:*
113. *Quis relaxare Irregularitatem possit dispensando?*
114. 115. *An id possit etiam Episcopus?*
116. &c. *Sub quibus conditionibus?*
120. 121. *Quinam hic veniant nomine Episcopi?*
122. &c. *Quænam alia advertenda sint circa relaxationem Irregularitatis?*
70. *Varietas.*

66 QUæritur 1. quid sit *Irregularitas*? ℟. *Irregularitas*, sic dicta, quòd deviatio sit à *Regula*, à priscis Ecclesiæ PP. constituta pro iis, qui ad Sacra ministeria admittuntur, communiter definiri solet, quòd sit *impedimentum Canonicum*, *primò*, & *per se impediens Ordinis susceptionem*, & *secundariò illius usum*. Ita Sylv. *V. Irregularitas n. 1.* Navar. *Man. c. 27. n. 191.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 1.* Suar. *de Censur. D. 40. sect. 1. n. 1. & 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 1. n. 2.* Wiestner *hic n. 34.* la Croix *tom. 8. l. 7. c. 5. n. 429.*

Dicitur 1. *Impedimentum*: quod ponitur loco generis; quia quælibet Censura, & quilibet defectus naturalis, Ordines impediens, est impedimentum, quamvis non omne tale impedimentum sit Irregularitas.

67 Dicitur 2. *Canonicum*; quia non ab homine, sive per Judicis sententiam, sed à solo Jure infligitur *c. is, qui igitur 18. pr. de Sent. Excomm. in 6.* & quidem non à Jure aliquo particulari, v. g. Statuto Diœcesano, sed communi. Covar. *l. cit. n. 3.* Suar. *D. 40. cit. sect. 4. n. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 5.* Wiestner *n. 34.* ℣. *dico.* eóque, non Civili; quia istius conditores de SS. Ordinum susceptione, usúque, tanquam Spiritualibus disponendi non habent potestatem *c. decernimus 2. c. quando 3. de Judic. c. si Judex 12.* ibi, *Quia de re Ecclesiastica, & spirituali de Sent. Excomm. in 6.* sed Jure Ecclesiastico positivo inducta est. *Neque obstat*, quòd Jure etiam naturæ incapacem Ordinum faciat amentia, & defectus quorundam membrorum, Divino autem defectus Baptismi, & sexûs virilis; nam defectus isti potiùs incapacitates sunt, quàm Irregularitas, utpote quæ in sensu proprio accepta capacitatem in Irregulari supponit. Wiestner *n. 35. & 36.*

Dicitur 3. *directè impediens Ordini susceptionem*: quo differt à Censuris; quia Irregularitas propriè pœna non est. Laym. *c. 1. cit. n. 2.* Bonac. *D. 7. q. 1. p. 1.* La Croix *n. 429. cit.* & licèt aliquando imponatur per modum pœnæ in vindicationem delicti; non tamen est pœna medicinalis, quæ recedente contumacia, tolli debet, sed est pœna de se perpetua: Præterea ipsa non tam in pœnam delicti imponitur, quàm ob honorem Ecclesiastici Statûs, in quem dedecet assumi illum, qui tale delictum commisit. Laym. *l. cit.* Palao *n. 2.* Wiestner *n. 37.* 68

Dub. 1. quomodo Irregularitas differat ab Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, Depositione, Degradatione? ℟. 1. ab *Excommunicatione* differt; quia ipsa directè impedit susceptionem Ordinis, quatenus talis est, cùm Excommunicatio major illius susceptionem tantùm impediat, quatenus est quædam cum fidelibus communicatio, & Excommunicatio minor, quatenus Ordo est quoddam Ecclesiæ Sacramentum. 2. à *suspensione*; quia Suspensio per se non privat Ordinis susceptione, sed illius usu, ideóque solis Clericis aptatur, cùm tamen Irregularitas tam Clericis, quàm Laicis communis sit. 3. ab *Interdicto*; quia esto, Interdictum aliquando impediat Ordinis susceptionem, non tamen 69

men, quatenus Ordo est, sed quatenus est quoddam Sacramentum & Divinum ministerium. 4. à *Depositione* & *Degradatione*; quia Depositio, & Degradatio per sententiam feruntur ab homine, Irregularitas autem nunquam ab homine, sed solùm à Jure, licèt quandoque non scripto, lata est; deinde illæ semper sunt pœnæ; hæc prout dictum, ex se pœna non est: denique illæ directè non privant Ordinum susceptione, sed potiùs illorum usu; secus Irregularitas.

70 Dub. 2. quotuplex sit Irregularitas? R. tripliciter communiter solet dividi. 1. in eam, quæ provenit ex delicto, & in eam, quæ provenit ex alio defectu. 2. in Totalem, & Partialem. *Totalis* est, quæ cujuscunque Ordinis susceptione, & susceptorum usu quocunque privat; *Partialis*, quæ Ordinum usu, seu ministerio aliquo, vel solo ascensu ad superiores privat, licèt in jam susceptis ministrare non prohibeat. 3. in Perpetuam, & Temporalem. *Perpetua* est, quæ sola dispensatione tollitur; *Temporalis*; quæ lapsu temporis cessat, uti est Irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate, tollitur.

71 Dub. 3. quis Irregularitatem indicere, & in quem cadere illa possit? R. infligere eam solus Pontifex potest. Suar. *de Censur. D. 40. sect. 4. à n. 7.* Avil. *p. 7. D. 1. fin.* Bonac. *D. 7. q. 1. p. 2. n. 1. & 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 2. n. 1.* Ratio est, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis. atqui nullus alius præter Pont. in Hierarchia Ecclesiastica habet potestatem condendi Jus. ergo &c. *Subjectum* autem, quod affici per Irregularitatem potest, solùm potest esse 1. vir; nam fœmina nunquam habuit capacitatem ad suscipiendos Ordines, quæ per Irregularitatem tollatur. 2. Baptizatus; nam non baptizati Jure Divino ab Ordinibus excluduntur. 3. Subjectus alicujus Jurisdictioni: hinc incapax Irregularitatis est Summus Pontifex; quia non subditur suis Legibus quoad vim coërcitivam. Palao *n. 3. & 4.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 444. & seqq.*

72 Quæritur 2. propter quam causam contrahatur Irregularitas? R. cùm Irregularitas juxta dicta *n 70.* oriatur ex duplici capite, ex delicto scilicet, & ex defectu, hinc duplicis generis causæ sunt, ex quibus incurritur Irregularitas. *Ex delicto* Irregulares sunt 1. iterantes Baptismum. 2. suscipientes furtivè Ordinem. 3. ministrantes in Ordine non suscepto. 4. violantes Censuram Ecclesiasticam per susceptionem Ordinis, vel ministrationem in illo in Excommunicatione, suspensione &c. 5. occidentes, vel mutilantes injustè alterum, si hoc voluntariè fiat, & cum intentione expressa occidendi, vel mutilandi; quod extenditur etiam ad mandantem, consulentem &c. 6. Hæretici, & de Hæresi suspecti, dum non purgant suspicionem. 7. infames infamiâ Juris, & facti &c.

Defectus, ex quibus induci Irregularitas potest, varii sunt. 73 Et 1. quidem ex defectu animi Irregulares sunt amentes, infantes, phrenetici &c. 2. ex defectu corporis Hermaphroditi, carentes requisita ætate ad Ordines, & quemcunque alium habentes defectum, qui congruentem Ordinis usum impedit, vel notabilem horrorem seu deformitatem causat. 3. ex defectu natalium Illegitimi. 4. ex defectu Sacramenti bigami. 5. ex defectu Libertatis servi. 6. ex defectu lenitatis concurrentes ad supplicium capitis, vel mutilationem etiam justam, milites occidentes in bello etiam justo, si offensivum hoc sit &c. de quo *suprà Tit. 12.* de reliquis verò sparsim per cæteros Libros, maximè *Libr. 1. à Tit. 17.*

Dub. 1. quale delictum debeat esse 74 illud, ob quod incurritur Irregularitas? R. non debet esse commissum solo actu interno; nam hos actus *Dominus suo reservavit judicio*, ac proinde *non possunt humano condemnari examine*, ut traditur *can. si quandoque 1. caus. 15. q. 6.* & *cogitationis pœnam nemo patiatur*; juxta *can. cogitationis 4. de pœnit. dist. 1.* S. Thom. *1. 2 q. 20. art. 5.* Sot. *l. 5. de Just. q. 1. art. 9.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 1. pr. n. 4.* Suar. *de Censur. D. 40. sect. 3. n. 6.* Sayr. *l. 6. c. 2. n. 17.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 3. n. 1.* Wiestner *hic n. 40.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 443. Neque obstat*, quòd in aliquibus Bullis concessum fuerit privilegium dispensandi in Irregularitate mentali; nam ut bene Palao *l cit.* notat, id intelligendum est de Irregularitate omnino occulta, vel concessum est ad sedandos scrupulos, non autem ex necessitate.

2. Actus ille externus debet esse 75 consummatus, & perfectus secundùm proprietatem verborum Canonis Irregularitatem inducentis, Westner *n. 40. cùm citt.* Sufficit tamen, etsi sit occultus, ut colligitur ex Trid. *sess. 24. c. 6. de Reform.* ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in omnibus Irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus. Navar. *Man. c. 27. n. 194.* Covar. *in Clem. cit. p. 2. §. 3. n. 4.* Suar. *sect. 3. cit. n. 21.* Wiestner *hic n. 38.* Reiffenstuel *ibid. n. 75.* Ratio est, quia delicta externa, quantumvis occulta, Ecclesiæ aliquid decernentis, & pœnam ipso facto imponentis judicio subijciuntur. Ex quo patet disparitas cum actibus merè internis; nam horum cognitionem, & punitionem sibi soli, ut dictum est, reservavit Judex Divinus.

3. Actus

3. Actus iste debet esse delictum saltem ex objecto, & materia grave. An verò si ex circumstantia aliqua excusetur à peccato mortali, eo ipso excusetur delinquens ab Irregularitate, non est constans sententia. Negant Cajet. *2. 2. q. 64. art. 8.* & Armill. *V. Irregularitas n. 14.* Oppositum tenent Navar. *l. cit. n. 252.* Suar. *sect. 3. cit. n. 17.* Palao *tr. 3. cit. n. 2.* Wiestner *n. 30.* & alij apud istos. *Rationem* dant, quia Irregularitas est malum gravissimum, utpote privans Ordinis susceptione, & illius usu in perpetuum, & absque spe dispensationis. ergo necessariò exigit culpam, vel defectum gravem; aliàs pœna culpæ gravitatem excederet. Quæ ratio probat, non posse à Pont. Irregularitatem pœnalem indici alicui ob culpam merè venialem: imò non desunt DD. affirmantes, ad quamlibet Irregularitatem, ex delicto provenientem, requiri dolum, seu contemptum. 76

Dub. 2. an ob causam dubiam censendus sit aliquis Irregularis? Potest dubium hoc esse duplicis generis, Juris nempe, & facti. *Dubium Juris* est, an in Jure ob tale factum imposita sit Irregularitas; *Dubium facti*, cùm certum est tali facto impositam esse à Jure Irregularitatem, dubitat autem quispiam num tale factum commiserit, la Croix *tom. 8. l. 7. n. 449.* 77

Certum est 1. quodcunque sit dubium, sive Juris, sive facti, debitam diligentiam imprimis adhibendam esse ad investigandam veritatem, neque sic dubitantem interea absque gravi peccato præstare posse quæ Irregulari prohibentur, ut colligitur apertè ex *c. illud 5. de Cler. Excomm. ministr.* quia manifesto periculo se exponeret violandæ Irregularitatis. *Excipitur*, nisi interim, dum dubium istud examinatur, dubitans pateretur incommoditatem gravem se Irregularem reputando, ut quia præterit occasio Ordinum suscipiendorum, Beneficii vel alterius lucri comparandi; nam eo casu non videtur Lex in dubio ita rigidè obligare, ut ob illius obligationem quis teneatur grave damnum sustinere Palao *l. cit. n. 3.* post *Salas Sanch. &c.* 78

Certum est 2. si post adhibitam debitam diligentiam rationibus probabilibus quis ducatur ad existimandum, quòd vel facto tali Irregularitas non sit annexa, aut quòd ipse non commiserit factum, cui aliàs de Jure annexa Irregularitas est, posse ipsum se reputare immunem esse ab Irregularitate; quia prudenter se gerit opinioni probabili adhærendo, neque in ea probabilitate æquum erat quemquam tam gravi pœnæ subjicere. 79

Difficultas igitur solùm est, an si post adhibitam diligentiam debitam adhuc quis hæreat, neque valeat judicium probabile efformare, Irregularitatem se non incurrisse (quod rarò fiet) reputare se Irregularem debeat? Qua in re variæ sunt Sententiæ. *Prima* cum Henriq. *l. 14. de Irreg. c. 3. n. 3. & 4.* & *c. 14. n. 3.* & *c. 15. n. 3.* & alijs vult, eo casu neminem debere se reputare Irregularem, quousque Sententia Judicis accedat. *Rationem* dant, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis, atqui in Jure expressum non est, quòd aliquis in casu dubio in foro conscientiæ se reputare pro Irregulari debeat ergo &c. 80

Secunda Sententia cum Navar. *Man. c. 27. n. 193.* Philiarch *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 1. l. 4. c. 6. not. 2.* & alijs relatis à Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 39. & 41.* contendit, eo casu quemlibet reputandum Irregularem in foro conscientiæ, non tamen in foro externo ut talem condemnandum. *Priorem partem* probant; quia in foro conscientiæ semper quis videtur obligatus in dubijs tutiorem partem sequi, cùm in ea sequenda nullum sit periculum. At in foro externo, dum delictum non probatur, reus absolvendus est, maximè cùm Jure constitutum sit, quòd *cùm sunt partium jura obscura, reo favendum sit potius, quam actori, Reg. 11. in 6.* 81

Tertia cum Covar. *in Clem. si furiosus pr. n. 3.* Suar. *D. 40. de Censur. sect. 6. n. 1.* Avil. *p. 7. D. 2. dub. 5. concl. 1.* & alijs asserit, eo casu reputandum quemlibet Irregularem esse non tantùm in foro conscientiæ, sed etiam in externo, & talem non tantùm obligari dispensationem quærere, & interea abstinere à celebratione, sed etiam ut Irregularem à Judice condemnari posse; tum quia textus, decidentes Homicidam in casu dubio reputandum esse Irregularem, loquuntur de utroque foro, ut patet ex *c. ad audientiam 12.* & *c. significâsti 18. de Homicid.* tum quia forum internum ab externo non discrepat, quando istud præsumptioni falsæ non innititur *arg. c. fin. de Const. in 6.* & *c. contingit 1. de Jurejur. eod.* igitur si in foro externo judicandus est Irregularis in casu dubio, etiam in foro conscientiæ ut talis habendus est. 82

Quarta denique, & meo judicio probabilior Sententia cum Palao *tr. 29. D. 6. p. 3. n. 7. & seqq.* distinguit inter dubium Juris, & facti; nam *si dubium Juris sit*, ita dubitans nullo modo Irregularem reputare se debet. Ita *Sayr. Sanch. Coninck* apud eundem *Palao*, & sumitur ex *c. is, qui 18. de Sent. Excomm. in 6.* ubi dicitur, ob nullum factum Irregularitatem incurri, nisi id Jure expressum sit. atqui nullatenus in Jure expressum est, quòd pro Irregulari se habere debeat ille, qui post diligentem inquisitionem dubitat, an tali facto Irregularitas annexa 83

nexa sit. ergò non tenetur judicare, tali facto impositam esse Irregularitatem. *Conf.* nemo tenetur ad Legis alicujus observationem, nisi ea Lex illi fuerit sufficienter promulgata. atqui sic dubitanti Lex Irregularitatis non est sufficienter promulgata; quia ipsi non constat, quod Jure expressa sit, ergo &c.

84 *Si verò sit dubium facti*, iterum distinguendum est inter dubium facti Homicidij, & inter dubium circa alia facta, quibus constat Irregularitatem de Jure annexam esse. Nam *in dubio facti Homicidij*: cùm scilicet dubitatur, an tu patraveris homicidium tua actione, consilio, vel favore, te judicare debes Irregularem, & ut talis in foro externo habendus, & judicandus es, non quidem absolutè, sed quoad effectum abstinendi à celebratione, quærendique dispensationem. Ita Palao *l. cit.* pro se allegans *Navar. Covar. Az. Sayr. Suar. Sal. Rebell. Valent. Sanch. Avil. Molin. Coninck.* Consentiunt Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 37.* Dicast. *D. 7. dub. 2. & 3.* Sperell. *Decis. 77. à n. 31.* & *Decis. 119. n. 48.* Dian. *p. 3. tr. 5. Res. 72.* Wiestner *hic n. 42.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 451.* Ratio est, quia textus *c. ad audientiam*, & *c. significâsti citt.* expressè decidunt, in dubio facti Homicidij obligationem esse abstinendi à celebratione, & sic dubitantem tanquam Irregularem habendum: idque non tantùm tanquam rem consilij, ut prima Sententia vult, sed tanquam ex obligatione, ut expendenti textus manifestum erit. Additur autem, *Quoad effectum abstinendi à celebratione, & petendi Dispensationem*; quia in his tantùm periculum animæ imminet, & de his relati textus loquuntur: nullo autem modo ita dubitans censendus est Irregularis quoad privationem Beneficiorum, aliásque pœnas Irregularibus impositas, ut bene cum alijs *suprà citt.* advertit Abb. *in c. significâsti cit. n. 4.*

85 *Si verò dubium facti incidat in alijs materijs, extra causam Homicidij*, major est controversia. *Et rationem dubitandi* faciunt 1. textus allegati, ubi dum Pontifex declarat, in dubio Homicidii facti reputandum quemlibet Irregularem, nititur hoc principio, quòd in dubio tutior pars sit eligenda, atqui principium hoc procedit etiam in alijs materijs. ergo &c. 2. Pontifex non videtur novum Jus condere, sed quod æquitati conforme est, declarare; declarat autem, tutiorem partem esse eligendam. ergo in omnibus materijs eligenda est. 3. Lex pœnalis extendi debet ad casus similes, quando ratio decidendi æquè in omnibus procedit.

86 Sed dicendum, extra dubium Homicidii neminem esse Irregularem censendum. Ita Palao *n. 9.* pro se citans *Navar. Suar. Sal. Sanch. Coninck, Avil. Bonacin.* Consentiunt Laym. *l. 1. tr. 1. c. 6. §. 4. n. 30.* Dicast. *D. 7. dub. 2. & 3.* Sperell. *Decis. 77. à n. 31.* & *decis. 119. n. 48.* Schild. *tr. 5. n. 67.* Bardi *discept. 6. c. 7. §. 2.* la Croix *tom. 8. Libr. 7. n. 450.* Sumitur ex *c. is, qui 18. de sent. excomm. in 6.* ubi deciditur non contrahi Irregularitatem, nisi in casibus à Jure expressis. atqui in jure expressum non est, in dubio facti ultra casum Homicidii Irregularitatem incurri. ergo &c. *Conf.* nam in casu dubio nemo tenetur se sua libertate privare, nisi aliqua Lege cogatur ad hanc privationem sustinendam. atqui nulla adest Lex privans libertate suscipiendi Ordines dubium delinquentem, nisi in casu Homicidii. ergo &c.

87 Atque hinc Irregularis non est qui celebrat in dubio de contracta Excommunicatione; quia tali celebratione Irregularitatem incurri non est jure expressum: imò *c. Apostolicæ 9. de cler. excomm. minist.* Clericus ob celebrationem Irregularis solùm efficitur, si ejus de illa contracta ignorantia crassa sit, & supina, minimè obscurò argumentò, eum, qui post adhibitam debitam diligentiam de Censura contracta hæret dubius, eámque inculpabiliter ignorat, celebratione non fieri Irregularem. Avil. *p. 7. D. 2. dub. 5. concl. 2.* Suar. *D. 40. sect. 5. n. 13. & 19.* Sanch. *l. 1. mor. c. 10. n. 48.* Palao *p. 3. cit. n. 10. ỳ. ex hac doctrina.* Wiestner *hic n. 48. ỳ. Irregularem.* 2. celebrans in dubio de facta mutilatione; quia *c. citt.* decisio exprimit solùm homicidium, ad quod mutilatio quidem via, sed revera homicidium non est. Sanch. *c. 10. cit. n. 49.* Palao *n. 10. ỳ. secundo*, Pirhing *hìc n. 60. fin.* Wiestner *ibid. n. 44.* 3. celebrans in dubio, an aliquis sit occisus; quia textus *citt.* loquuntur tantùm de eo casu, quo hominem interfectum esse constat, & dubium est, an ejus mors ex vulnere ab ipso dubitante, an ab alio inflicta, vel aliâ ex causâ secuta sit. Dian. *p. 11. tr. 6. res. 24. pr. & §. itaque*, Mendo *de jure Acad. l. 3. n. 321.* Gibalin. *de Irregul. c. 4. q. 1 à n. 17.* Wiestner *hìc n. 45.* 4. is, quid dubitat, an homicidium ex vulnere à se, vel alio inflicto, aliáve causa secutum sit, solùm tenetur abstinere à celebratione Missarum. Wiestner *n. 45.*

88 Neque obstant Argumenta *n. 85.* proposita. *Ad 1.* etsi Principium illud commune sit omnibus alijs materijs, & propterea consilium prudentissimum sit tutiorem sequi partem; quia tamen ut cum *Sanchez* rectè advertit Palao *n. 10. cit.* in Irregularitate Homicidii efficaciùs procedit ob indecentiam specialem, quam secum affert Homicidium in Clerico, ea de causa disposuit Pontifex, ut in dubio Homicidii censeatur quis Irregularis, quam dispositionem ad

alias

alias materias non extendit. *Ad 2.* ibi Pontifex condit novum Jus, quia ex ratione, quòd tutior pars sit eligenda, statuit, eum, qui dubius est de Homicidio, censendum esse Irregularem. *Ad 3.* verius est, Legem maximè pœnalem ob similitudinem rationis extendendam non esse ad casum, sublata verborum forma non comprehensum.

89 Quæritur 3. qui sint Effectus Irregularitatis? Imprimis noto, quòd nullà Irregularitas privet actionibus, quæ & Laicis, & Clericis communes sunt, nempe recipere Sacramenta, præter Ordinem, audire Officia Divina, sepeliri in loco sacro, communicare cum fidelibus, baptizare absque solennitate. Palao *tr. 29. D. 6. p. 5. n. 4.* quia Irregularitas solum excludit à gremio, & Regula Clericorum & consl. ab actionibus, quæ Clericorum sunt propriæ: quo prænotato ad quæstionem propositam dico, tres præcipuè Irregularitatis effectus recenseri. 1. est privatio Ordinis suscipiendi licitè. 2. privatio Beneficiorum consequendorum. 3. privatio Beneficiorum ante Irregularitatem acquisitorum.

90 Dub. 1. quomodo Irregularitas privet Ordine suscipiendo? R. facit, ne licitè suscipi Ordo ab Irregulari possit. Dixi 1. *ne licitè*; nam validè potest, quia valor receptionis non pendet à dispositione Ecclesiæ, & consl. ipsa eundem impedire non potest, modò adsint alia requisita. Circa *Primam Tonsuram* diversa est ratio; nam hæc ab institutione Ecclesiæ pendet: unde Ecclesia illius susceptionem posset irritam reddere in Irregulari. *Posset*, inquam; de facto enim non constat, quòd irritationem hanc apposuerit: imò sunt DD. qui etiam negant, quòd susceptio Primæ Tonsuræ Irregularibus sit prohibita, eo nixi fundamento, quia Irregularitas est impedimentum Ordinis suscipiendi; prima autem Tonsura non est Ordo, sed tantùm dispositio ad Ordines. Verùm hæc sententia nullatenus est admittenda: & ratio est, quia Irregularitas tendit ad constituendum Irregularem extra Clericorum Statum, & Regulam, quod est effectus Tonsuræ oppositus, quæ tonsuratum ad Statum Clericorum adoptat. Palao *p. 5. cit. n. 2.* & ab eo relati. *Neque obstat.* quòd Prima Tonsura propriè non sit Ordo; quia satis est, quòd sub Ordine latè dicto comprehendatur juxtà *c. cùm contingat 11. de ætat. & qualit.* Accedit, quia per Irregularitatem fit quis incapax Ordinis suscipiendi. igitur etiam primæ Tonsuræ; malè enim quis se disponit ad aliquod, quod habere non potest.

91 Dixi 2. *ne suscipi Ordo &c.* nam quando Irregularitas supervenit Ordini jam suscepto, videndum est, an sit Irregularitas ex delicto, an ex defectu. *si ex delicto*, puta ex homicidio, ex iniqua Ordinum susceptione, vel administratione &c. privat ordinatum quolibet exercitio Ordinis suscepti, & inhabilem reddit ad alium suscipiendum; quia præstat omnem effectum, quem præstare potest, ut colligitur ex *c. fin. de temp. ordin.* & *c. inquisitionis 21. de Accus.* & cum communi notant Covar. *in Clem. si furiosus p. 1. §. 1. n. 3.* Navar. *Man. c. 27. n. 144.* Suar. *D. 40. sect. 2. n. 4.* Avil. *p. 7. D. 2. dub. 6.* Palao *p. 5. cit. n. 3.* Wiestner *hic n. 47.* *Si verò ex defectu descendat Irregularitas*, privat solùm exercitio Ordinis suscepti, & potestate suscipiendi, ad quem per ejusmodi defectum inhabilis factus est: ut si duo digiti cum mediatæ palmæ abscissi fuerunt, si Sacerdoti, Irregularis ille fit ad celebrandum; si Diacono, ad Sacerdotium suscipiendum: nequaquam tamen impediet aut Diaconum à ministerio Ordinis rite suscepti, neque Sacerdotem à reliquis muniis Sacerdotalibus, qualia sunt Matrimonio assistere, absolvere à peccatis, vel alia Sacramenta ministrare. Navar. *l. cit. n. 191.* Suar. *sect. 3. n. 25.* Avil. *dub. 6. cit. §. circa*, Palao *n. 3.* Neque refert, an talis defectus culpabiliter sit contractus, necne; quomodocunque enim supervenerit ordinato, solùm impedit usum illius Ordinis, quem defectuosus præstare nequit, prout dictum est *Lib. 1. Tit. 20. n. 14.* Quare talis defectus inducet Irregularitatem solummodo partialem.

92 Dub. 2. quomodo Irregularitas privet Beneficiorum consecutione? *Certum est*, quòd Irregularis non possit licitè accipere Beneficium *c. fin. de Cler. pugn. in duell.* & Trid. *sess. 14. c. 7. de Reform.* saltem si Irregularitas sit absoluta, & totalis; nam hæc Clericum à Statu, & Ordine Clericali omnino dejicit: consl. dejicit etiam ab iis, quæ Clericalem Ordinem requirunt, & quæ illius sunt propria. Aliud est, si Irregularitas sit partialis duntaxat, & ordinato supervenerit non ex delicto, sed ex defectu, sicut est Irregularitas, quæ refertur *c. Presbyterum 2. de Cler. ægrot.* nam huic validè, & licitè potest conferri Beneficium, saltem si tale illud sit, ut non requirat usum repugnantem defectui. Valent. *tom. 4. D. 7. q. 19. p. 2. y. & dicendum.* Sayr. *l. 6. Thesaur. c. 2. n. 13.* Garc. *de Benef. p. 7. c. 12. n. 19.* Bonac. *D. 7. de Irregul. p. 4. n. 3.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 5. n. 5.*

93 *Difficultas* est, an valida sit collatio Beneficii, quæ facta est Irregulari absolutè, vel tali, qui functiones Beneficii exercere licitè non potest. *Negat* communis Sententia ex ratione, quia Irregularis exclusus est ab Ordine, & ejus exercitio. ergo exclusus est etiam à Beneficio, quod Ordinem necessariò requirit; etenim inhabilis ad unum inhabilis censeri debet ad omnia illa,

quæ ex eo unò consequuntur *arg. c. translato 3. de Constit.* junct. Gloss. *in can. studeat 39. V. ut tale Beneficium dist. 50.* *Conf.* ex *c. cùm bonæ 8. de ætat. & qualit. c. postulâstis 7. & c. fin. de Cler. excomm. ministr. c. fin. de cler. pugn. in duell.*

94 Verùm his non obstantibus, adhuc probabilis est Sententia, quæ negat hujusmodi collationem esse irritam. Ita Sylv. *V. Excommunicatio 4. n. 4.* Felin. *in c. inquisitionis 21. n. 6. & 8. de Accus.* Suar. *D. 40. sect. 2. à n. 30.* Coninck *D. 18. dub. 1. n 4.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 2. & 3.* Casp. Hurtad. *de Irreg. diffic. 5. à n. 20.* Palao *l. cit n. 6. & seqq.* arg. *c. si soli 6. de conces. Præb in 6.* ubi dicitur, prohibitionem Pontificis non irritare collationem, nisi ei adjungatur Decretum irritans, quòd Decretum cùm non reperiatur respectu collationis Beneficii Irregulari factæ, plus non sequitur, quàm quòd talis collatio, & receptio Beneficii sit illicita, & per sententiam irritanda, non verò quòd sit irrita ipso Jure. *Conf.* quia Irregularitati non sunt tribuendi plures effectus, nec plures pœnæ, quàm sint Jure expressæ, atqui in Jure nullus est textus, exprimens, collationem Beneficii Irregulari factam esse irritam, sed ad summum illicitam.

95 *Neque aliud probat Argumentum contrarium;* neque enim ex eo, quòd Irregularis exclusus sit ab Ordine suscipiendo, & illius exercitio, sequitur susceptionem Beneficii esse invalidam: patet in eo, qui incurrit Excommunicationem minorem, & propterea non potest licitè eligi, quamvis electio ejus sit valida. Accedit, quia Irregularis potest procurare dispensationem & interim Beneficio per alium inservire, ejúsque muneri satisfacere. Non plus probant textus in *Conf.* aliati, nam *c. cùm bonæ* non loquitur de Irregulari, sed de suspensis, & in Suspensione per triennium perseverantibus, neque hos reddit inhabiles ad Beneficia, sed decernit spoliandos esse Beneficiis antè possessis, & eo tempore acquisitis. *c. postulâstis*, iterum non de Irregulâri, sed de Excommunicato loquitur. *c. fin. eod.* de ligato Excommunicatione minori. *c. fin. de cler. pugn in duell.* dicitur cum Clerico, qui homicidium commisit, posse misericorditer dispensari, ut Beneficium obtineat, non quia invalida esset Beneficii collatio, sed quia illicita.

96 Dub. 3. an Irregularitas Jure ipso privet Beneficiis ante Irregularitatem obtentis? *Rationem dubitandi* facit 1. Trid. quod *sess. 14. c. 7. de reform.* loquens specialiter de Irregularitate Homicidii voluntarii inquit: *Qui sua voluntate Homicidium perpetraverit - - - omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat,* sed caret Ordine ipso Jure, & absque Sententia condemnatoria, ergo etiam carere debet Beneficio, & Officio. 2. *can. siquis Episcopus 8. caus. 1. q. 1.* ubi Simoniacus, *c. cum secundùm 19. de Hæret. in 6.* ubi Hæreticus, & *c. pro humani 1. de Homic. in 6.* ubi Assassinus ipso Jure videtur privari Beneficio suo. 3. quia Irregularis incapax plerumque est exercendi officium, ratione cujus Beneficium conceditur, ergo ipso Jure videtur illud amittere, cùm satisfacere ejus obligationi non possit.

Sed standum negativâ sententiâ 97
quam cum communi defendunt. Navar. *Man. c. 27. n. 249. dict. 5.* Henriq. *l. 14. c. 2. n. 6.* Valent. *tom. 4. D. 7. q. 19. p. 2. §. quintò.* Suar. *D. 40. sect 2. n. 15. & D. 44. sect. 4. n. 2.* Bonac. *D. 7. p. 4. n. 8.* Coninck *D. 18. dub. 1. n. 5.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 1. coroll. 3.* Hurt. *Diffic. 5. n. 20.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 5. n 9.* Wiestner *hic n. 48.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 439.* Colligitur ex *c. Clericis 5. ne Cler. vel Monach. c. fraternitati 6. & c. seq §. quæsivistis de Cler. excomm. ministr. c. ex litteris 10. de Excess. Prælat.* in quibus textibus ad Beneficiorum privationem requiritur Officium Judicis. *Conf.* quia nemo ipso facto ante sententiam privatur bonis suis, vel juribus actu possessis, nisi id clarè exprimant Leges, nullus autem extat textus hanc pœnam ipso Jure inducens, ergo &c.

Addo tamen, etsi Beneficiatus, in 98
Irregularitatem incidens ob delictum, retinere possit Beneficium, usque dum per sententiam eo privetur, ipsum tamen debere procurare Dispensationem, & interim Beneficii muneri per alium satisfacere in iis actionibus, quæ rationem Irregularitatis illi sunt prohibitæ. Quodsi autem Dispensationem impetrare aut nolit, aut non possit, retinere illud non poterit; quia sic Ecclesia in perpetuum spoliaretur servitio suo. Poterit tamen illud resignare, etiam in favorem, ac si nullam Irregularitatem incurrisset, etiam pendente lite, & accusatione facta de Irregularitate; quia usquequo accedat sententia, & condemnetur, retinet Jus in Beneficio. Sayr. *l. 6. c. 2. n. 14.* Suar. *D. 40. sect. 2. n. 19.* Palao *p. 5. cit. n. 15.* la Croix *n. 439. cit.* Et hoc verum est etiam casu, quo durante accusatione Irregularitatis, Beneficium ipsius impetravit alius sub conditione, si privetur Irregularis; quia ita renuntians usus est suo Jure. Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 78. n. 2.*

Argumenta in contrarium *n. 96.* al- 99
lata non sunt efficacia. *Ad 1.* Clericus, ob homicidium voluntarium Irregularis factus, tantùm privandus venit Beneficio suo, sicut etiam in aliis; nam in his *Trid.* nihil innovavit: neque sequitur, quòd si Irregularis ipso Jure privetur Ordine susceptо, ipso Jure, &

ante

ante ſententiam etiam carere debeat, & privari Beneficio, & Officio; nam prius clarè deciſum eſt in Jure, nòn autem poſterius: quare Concilii verba intelligenda ſunt juxta ipſarum rerum naturam, & diſpoſitionem Juris antecedentem, ut evitetur Juris correctio. *Ad 2.* ſimiliter etiam de Simonia, Hæreſi &c. dicendum, quod ob hæc, & ſimilia delicta Irregularis factus ſolùm privandus veniat. *Ad 3. N. Conſ.* quia talis Beneficiatus, usque dum Diſpenſationem impetret, Beneficio ſatisfacere per alium poteſt.

100 Dub. 4. an, & quomodo Irregularis priveter Penſionibus, fructibus Beneficii, Jurisdictione pertinente ad forum contentioſum? R. *Ad 1.* in Jure Penſionum privatio Irregulari indicta non eſt, ſed decernenda relinquitur arbitrio Judicis, ſpectatâ delicti qualitate, ut deciſum à *S. congr. Cardd.* referunt Ricc. *Deciſ. 524.* Barboſ. *ad ſeſſ. 14. Trid. c. 7. de reform.* Suar. *D. 44. ſect. 4. n. 34.* Bonac. *D. 7. p. 4. n. 11.* Palao *p. 5. cit. n. 12.*

101 *Ad 2.* Si ejusmodi Irregularis munera Beneficii ſui per ſe, vel per alium exercuit, non privatur Beneficii fructibus, nec venit privandus per ſententiam; quia titulum Beneficii retinet, & jus habet percipiendi illius fructus, poſito muneris exercitio. Suar. *D. 40. ſect. 2. n. 20.* Coninck *D. 18. dub. 1. n. 5.* Filliuc. *tr. 19. n. 69.* Bonac. *p. 4. cit. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 1. coroll. 3.* Palao *p. 5. cit. n. 13.*

102 *Ad 3.* dico, Jurisdictionem fori externi, & alias functiones, quæ Irregulari ſpecialiter non prohibentur, ab eodem exerceri poſſe Palao *n. 14.* & ab hoc *citt.* Ratio eſt, quia Irregularitas non dejicit à Beneficio, & Officio. ergo nec ab illius uſu. Poterit igitur ejusmodi Irregularis excommunicare, eligere, conferre Beneficia, ſicut poterat, antequam in Irregularitatem incideret. Item Parochus Irregularis licitè poterit aſſiſtere matrimonio, & aſſiſtendi licentiam dare, imò licitè poterit dare licentiam adminiſtrandi Sacramenta. *Neque obeſt*, quòd per Irregularitatem ſit dejectus à Statu Clericali, cui Jurisdictio Eccleſiaſtica alligatur; nam Clericatus tantùm requiritur tanquam conditio, ut ſubjectum ſit capax Jurisdictionis, illâ tamen conceſsâ, ejus uſus non eſt actus Ordinis, ac proinde per Irregularitatem non prohibetur.

103 Quæritur 4. quæ cauſa excuſet ab Irregularitate? *Certum eſt*, Irregularitatem ex delicto non incurri per actum, qui non eſt peccatum mortale: conſ. ab Irregularitate excuſatur omnis ille, qui excuſatur à peccato mortali; quia, ut *n. 76.* dictum eſt, eſt pœna graviſſima. igitur peccatum grave ad ſui incurſionem requirit, ut ſit proportio inter pœnam, & culpam.

104 Dub. 1. an excuſetur ab Irregularitate, qui ignoravit, quòd delictum, quod commiſit, Lege Eccleſiaſtica ſpecialiter ſit prohibitum? *Ratio dubitandi* eſt, quia Irregularitas nòn tam in pœnam delicti, quàm ob decentiam Statûs Eccleſiaſtici indicitur, cui decentiæ obſtat delictum, etſi ignoretur ſpeciali Lege Eccleſiaſtica illud eſſe prohibitum.

105 Sed dicendum, probabiliùs excuſari. Ita Coninck *D. 18. de Irreg. dub. 4. concl. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 6. n. 1.* & alii. *Probari poteſt* 1. ex *c. fin. de Conſt. in 6.* ubi deciditur, Conſtitutionibus Ordinariorum, quoad pœnas in his ſancitas, non ligari illos, qui has ignorant; quia æquum non eſt æquali pœna punire transgreſſorem Legis ex ignorantia, quâ punitur transgreſſor ejus malitioſus, cùm ignorantia à transgreſſione culpabili Legis excuſet: quæ deciſio à fortiori procedit in Conſtitutionibus Pontificiis. 2. ex *can. propoſuiſti 2. diſt. 82.* ubi Clerici luxurioſi, ignorantes ſibi delictum iſtud per Legem Eccleſiaſticam ſub pœna Depoſitionis prohibitum eſſe, veniâ digni, pronuntiantur, & afficiuntur pœna mitiori arbitrio Judicis. ergo ignorantia Legis Eccleſiaſticæ excuſat à transgreſſione, & à pœna ei annexa. 3. ex *ratione*; quia pœnalis Irregularitas plerumque ab Eccleſia indicitur in pœnam inobedientiæ, & contumaciæ adversùs Eccleſiam, ſiquidem ſuperadditur violationi Cenſurarum, quæ inobedientiam, & contumaciam requirunt. atqui inobedientia, & contumacia ſtare non poteſt cum ignorantia Legis Eccleſiaſticæ. ergo &c.

106 *Ad Rationem dubitandi* dico, Irregularitatem non inductam ſolùm ob decentiam Statûs Eccleſiaſtici, ſed ſimul etiam in pœnam obedientiæ Eccleſiaſticæ violatæ, quæ cùm, poſitâ Legis ignorantiâ, ceſſet, neceſſe eſt, ut eo caſu ceſſet etiam Irregularitas.

107 Dub. 2. an incurrat Irregularitatem, qui quidem ſciat, delictum ſuum eſſe ſpeciali Lege Eccleſiaſtica prohibitum, probabiliter tamen ignorat Irregularitatem eidem annexam? Communis ſententia cum Carden. *Criſ. diſſ. 75. n. 37.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 2. contr. 5.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 482.* Wieſtn. *hic n. 46.* & aliis affirmat incurrere. *Moventur* 1. quia ignorantia pœnæ non videtur excuſare ab illius incurſione; aliàs plurimi delinquentes à pœnis per Legem ſtatutis excuſarentur. 2. ſi eſſet aliqua ratio, quare non incurreretur, eſſet iſta, quia etiam Excommunicatio, & aliæ Cenſuræ Eccleſiaſticæ probabiliùs non incurruntur, niſi delinquens ſciat, illas eſſe delicto ſuo annexas. atqui inter Irregularitatem, & Cenſuras non eſt paritas; nam Cenſuræ ſunt

pænæ Medicinales, quæ, ut incurrantur, cognitionem requirunt. 3. Si ad incurrendam Irregularitatem necessarium foret cognoscere eam pænam delicto annecti, Homicida ignorans hanc pænam Irregularitatem non incurreret, sed liberè posset ad Ordines promoveri. hoc autem est falsum; nam etiam Judex, justè reum condemnans ad mortem, etsi nesciat facto suo annexam esse Irregularitatem, Irregularis efficitur. ergo multo magis, qui iniquè occidit alterum.

103 Hæc sententia ut communis, & in praxi recepta tenenda omnino est, ut bene notat Palao *p. 6. cit. n. 3.* contraria tamen, quæ vult, eo casu Irregularitatem non incurri, adhuc probabilis est, ut cum eodem *Palao* docent Sanch. *l. 9. de matr. D. 32. n. 21.* Suar. *D. 4. de Censur. sect. 9. n. 22.* Coninck *D. 18. dub. 4. n. 31.* Bonac. *D. 1. de Censur. q. 2. p. 1. n. 13.* Dian. *p. 3. tr. 5. res. 67.* Dicast. *D. 7. n. 91.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 482.* *Ratio est*, quia etsi consensus delinquentis in pœnam non requiratur ad sustinendam illam, requiritur tamen illius consensus in culpam, prout est causa talis pœnæ, quod fieri nequit absque notitia pœnæ, quando pœna est extraordinaria. Talis autem est Irregularitas delicto annexa, quia obligat delinquentem, ut eam in se exequatur. ergo censeri non debet incurri ab ignorante, Legem sub tali pœna esse latam.

104 Argumenta *n. 107.* in contrarium allata videntur posse dissolvi. *Ad 1.* non est inconveniens, quòd multi ab hac pœna in foro conscientiæ excusentur, sicut excusantur, à Censuris, cùm in eodem foro adversùs Legem Ecclesiasticam completè non delinquant, ignorando pœnam extraordinariam, sub qua Lex lata est. *Ad 2.* licèt Censuræ, & Irregularitas in hoc differant, quòd Censuræ sint pœnæ Medicinales, Irregularitas autem, quæ ex delicto oritur, rationem pœnæ vindicativæ habeat, tamen in hoc paritas adhuc manet, quòd tam illæ, quàm ista sint pœnæ extraordinariæ: est autem instar Regulæ, quòd committens aliquod delictum subjaceat quidem pœnis tali delicto proportionatis, non autem aliis extraordinariis, quæ imponuntur ad vitandum frequentem delicti usum, vel ob aliam causam, nisi delinquens sciverit, delictum sub ea pœna prohibitum esse. *Ad 3.* negatur paritas: nam Judici Irregularitas non in pœnam, sed ob decentiam posita est; at Homicidæ tum ob decentiam, tum in pœnam delicti indicitur Irregularitas: quæ cùm gravior pœna, & difficilioris dispensationis sit, mirum non est, quòd cognitio Legis eam indicentis expostuletur.

105 Quæritur 5. quomodo Irregularitas tolli possit? *Et 1. quidem dubitatur*, an aliqua Irregularitas tollatur per Baptismum? R. si rectè res consideretur, nulla Irregularitas Baptismo tollitur; quia nulla est, quæ Baptismum præcedat, cùm Ecclesia nullam Jurisdictionem habeat in eos, qui sunt extra Ecclesiam. Sunt tamen aliqui defectus, qui post Baptismum remanent in Baptizato, & ratione quorum Baptizatus constituitur Irregularis, uti est, 1. si ante Baptismum bigamus fuerit. 2. si claudus, cæcus, vel alium corporis deformitatem habeat. 3. si sit illegitimus. 4. si infamis infamiâ Juris, quæ est ex sententia condemnatoria in Judicio; nam infamia facti etiam ex Homicidio per Baptismum aboletur: & eatenus aliquo modo Baptismus dici potest tollere Irregularitatem; quia hominem quasi in alium virum mutat. Palao *tr. 29. D. 6. p. 7. n. 1.* & apud hunc *Henriq. Sayr. Laym.*

106 Dub. 2. an, & quam Irregularitatem relaxet Professio Religiosa, aut emissio Votorum in aliqua Religione approbata? R. tollit Irregularitatem, quæ oritur ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos Ordines. Navar. *Man. c. 27. n. 101.* Sayr. *l. 7. c. 13. n. 9.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 86. n. 4.* Suar. *D. 41. sect. 1. n. 3.* Coninck *D. 18. dub. 14. concl. 2.* Bonac. *D. 7. q. 5. p. 2. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5 c. ult. circa fin.* Palao *p. 7. cit. n. 2.* & habetur *c. filii 1. de fil. Presbyter.* quæ tamen Irregularitas perseverat in ita Professo quoad dignitates, & Prælaturas *c. fin. tit. cit.* nisi Religio, quam profitetur, hoc privilegium habeat, sicut habent, *Palao* teste, omnes ferè Religiones, ut earum Religiosi, etiamsi natalium defectu laborent, in Prælatos possint eligi.

107 Reliquæ Irregularitates, si Justa commune spectetur, per Professionem Religiosam non tolluntur; quia nullum est fundamentum hujus relaxationis. At si privilegia Religioni concessa spectentur, etsi illas Professio Religiosa non relaxat, potestatem tamen concedunt eas relaxandi: & ita in Societate JESU Præposito Generali pro foro conscientiæ conceditur facultas relaxandi quamlibet Irregularitatem, etiam Bigamiæ, & Homicidii, ut constat ex *Compend. privil. Societ. V. Dispensatio à §. 1. usque ad 6.* & notat Palao *l. cit. n. 2.* Wiestn. *hic n. 50.* Quin imò, ut idem *Palao* notat, omnibus Religionibus Mendicantibus concessum est privilegium relaxandi Irregularitatem Homicidii etiam voluntarii, dummodo notoria non sit, ex privilegio *Martini V.*

108 Dub. 3. quis relaxare Irregularitatem possit dispensando? *Certum* est, posse

posse illam relaxari à Summo Pont. cùm enim illa ortum ab ipso habeat, necesse est, ut etiam per eundem tolli possit : in aliquibus tamen difficiliùs dispensat, ut in Irregularitate Bigamiæ ; quia ab Apostolica traditione descendit : & in illa, quæ oritur ex Homicidio voluntario ; quia gravem continet indecentiam.

114 *Difficultas* est, utrum dispensare in Irregularitate etiam possit Episcopus? *Ratio dubitandi* est, quia Episcopus potest absolvere ab Excommunicatione, si eam sibi Pontifex non reservavit *c. nuper 29. de Sent. Excomm.* ergo potest etiam relaxare Irregularitatem. Sed hoc argumentum nihil probat ; imprimis enim retorquetur argumentum : sequeretur enim, quòd etiam Parochus possit relaxare Irregularitatem, sicut absolvere potest ab Excommunicatione non reservata. 2. Excommunicatio est pœna medicinalis, quæ cùm ex natura sua tolli exigat, quando delinquens correctus est, ab ea absolvens facit id, quod à Jure præcipitur, at Irregularitas est impedimentum de se perpetuum. igitur illud auferens, nisi specialem ad hoc potestatem habeat, vulnerat Jus volens illam durare perpetuò. 3. absolutio ab Excommunicatione est maximè necessaria saluti spirituali fidelium, cùm impediat Sacramentorum receptionem, privet Ecclesiæ suffragiis &c. at per Irregularitatem solùm impeditur susceptio Ordinis, vel susceptî usus, qui minùs necessarius est ad salutem propriam Irregularitate affecti.

115 *Quare dicendum*, Episcopum tum solùm posse dispensare in Irregularitate, quando hoc ipsi concessum est; aliàs, quoties dispensatio circa Irregularitatem eidem concessa non est. censebitur Pontifici reservata. Suar. *D. 41. sect. 2. n. 3.* Palao *tr. 19. D. 6. p. 7. n. 4.* cum communi. Conceditur autem ei per Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* potestas in illa dispensandi, quando provenit ex delicto occulto, & ad forum contentiosum nondum deducto, exceptâ illâ, quæ oritur ex Homicidio voluntario.

116 Dub. 4. quæ conditiones requirantur, ut Episcopus dispensare in Irregularitate possit? R. 1. requiritur, ut Irregularitas proveniat ex delicto occulto, & nondum deducto ad forum contentiosum, ut patet ex *c. 6. cit.* *Occultum* tunc dicitur delictum esse, quando, etsi per testes probari possit, ignoratur tamen à majori parte populi, seu communitatis, in qua ad minus decem residènt, ubi delictum commissum est ; ideóque occultum notorio opponitur. Quodsi Delictum in uno loco est publicum, in alio nec scitur, nec timetur probabiliter sciendum, putant aliqui cum Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 21.* posse Episcopum talis loci vi *Decreti Conc. cit.* in ea dispensare. Sed Palao *p. 7. cit. n. 10.* existimat contrarium ; quia hoc modo nulla ferè inveniretur Irregularitas, in qua Episcopus dispensare non posset, quia nulla esset, quæ alicubi ignota non est. *Ad forum contentiosum deductum* censetur delictum, quando delatum est Judici, & insuper delatio parti intimata. Unde si delatum quidem sit Judici, non tamen intimatum parti, dici nequit deductum ad forum contentiosum. Imò quia juxta communem sententiam Judicium primùm incipit à contestatione litis, poterit Episcopus, usque dum lis contestetur, in Irregularitate dispensare. Idem potest, si reus, postquam delictum ad forum contentiosum deductum est, ex defectu plenæ probationis, aut falsis probationibus absolutus fuit ab instantia, & observatione Judicii, & multò magis si per sententiam definitivam ; quia tunc delictum illud se habet, ac si ad forum contentiosum deductum non fuisset. Palao *l. cit. n. 11. & 12.*

2. Requiritur, ut is, quocum in Ir- 117
regularitate dispensat Episcopus, sit ejus subditus, prout habetur in Trid. *c. 6. cit.* ibi, *Quoscunque sibi subditos.* Veniunt autem hic nomine Subditorum, qui in Diœcesi talis Episcopi domicilium habent, vel per majorem anni partem in ea commorantur : non verò peregrini, scholastici, & mercatores, qui non commorantur in Diœcesi per majorem anni partem ; nam hi, etsi possint à peccatis absolvi, non tamen in Irregularitatibus, & Votis dispensari. Suar. *D. 41. de Censur. sect. 2. n. 10. & 12.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 9.* Palao *p. 7. cit. n. 8.* Vagi tamen, qui nullibi habent certam sedem, absolvi, & dispensari possunt ab Episcopo loci, in quo reperiuntur ; quia alicui debent subjici. Sanch. *l. cit. n. 8.* Palao *l. cit. fin.*

3. Requiritur, ut dispenset Episco- 118
pus in sua Diœcesi juxta Trid. *l. cit.* ibi : *in Diœcesi sua :* quorum verborum, ut Sanch. *l. cit. à n. 16.* & Palao *n. 9.* notant, legitimus sensus non est, ut per ea limitetur ullo modo Jurisdictio Episcopi, quasi non posset subditis relaxare Irregularitatem, existens extra Diœcesin suam ; cùm enim relaxatio hæc sit actus Jurisdictionis voluntariæ, subditis impertiri ab Episcopo potest, etiam existente extra Diœcesin suam : sed potiùs per ea verba extenditur Jurisdictio ; præstant enim hunc sensum : *Potest Episcopus quoscunque sibi subditos, vel qui propriè, & per se subditi sunt, eò quòd in Diœcesi illius domicilium habeant, vel qui ei subduntur ratione existentiæ in sua Diœcesi, tametsi domicilium non obtinuerint, absolvere à quibuscunque casibus &c.* Ex quo sequitur, Episcopum absolvere, & dispensare

sare cum subdito posse, etiamsi tam iste, quàm ipse extra Diœcesin existant. Sanch. *l. cit. n. 17.* Palao *n. 9. cit.*

119 4. Requiri vi verborum Trid. *l. cit.* ibi *in foro conscientiæ* videtur, ut detur Dispensatio, & prosit pro foro conscientiæ tantùm. Sed ut bene advertit Sanch. *l. cit. n. 12.* & Palao *n. 14.* verba illa non sunt apposita, cùm de Dispensationibus sermo est, sed cum agitur de absolutione à casibus reservatis, igitur cùm hæc potestas concedatur absolutè, non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo prodesse debet.

120 Dub. 5. quinam hìc veniant nomine Episcopi? R. hoc nomine hìc veniunt principaliter illi Episcopi, qui ordinariam in subditos Jurisdictionem habent. Et conf. eo nomine intelligendus non venit 1. *Archiepiscopus* respectu suffraganei sui; quia non est illorum Superior absolutè, nisi in causis ad ipsum per Appellationem devolutis *c. cùm non 1. de Offic. Legat. c. duo 9.* & *c. pastoralis 11. de Offic. Ordin.* 2. *Vicarius Generalis*, nisi specialiter facultas hæc ipsi concessa sit; nam ex vi Vicariatûs eam non habet, ut multis allegatis docet Sanch. *l. 2. de Matr. D. 40. n. 12.* & *l. 4. mor. c. 38. n. 18.* & ratio est, quia Dispensatio reputatur quasi restitutio in integrum, quæ in generali mandato non continetur *l. illud 25. fin. ff. de minor.* 3. *Prælati Regulares* respectu Religiosorum sibi subditorum; quia non habent Diœcesin, quod videtur necessariò requisitum, ut gaudeant privilegio *Trid.* ibi *in Diœcesi sua.* Extendit tamen hanc potestatem pro foro conscientiæ S. Pius V. *Motu proprio* ad Prælatos etiam locales Religionum exemptarum erga Religiosos sibi subjectos.

121 Venit tamen hic nomine Episcopi 1. *Capitulum Sede vacante*; quia succedit in ijs, quæ competunt Episcopo jure ordinario speciali, licèt non succedat in illis, quæ eidem competunt jure speciali delegato, atqui hæc potestas dispensandi in Irregularitatibus per *Trid.* Episcopis competit jure ordinario, ergo &c. 2. *Abbates*, & *alij Prælati habentes propriam Diœcesin*, & in ea Jurisdictionem quasi Episcopalem independenter ab Episcopo exercentes; nam hæc potestas est beneficium Principis Juri communi insertum, ergo latæ est interpretationis; conf. extendi debet etiam ad hos Prælatos. Accedit, quia hi Prælati ab Episcopis solùm differunt in consecratione, atqui ad hanc potestatem exercendam non opus est consecratione; nam etiam non consecrati Episcopi hanc potestatem habent. 3. competit hæc facultas ijs, quibus Episcopi potestatem hanc delegaverint; nam quia est Jurisdictionis voluntariæ, sicut absolutio, ita & dispensatio hæc delegari alteri ab Episcopo potest.

Dub. 6. Quænam alia advertenda sint circa relaxationem Irregularitatis? R. 1. si plures sint Irregularitates, de quibus impetranda sit dispensatio, necessarium est mentionem facere illarum, quæ sunt ob diversa delicta contractæ; quia auferri potest una sine alia. Navar. *Man. c. 27. n. 32.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 24. n. 7.* Avil. *p. 7. de Irregul. D. 10. n. 8.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 7. n. 16.* At si contractæ sint ob delictum ejusdem generis sæpius iteratum, v. g. quia sæpius celebrâsti in Excommunicatione, plures occidisti &c. non est opus exprimere vices in particulari, in quibus Irregularitas contracta est; necessarium tamen est saltem in genere eas exprimere, ut pro omnibus dispensatio concedatur. Suar. *D. 44. sect. 3. n. 28* Coninck *D. 18. dub. 14. fin.* Palao *l. cit.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 463.* 122

2. Quando in privilegio, vel potestate dispensandi in Irregularitatibus, data Religionibus, vel Episcopis, sit aliqua Exceptio, ea strictè est interpretanda. Et hinc si alicui concedatur potestas dispensandi, præterquam in Bigamia, intelligendum hoc est de Bigamia vera non similitudinaria; si excipiatur Homicidium voluntarium, intelligendum de injusto, & directè volito, non de eo, quod commissum est ad sui defensionem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, aut quod ex subita ira commissum est. Coninck *dub. 14. cit. concl. 5.* Laym. *l. 1. tr. 5. c. 5. n. 9. fin.* Palao *n. 17.* la Croix *n. 472.* 123

3. si Episcopus vel Prælatus conscius Irregularitatis, in qua dispensare potest, admittat Irregularem ad Ordines, vel Beneficium, censendus est cum illo dispensâsse; quia non debet præsumi voluisse peccare, ut ex communiori sententia docet Sylv. *V. dispensatio q. 15.* & *V. Irregularitas q. 28.* Henriq. *l. 14. c. 17. n. 4.* Suar. *D. 41. sect. 3. n. 4.* Bonac. *D. 7. q. 5. p. 1. fin.* Palao *n. 18.* Verùm hæc dispensatio tantùm valebit pro foro conscientiæ; nam in foro externo nullatenus admittitur hæc tacita dispensatio à Prælato inferiore Pontifice; quia in Jure communi inferior Pontifice dispensationem concedere nequit non præmissa cognitione causæ. Palao *l. cit.* 124

4. Dispensatus ad Ordines etiam à Pontifice non hoc ipso censetur dispensatus ad Beneficia Curata, Dignitates, & Prælaturas. Palao *n. 19.* & ab hoc *citt.* Quoad Beneficia simplicia distinguendum est; nam si dispensatus sit ad majores Ordines, hoc ipso etiam censetur dispensatus ad Beneficia simplicia; quia nullum decet Sacris initiari, qui Beneficium non habet, ex Trid. *sess. 21. c. 2. de reform.* 125

nam

nam esto, aliquando aliquis initietur titulo patrimonij vel pensionis, id quasi ex dispensatione fit ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. *Contra* si dispensatus sit tantùm ad Ordines minores; nam hic non hoc ipso reputabitur dispensatus ad Beneficium simplex, utpote qui adhuc redire ad vota Sæcularia potest. Sanch. *l. 2. de Matr. D. 1. n. 27.*

126 5. Dispensatus ad Ordines, si Minores nondum habet, censeri debet dispensatus ad istos solos: si verò Minoribus susceptis, dispensatio hæc superveniat, intelligi debet facta pro Majoribus. Sanch. *D. 1. cit. n. 26.* Palao *n. 20.* *Ratio primi* est, quia Dispensatio strictè interpretanda est, & sufficienter effectum suum sortitur dispensatione pro minoribus Ordinibus concessâ. *Ratio secundi*, quia aliàs frustranea, & inutilis esset dispensatio.

6. Si Episcopus, sciens aliquem esse 127
Irregularem, ipsi tamen concedat Litteras Dimissorias ad Ordines, eo ipso concedere censetur facultatem, ut ab ordinante dispensetur in Irregularitate, vel alio impedimento, quod susceptionem Ordinum impedit; ne concessio Dimissoriarum sit sine effectu. *Secus est*, si ignarus fuit Irregularitatis, vel impedimenti; censebitur enim tunc concessio dimissoriarum facta ob- vel subreptitiè, & esto, valida sit, cum ipsa tamen Dispensatio in Irregularitate non connectitur necessario. Sanch. *n. 25.* Palao *n. 21.*

§. III.

De alijs Pœnis Ecclesiæ Spiritualibus.

SUMMARIUM.

128. *Privatio Beneficii induci potest dupliciter, sc. ipso Jure, & per Sententiam condemnatoriam.*
129. *Effectus privationis ipso Jure inductæ.*
130. *Effectus inductæ per Sententiam condemnatoriam.*
131. *Quando pœnæ huic fit locus?*
132. *Depositio alia est simplex, alia Solennis.*
133. *Differentia simplicis à privatione Beneficii.*
134. *Et à Suspensione.*
135. *An depositus retineat privilegia Canonis, & fori?*
136. *Ob quæ crimina à Jure imposita sit pœna Depositionis perpetuæ.*
137. *An Episcopus dispensando tollere eandem possit?*
138. *Definitio Degradationis, & divisio in Verbalem & Realem.*
139. &c. *Differentia unius ab altera?*
141. *A quo fieri Degradatio Verbalis debeat?*
143. *Ob quæ crimina?*
144. *In quorum præsentia?*
145. *An præsentes habeant Votum decisivum?*
146. *In quo numero consentire isti in Degradationem debeant?*
147. &c. *A quo, & quomodo fieri debeat Degradatio Actualis?*
151. &c. *Quando Judex Ecclesiasticus degradatum valeat tradere Curiæ Sæculari?*
159 &c. *An Judex Sæcularis adversùs Clericum Degradatum novum Processum formare valeat?*
162. &c. *An Clericus realiter degradatus à Sæculari Judice torqueri possit?*

128 POst Irregularitatem inter Pœnas Ecclesiæ Spirituales *Primo loco* occurrit *inhabilitas* ad Dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica obtinenda *c. quicunque 2. §. Hæretici*, & *c. statutum 15. de Hæret. in 6.* uti & privatio legitimè obtentorum. *c. citt.* & alibi passim. Potest privatio hæc induci duobus modis scilicet ipso Jure, & per sententiam condemnatoriam Judicis. *Ipso Jure* incurritur tunc, quando annexa est perpetrationi criminis, ita, ut alia sententia condemnatoria non requiratur: & tale crimen est cædes Rectoris, vel Beneficiati Ecclesiæ, in qua Beneficium obtinetur *c. in quibusdam 12. h. tit.* hostilis persecutio, aut captivatio. alicujus S. R. E. Cardinalis, vel ad eam cooperatio *c. felicis 5. eod. in 6* percussio, persecutio Episcopi &c. *Clem. 1. eod.* violenta detentio personæ Ecclesiasticæ ad effectum extorquendæ ab ea renuntiationis Beneficii, vel impediendæ comparitionis apud Sedem Apostolicam *clem. 2. eod.* & permulta alia, de quibus proprio loco dictum est, & videri possunt apud Azor *p. 2. l. 7. c. 17. q. 1.* Corras. *p. 1. de Benef. c. 8.* Vallens. *l. 2. de Benef. tit. 23. à n. 10.* & *tit. 24 à n. 1.* Wiestner *hic n. 65.* *Per sententiam condemnatoriam* incurritur tunc: quando, ut incurratur, opus est sententiâ non tantùm declaratoriâ criminis, sed etiam injungens pœnam ademptionis Beneficii. Innoc. *in c. qualiter 18. de Accusat.*

Dub. 1. quis sit effectus Privationis ipso Jure inductæ? R. quatuor maximè effectus habet. 1. ipso facto criminis perpetrati amittitur titulus, seu proprietas Beneficii, ita ut hoc ab eo tempore vacare inci- 129

piat,

piat, & ante omnem sententiam Judicis impetrari ab alio possit *arg. c. licèt 28. de Præb. in 6.* 2. ita privatus non facit suos, sed restituere tenetur fructus, à die commissi criminis ex Beneficio provenientes *Extrav. 2. int. comm. de Simon.* 3. Beneficium illud permutare, & in favorem alterius resignare non potest. Rebuff. *de pacif. possess. à n. 261.* 4. si moriatur, impetrari Beneficium illius ab alio potest, non tanquam vacans per mortem, sed tanquam vacans ex delicto; quia titulus, & proprietas Beneficii jam ante obitum fuerunt amissa. Azor *p. 2. l. 7. c. 17. q. 2.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 57. à n. 253.* Wiestner *hic n. 66.* Videantur dicta *n. 57. & 58.*

130 Dub. 2. quis sit effectus privationis per sententiam condemnatoriam Judicis? R. per hanc solùm inducitur privatio tituli à tempore latæ talis sententiæ. *Ex quo sequitur 1.* quòd ante talem sententiam Beneficium talis criminosi non possit impetrari. 2. quòd Beneficium tale ante ejusmodi sententiam possit ex causa permutationis, vel alio modo resignari. 3. quòd fructus antè sententiam perceptos faciat suos, & restituere eos non teneatur, licèt dudum ante commiserit crimen. Covar. *p. 2. de sponsal. c. 6. §. 8. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 17. n. 2.* Pirhing *tit. de concess. Præb. n. 27.* Engl *hic n. 9.* Wiestner *ibid. n. 68.*

131 Dub. 3. quando sit locus pœnæ privationis Beneficii ante crimen obtenti? R. locus ei duntaxat est in casibus Jure expressis. Azor *l. cit. c. 18.* Vallens. *l. 3. tit. 11. à n. 2.* Casus autem isti, & crimina, quæ eam merentur, in specie referri, aut sub una Regula comprehendi non omnia possunt. Imò in hac pœna dictanda locum esse argumento à simili, eámque imponi posse propter expressis similia, existimant. Abb. *in c. at si Clerici 4. de Judic. n. 38.* Selva *p. 3. de Benef. q. 3. n. 2.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 3.* qui tamen cum P. Wiestner *hic n. 69.* monent recentiora potiùs Jura, & Curiarum praxin in pœna ista dictanda, quàm veteres Canones à Judice attendendos, quòd hi ad privationis, & Depositionis pœnas multò, quàm nostrorum temporum corruptio, proniores sint.

132 *Secunda* est *Depositio.* Potest autem hoc nomen dupliciter accipi. 1. *magis genericè*, & eatenus continet sub se etiam Degradationem, de qua *n. 138. & seqq.* 2. *magis specificè*, ut significat pœnam quandam Ecclesiasticam, à Degradatione, & suspensione distinctam, & sic accepta *Depositio simplex* dicitur ad distinctionem à Degradatione, quæ est solennis Depositio, quando Clericus perpetuò removetur vel ab Ordine e. g. Episcopali, Sacerdotali &c. scilicet quoad exercitium ejus; nam Character, & Ordo manet: vel à Beneficio e. g. Parochia, Dignitate &c. vel ab officio e. g. Sacramentorum administratione, & Jurisdictionis usu: vel ab Officio, & Beneficio simul: vel denique ab Ordine, Officio, & Beneficio. *Ex quo patet*, pœnam istam esse Clericorum propriam; quia respectum dicit ad Beneficia, & munera Ecclesiastica. Extenditur tamen etiam ad Religiosos, etsi Clerici non sint, quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ: & ad Abbatissas; nam & istæ suspendi & deponi solent.

Dub. 1. quomodo Depositio simplex à Beneficio differat à privatione Beneficii? 133 R. simillima quidem huic est, cùm per utramque Beneficii titulus auferatur, & hanc ob causam *Abbas* quandoque illam ejusdem privationem nominat apud Suar. *D. 30. de Censur. sect. 1. n. 4.* differt tamen in hoc, quòd Depositio simplex ultra privationem Beneficii possessi ad idem, & alia Beneficia obtinenda inhabilitatem inducat, ut cum *cit.* Suar. *n. 5.* notat Wiestner *hic n. 71.* Reiffenstuel *ibid. n. 27.*

Dub. 2. quomodo differat à suspen- 134 sione? R. huic quidem affinis est Depositio simplex, adeò, ut aliquando cum ista à DD. confundatur, propriè tamen spectata differt in hoc, quòd Depositio ex natura sua sit perpetua, cùm tamen Suspensio vel non sit perpetua, vel si perpetua est, non ab Officio, & Beneficio ipsomet, prout facit Depositio, sed à Beneficii fructibus duntaxat, Officii administratione, & Jurisdictionis usu removeat. Suar. *D. 30. sect. 1. n. 4. & 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.* Gonzal. *in c. 2. de Cleric. excomm. ministr. n. 7.* Wiestner *hic n. 72.* Reiffenstuel *n. 27. ibid.* *Neque obstat*, quòd à Beneficio perpetuò suspensus id etiam amittat, cùm Beneficium habere non debeat, qui ejus fructuum perceptione perpetuò est interdictus; quia hæc amissio non inducitur ex vi suspensionis: & hinc suspensione relaxata, suspensus Beneficium retinet sine nova collatione, quæ tamen necessaria est Deposito ad ejus retentionem, Suar. *n. 4. cit.* Wiestner *n. 72. fin.*

Dub. 3. an Depositus retineat pri- 135 vilegia Canonis, & fori? R. affirmativè, nisi horum privilegiorum ademptio in sententia exprimatur, ut colligitur ex *c. cùm non ab homine 10. de Judic.* Et hinc Curiæ Sæculari tradi non potest, nisi crescente contumacia, propter incorrigibilitatem degradetur. Abb. *in c. at si clerici 4. §. de Adulteriis de Judic. n. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 81.* Suar. *D. 30. sect. 1. n. 8.* 13
Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 110. n. 3.* Engl *hic n. 11.* Wiestner *n. 73.* Ut autem non privatur privilegio, ita nec liberatur onere Clericali; obligatur proin Depositus non mi-

minùs ac suspensus, si in Sacris sit, ad persolvendum Pensum Canonicum, ut bene notant DD. & ratio probat; nam obligatio ista comitatur Ordinem Sacrum, etiamsi obligatus nullum Beneficium habeat. Ordo autem, ut jam dictum est, manet.

136 Dub. 4. ob quæ crimina à Jure imposita sit pœna Depositionis perpetuæ? R. plura referuntur à DD. sed cum Abb. *in c. at si Clerici cit. à n. 33.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 4. p. ult. n. 4.* Wiestner *hic n. 75.* distinguendum est inter tempora. Antiquo Jure Depositionis pœnâ vindicabantur Homicidium, furtum, perjurium, adulterium, & his majora; imò & minora *arg. c. at si Clerici cit. §. de adulteriis.* Nostro autem tempore hæc pœna infligi non solet, nisi reis criminum valde enormium, sive talium, quæ non solùm naturâ, & objecto, sed circumstantiis etiam, & adjunctis qualitatibus consideratis, publicè valde scandalosa, & atrocia prudentis arbitrio reputantur, ut sunt Homicidium voluntarium, ac præmeditatum, adulterium, vel stuprum violentum, furtum sacrilegium rei prætiosæ, fornicationes notoriæ, & insuper habitis monitionibus continuatæ, ut bene advertunt Abb. *n. 33. cit.* Laym. *n. 2.* Reiffenstuel *n. 30.* & colligitur ex *c. si autem 6. de cohabit. Cler. & mulier.* Trid. *sess. 22. in Decret. de observ. in celebr. Miss.* & *sess. 25. c. 14. de Reform.*

137 Dub. 5. utrum Episcopus cum Clericis, ob adulterium, & crimina eo non graviora depositis, post peractam pœnitentiam dispensare, eósque in pristinum statum restituere possit? *Videtur non posse*; nam ita depositus sit infamis *c. n. infames 17.* ibi, *Pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos caus. 6. q. 1.* atqui Clericos infamiâ notatos famæ restituere solus Papa, non autem Episcopus potest *arg. c. cùm J. & A. 25. de sent. & re judic.* & *l. hunc titulum 1. §. de qua 10. ff. de postuland.* ergo &c. Sed tenenda est affirmativa sententia ob textum *c. at si clerici 4. §. de adulteriis de Judic.* Abb. *ibid. n. 1.* Laym. *n. 5.* Barbos. *n. 8.* Gonzal. *n. 1.* Engl *n. 11.* Wiestner *n. 74.* Reiffenstuel *n. 28.* atque hanc potestatem restituendi depositos ob tale crimen Abb. *l. cit. n. 17.* & Gonzal. *n. 1. cit.* adstruunt etiam Capitulo, Sede vacante. *Ad Rationem dubitandi* dico *citt.* textibus Principi solùm reservatam esse directam famæ restitutionem; nam indirecta, & quæ per consequentiam quandam fit, §. *de qua cit.* Prætori permittitur.

138 *Tertia* est *Degradatio*, quâ Clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem solenniter, & authenticè privatur Ordine, Beneficio, Officio, & Statu Clericali, ita, ut transeat in potestatem Sæcularem, & ab ista instar Laici incarcerari, condemnari, ac puniri secundùm Leges Civiles possit. Engl *hic n. 12.* Wiestner *n. 76.* Reiffenstuel *n. 32.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 268.* Duplex est, una Verbalis, altera Realis. *Verbalis*, sive, ut etiam nuncupatur *Sententialis* est, quâ ejusmodi privationis sententia authentica solenniter promulgatur. *Realis*, quæ etiam *actualis*, & *Solennis*, dicitur est, quâ sententiæ ita latæ fit executio. Wiestner *n. 82.* Sola posterior privilegium Canonis, & fori aufert; nam si degradatus sit aliquis solùm verbaliter, adhuc privilegium illud retinet, dum executioni mandetur sententia: & in hoc Degradatio verbalis convenit cum Depositione. Differt autem ab illa, quòd ordinetur ad Degradationem actualem, ad quam à Degradatione verbali sine nova Sententia transiri potest; in Depositione autem, ut ab hac transiri ad Degradationem realem possit, opus est novâ sententiâ.

Dub. 1. quod sit discrimen inter De- 139
gradationem verbalem, & realem? R. est maximè triplex. 1. enim Degradatio Verbalis, ut *n. præc.* dictum est, non privat Clericum privilegio Canonis, & fori, privat autem Degradatio realis. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 110.* Pirhing *hic n. 19.*

2. Degradatio verbalis fieri potest ab Episcopo solùm confirmato, nondum consecrato, & quidem vel per se, vel per alium, cons. etiam per Vicarium Generalem; solennis verò à solo Episcopo consecrato: & ratio est, quia hæc est actus Ordinis Episcopalis, eidem ex institutione Ecclesiæ annexus: & hinc delegari non potest alteri, nisi Episcopo consecrato, at verbalis Degradatio est actus Jurisdictionis tantùm, quam etiam Episcopus confirmatus, nondum consecratus in Ecclesia sua habet. Barbos. *alleg. cit. n. 24.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 5.* Engl *hic n. 13.* Zoes. *n. 13.* Pirhing *n. 19.* Wiestner *n. 82.* Reiffenstuel *n. 40.* *Neque obstat*, quòd exequi sententiam Degradationis Episcopus non consecratus nequeat; quia novum non est quòd Judex judicare de causa possit, sententiam tamen non possit exequi, uti contingit, cùm executio facienda est in alterius territorio.

3. Actualiter depositus per solum 140
Papam restitui potest; verbaliter autem depositus per Episcopum, sed non per alium inferiorem. Sylv. *V. Degradatio fin.* Barbos. *l. cit. n. ult.* Est igitur Verbalis Degradatio mitior pœna, quàm Realis, & hinc quando in Jure, & Constitutione aliqua reperitur crimini alicui imposita pœna Degradationis, id intelligi debet de Verbali Degradatione, quippe leviori, non autem de actuali, quæ est

pœna graviſſima. Barboſ. *l. cit. n. 9.* Pirhing *n. 19. cit.*

140 Conveniunt autem Degradatio Verbalis, & Realis, quòd per neutram tollatur Clerico poteſtas Ordinis. Unde Sacerdos etiam actualiter Degradatus, ſi debitâ materiâ, & formâ utatur, validè adhuc conficit Sacramentum Euchariſtiæ: & hinc ſi reſtitueretur per Papam, non deberet de novo ordinari, ſed inſignia tantùm reſtitui; nam Character impreſſus manet, neque per hominem auferri poteſt, ſed ſolùm impeditur, ne licitè uti Degradatus poteſtate Ordinis poſſit.

141 Dub. 2. à quo fieri Degradatio Verbalis debeat, quas ob cauſas, & quomodo? R. *Ad 1.* ſi degradandus ſit Epiſcopus, vel Religioſus exemptus, ſecluſo privilegio, vel conſuetudine id quoad Religioſos ſibi ſubjectos permittente proprijs Prælatis Regularibus, Degradatio Verbalis fieri poteſt à ſolo Papa *can. accuſatus 5. can. quamvis 7. & c. cauſ. 3. q. 6. Compend. Privil. Societ. JESU V. Prælatus §. 3.* Navar. *l. 3. conſ. 58. n. 3.* Wieſtner *hic n. 78.* Si verò inferior quidam Clericus, ab Epiſcopo proprio, vel Sede vacante, à Capitulo, aut horum Vicario Generali, vel alio ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi, aut Capituli, Sede Vacante, ut colligitur ex Trid. *ſeſſ. 13. c. 4. de reform.* Engl *n. 13.* Wieſtner *n. 79.* Reiffenſtuel *n. 39.*

142 *Ad 2.* Crimina, propter quæ infligi Degradatio Verbalis poteſt, ſunt 1. Hæreſis manifeſta, & multò magis Apoſtaſia à Fide, ſaltem cùm quis in illam relapſus, vel in ea contumax eſt *c. ad abolendam 9. de Hæret. & c. ſuper eo 4. eod. in 6.* 2. falſificatio Litterarum Apoſtolicarum *c. ad falſariorum 7. de crim. falſ. & c. novimus 27. de V. S.* 3. contumelia gravis, calumnia, crimen inſidiarum, & conſpirationis in Epiſcopum *can. ſiquis 18. cauſ. 11. q. 1.* 4. Aſſaſſinium *c. pro humani 1. de Homicid. in 6.* ubi reus illius criminis, etiamſi nulla Excommunicationis, vel Depoſitionis ſententia præceſſerit, ab omnibus, dicitur diffidatus, & quaſi morti traditus. 5. Sodomia frequentata, h. e. non ſemel duntaxat, ſed ſæpius commiſſa, ex *Conſt. S. Pij V.* incipit *Horrendum editâ Calend. Sept. 1568.* 6. Celebratio Miſſarum, & auditio Confeſſionum Sacramentalium temere præſumpta ab eo, qui Sacro Presbyteratûs Ordine non eſt initiatus, ex *Conſt. Clem. VIII.* incipit *Etſi aliàs editâ 1. Dec. 1601.* 7. fabricatio & adulteratio Monetæ aureæ, vel argenteæ, aut ejus adulteratæ erogatio, vel expoſitio in Regnis, Provincijs, & Civitatibus Italiæ, ex *Conſt. Urbani VIII.* incipit *In ſuprema; editâ Idib. Nov. 1627.* 8. Adulterium, Concubinatus perſeverans poſt monitionem, Simonia notoria, ſtuprum, inceſtus, furtum, perjurium, homicidium, & alia crimina gravia, quæ Irregularitatem inducunt. Barboſ. *alleg. 110. n. 10.* Pirhing *hic n. 19.*

144 *Ad 3.* de Jure antiquo Degradatio Verbalis Epiſcopi fieri debuit præſentibus aliis 12. Epiſcopis, Presbyteri præſentibus ſex Epiſcopis, Diaconi verò, vel Subdiaconi præſentibus tribus: cùm verò degradandus erat aliquis in minoribus conſtitutus, ſufficiebat præſentia ſolius Epiſcopi proprii, & Capituli Cathedralis, vel duorum ſaltem, aut trium Canonicorum, qui repræſentant Capitulum, ut habetur *can. Felix 4. can. ſi autem 5.* & *can. Epiſcopus 6. cauſ. 15. q. 7. c. degradatio 2. h. tit. in 6.* & docet *ibid.* Gloſſ. *V. præſentia*, Sylv. *V. degradatio n. 1.* Zoëſ. *hic n. 10.* Pirhing *n. 17.* Reiffenſtuel *n. 41.* Jure autem novo Trid. *Seſſ. 13. c. 4. de reform.* contra Clericum, etiam in Sacris, & ipſo Presbyteratûs Ordine conſtitutum, non ſolùm ad condemnationem illius, & Depoſitionem Verbalem, ſed etiam ad Realem, & ſolennem degradationem procedi poteſt absque Epiſcoporum præſentia, *adhibitis tamen, & aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum Mitræ, & baculi habentibus, ſi in civitate, aut Diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſunt; alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac Juris ſcientiâ commendabiles exiſtant.*

145 Et hi quidem in tali Judicio, non conſultivum duntaxat, ſed deciſivum etiam ſuffragium habent: idque verum eſt non ſolùm ante *Trid.* prout patet ex *c. non poteſt 13. de ſent. & re judic.* ubi eos Judices fuiſſe obſervat *Gloſſa*; ſed etiam poſt illud, prout ex communiori docet Suar. *D. 30. de cenſur. ſect. 1. n. 20.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 110. n. 26.* Wieſtner *hic n. 80.* Reiffenſtuel *n. 42.* Et quidem ſi degradandus ſit Clericus minor, apud DD. ſatis receptum eſt, quòd ſufficiat, ſi Degradatio illius decernatur per majora ſuffragia; quia generaliter, quod à majore parte fit, ab omnibus factum cenſetur, niſi, ſpecialiter numerus major, vel unanimis omnium conſenſus Jure exigatur *c. cùm in cunctis 1. de his, quæ à major.* & *l. quod major 18 ff. ad municip.* Abb. *in c. non poteſt cit. n. 14.* Barboſ. *alleg. 110. cit. n. 29.* Wieſtner *n. 81.* Reiffenſt. *n. 43.*

146 An verò ad decernendam Degradationem Clerici in Sacris conſtituti, & Epiſcopo inferioris, numerus major ſufficiat, controverſia eſt inter DD. Eum ſufficere putant Gloſſ. *in c. non poteſt cit.* Sylv. *V. degradatio n. 1. & 3.* ob rationem allatam. Et confirmatur ex *can. ſi quis 1. cauſ. 6. q. 6.* ubi adverſùs Epiſcopos requiritur unanimis

nimis judicantium consensus, quo satis innuitur, eam concordiam non requiri ad condemnandos Clericos his inferiores. *Sed verius* omnium suffragantium consensum requiri docent Marant. *de Ord. Jud. p. 4. dist. 11. à n. 71.* Barbos. *alleg. cit. n. 28.* Wiestner *n. 81.* Reiffenstuel *n. 44.* & sumitur ex *c. non potest cit.* ubi de Depositione Clerici à Gradu Sacerdotali agitur, & diserte requiritur *sacerdotum sententia concors*: quo nomine, saltem cùm agitur de pœna, significari videtur Judicium, quo sententia, nemine discrepante, fertur *arg. c. in causis 30. de Elect.* ubi *factum concorditer* opponitur *facto à majori parte. Ex quo sequitur*, quòd in hoc casu vim non habeat Argumentum ductum à sensu contrario ex *can. siquis cit.* tum quia contrarium est Jure expressum, tum quia versamur in materia pœnali, in qua ejusmodi argumento non est locus, per tradita à Barbos. *commun. Jur. argum. loc. 27. n. 39.* Wiestn. *n. 81. fin.*

147 Dub. 3. à quo, & quomodo fieri debeat Degradatio Actualis? R. 1. fieri debet à proprio Episcopo, eóque consecrato, ut *n. 139.* dictum est; vel ex hujus commissione ab alio Episcopo, qui pariter debet consecratus esse. non autem à Prælato Regulari, etiamsi Degradandus sit hujus subditus: quia sicut collatio Ordinis est actus spiritualis pendens ab Episcopali Dignitate, ita & Ordinis ablatio; cujus enim ordinis est actus, ejus etiam est distractus, ut ait Zoes. *hic n. 7.* nisi consuetudine, aut privilegio aliud concessum sit.

148 2. Fieri debent in Ecclesia, vel alio loco sacro, assistentibus aliis Episcopis, vel Abbatibus, aut aliis, prout dictum est *n. 144.* & adhibitâ etiam solennitate in *c. degradatio 2. h. tit. in Pontificali Romano* præscriptâ, videlicet 1. Degradandus indutus Sacris vestibus, in manu habens librum, calicem, vel aliud instrumentum ad Ordinem suum spectans, acsi celebrare, si Sacerdos sit, vel si infra Sacerdotium sit constitutus, alium Ordinis sui actum exercere deberet, adducitur ad Episcopum. 2. adducto, & coram se stanti Episcopus, præsente Judice Sæculari, singula Ordinis insignia gradatim incipiendo ab illo, quod eidem in Ordinatione ultimo loco traditum est, usque ad id, quod cum prima Tonsura accepit, aufert: potéstque Episcopus, dum hæc ita fiunt, ad terrorem uti verbis oppositis illis, quæ in Ordinatione prolata sunt, v. g. dum aufert Sacerdotalia insignia: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & honore Sacerdotali privamus &c.* 3. ablatis omnibus Insignibus Clericalibus, tonderetur, & raditur caput, ut nullum appareat signum Clericatûs, & dicit Episcopus: *Auctoritate DEI Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & nostra auferimus tibi Habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & Privilegio Clericali.*

149 3. Sic degradatus traditur Curiæ Sæculari puniendus secundùm Leges Laicorum, quorum forum sortitur post Degradationem: Judex tamen Ecclesiasticus, dum illum Judici Sæculari tradit, efficaciter, h. e. seriò, & ex animo intercedit pro reo, ut citra mortis periculum sententiam circa eum moderari velit, ne ejus necem expetere, vel procurare videatur *c. novimus 27. de V. S. An verò hæc intercessio pro degradato necessaria sit ad evitandam Irregularitatem*, non conveniunt DD. Affirmant Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 6.* Oliva *p. 2. de For. Eccles. q. 11. n. 37.* & communis DD. teste Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. q. 1. n. 1.* ex ratione, quia traditio hæc est quædam cooperatio ad personæ degradatæ apprehensionem, & ad supplicium capitale, quod sequetur in Judicio Sæculari. ergo sicut per *c. Prælatis 2. de Homicid. in 6.* ad hoc, ne mutilatio, aut mors Rei intenta videatur, Clericus civiliter contra ipsum agens debet facere expressam protestationem, ita & Judex Ecclesiasticus, tradens Clericum Judici Sæculari, debet pro ipso intercedere. *Sed etsi securius sit*, ut talis intercessio præmittatur, præsertim quia ea, quamvis non sub Irregularitate, tamen expresè præscribitur *c. novimus cit.* verisimiliùs tamen Judex Ecclesiasticus, intercessionem tali casu omittens, per hoc Irregularis non efficitur. Ita Wiestner *hic n. 85.* Reiffenstuel *ibid. n. 46.* & inclinat Suar. *D. 47. de Censur. sect. 1. n. 12. Ratio est 1.* quia hanc intercessionem ad evitandam Irregularitatem requiri, non est ullo Jure cautum. igitur cùm Irregularitas non incurratur, nisi in casibus Jure expressis, eam intercessionem omittens ab Irregularitate immunis erit. 2. in dubio Juris Irregularitas non contrahitur, ut dictum est *n. 83.* atqui in casu præsenti est dubium Juris; dubitatur enim, an Jus Irregularitatem decreverit in Judicem Ecclesiasticum, qui intercessionem omiserit. 3. non magis cooperatur pœnæ sanguinis Judex Ecclesiasticus intercessionem hoc casu omittens, quàm cooperetur Prælatus causam sanguinis particularem delegans cum expresso mandato, ut delegatus Justitiæ debitum exequatur, atqui iste sic delegando non incurrit Irregularitatem, ut dictum est *Tit. 12. n. 103. Ex quo patet ad Argumentum contrarium*: dico enim, omissionem hanc non posse haberi pro cooperatione propriè dicta; neque enim Judex Ecclesiasticus Clericum degradatum tradit ad pœnam sanguinis, sed solùm declarat, illum non ampliùs gaudere privilegio Clericali, &

Curiæ Sæculari subjectum esse, qua declaratione facta, deinde minister Curiæ Sæcularis eundem apprehendit. *Ad id, quod additur* ex *c. Prælatis cit.* dico ibi proponi casum diversum ab eo, qui proponitur *c. novimus cit.* à diversis autem ad diversa non fit illatio *l. inter stipulantem 83. §. sacram. 5.* ibi, *sed hæc dissimilia sunt ff. de V. O.*

150 4. Denique sequitur pœna taxata à Judice sæculari, & hæc quidem ordinaria, si reus sit convictus verè de crimine, & remissionem à Summo Pontifice non consecutus fuerit, aut Judex Judicis Ecclesiastici intercessioni deferre voluerit. Gratiæ tamen Pontificiæ in hoc casu hodie vix locus est, cùm in hunc finem præsentes esse Judices sæculares, iique, cùm jam ante Degradationem instructi sint super Processu, in continenti Degradatum sibi traditum ad pœnam ordinariam condemnare, & ad executionem procedere soleant, ut cum majori exemplo coram omni populo, qui ad actum Degradationis accedit, pœna infligatur. Diaz *pract. crim. can. c. 141.* Zoes *hic n. 12.* Quodsi tamen reus appellare voluerit, secundùm Diaz *l. cit.* est audiendus, & si probet innocentiam suam, restituendus ad pristinum Ordinem: quod fiet ab Episcopo, assistentibus, si fieri queat, aliis Episcopis, Prælatis, & Viris in dignitate constitutis, qui suffragiis suis ad Degradationis sententiam sunt cooperati, & adhibita solennitate ibi præscripta, scilicet traditione rerum, seu instrumentorum, ac vestium, quæ in Clericorum ordinatione adhiberi solent, & per Degradationem erepta eidem sunt, juxta *Decretum Conc. Tolet. IV.* relatum *can. Episcopus 65. caus. 11. q. 3.* Abb. *in c. at si Clerici 4. §. de adulteriis n. 14. de Judic.* Suar. *D. 30. de Censur. sect. 2. n. 10.* Bonac. *D. 4. p. un. n. 20.* Pirh. *hic n. 97.* Et hic est casus, quo Episcopus Degradatum potest restituere: proceditque, quandocunque aliàs Degradatio injusta fuerit, ut si sententia lata est in Reum non auditum, vel non confessum, aut legitimè convictum, vel ex depositionibus, aut instrumentis falsis; alioquin si justa degradatio fuerit, ita degradatus, restitui non ampliùs potest, nisi à solo Pont. prout dictum est *n. 140.* & notat Suar. *n. 10. cit.* Bonac. *n. 1.* Barbos. *alleg. 110. n. 32.*

Dub. 4. quando Judex Ecclesiasti-
151 cus degradatum valeat tradere Curiæ Sæculari? Occasionem dubio huic præbet *c. cùm non ab homine 10. de Judic.* ubi Clericus, si furti, homicidii, perjurii, vel alterius cujuscunque gravis delicti reus sit, jubetur primùm deponi: deinde si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari: si creverit contumacia, anathematis mucrone feriri: & demum, si in profundum malorum veniens contempserit, degradari, & Curiæ Sæculari tradi. Hinc plurimùm controvertunt DD. an Clericus, si parricidii, homicidii proditorii vel sacrilegi, aut alterius criminis valde enormis reus sit, statim, dictis pœnarum gradibus non observatis, tradi Curiæ sæculari possit?

Affirmant Anchar. *in c. 10. cit. à n.* 152
10. Abb. *in c. 4. de Judic. n. 38.* & alii plures relati à Farin. *prax. crim. q. 8. n. 81.* qui proinde putant *c. cùm non ab homine cit.* dum observari ordinem pœnarum præcipit, intelligendum de simplici solùm homicidio, & furto, non de qualificato, aut aliis criminibus valde enormibus. *Moventur 1.* quia *c. siquis 1. de Homic.* Clericus, qui per insidias homicidium fecit, jubetur ab Altari avelli, ut moriatur. *2. c. novimus 27. de V. S.* dicitur propter admissum falsi, vel aliud damnabile crimen Clericum degradatum esse tradendum Curiæ Sæculari. *3. can. sunt quædam 30. caus. 23. q. 5.* dicuntur quædam enormia flagitia potiùs per Mundi Judices, quàm Ecclesiarum Antistites corrigenda esse. *4.* pœnæ delictis ita commensurari debent, ut, quod gravius est, graviori pœnâ vindicetur, hoc autem non fieret, si in homicidio qualificato, & aliis atrocissimis criminibus idem observaretur pœnarum ordo, qui observatur in furto, & homicidio simplici. *5.* pro hujusmodi delictis excessivis Ecclesia non habet, quod faciat, cùm non habeat pœnam pro his condignam. *6* crimen falsi, commissi circa Litteras Apostolicas, minus est crimen, quàm parricidium, homicidium sacrilegum &c. ergo cùm ob illud, non exspectata incorrigibilitate, reus degradatus statim Curiæ Sæculari tradendus sit *c. novimus cit.* ita tradendus erit ob ista per argumentum à minori ad majus.

Sed dicendum, spectato Jure com-153
muni, non posse Clericum ob crimen quantumcunque grave, nisi in casibus Jure expressis, Curiæ Sæculari tradi, quamdiu incorrigibilis declaratus non est. Ita Host. *in c. 1. de Homicid. n. 2.* Aretin. *in c. cùm non ab homine cit. à n. 51.* Berojus *in c. at si Clerici cit. n. 181. v. mihi autem.* Placha *Epitom. Delict. l. 1. c. 22. n. 43.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 7.* Farin. *prax. crim. q. 8. n. 81.* Fagn. *in c. cùm non ab homine cit. n. 6.* Pignat. *tom. 7. consult. 33. à n. 25.* Wiestner *hic n. 88.* Sumitur ex *c. cùm non ab homine cit.* ubi generaliter statuitur, tunc primùm Clericos tradendos Curiæ Sæculari, cùm Ecclesia non ampliùs habet, quod faciat ad eorum correctionem, atqui si pœnarum ordinem ibi assignatum nondum adhibuit Judex, Ecclesia adhuc habet, quod faciat ad eorum correctionem, antequam descen-

descendat ad gradum ultimum, videlicet traditionem Curiæ Sæculari. ergo &c.

154 *Conf. 1.* ex *c. Clerici 4. de Excess. Prælat.* ubi ob crimen Sodomiæ, utique gravissimum, Clerici istius rei excommunicari, & *c. tuæ 6. h. tit.* ubi ob latrocinium, aliáque gravissima crimina Clerici deprehensi à suis Ordinibus deponi, & in arctum Monasterium jubentur detrudi ad agendam pœnitentiam: & denique *c. felicis h. tit. in 6.* ubi occisor Cardinalis cogitur ita vivere (in carcere) ut mors ei non sit gravior vitâ, & non statim traditur Curiæ Sæculari. igitur non ob quodcunque etiam gravissimum crimen, nisi Jure expressum sit, Clericus Curiæ Sæculari tradi debet, sed observandus est Juris ordo, atque pœnarum gradus.

155 *Conf. 2.* quia in Jure expressi sunt casus speciales, quibus statim degradari, & Curiæ Sæculari tradi Clerici jubentur: unde cùm Exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, dicendum erit, quòd extra casus Jure exceptos per se loquendo, & spectato communi Jure Clericus nequeat, ob quodcunque crimen statim Curiæ Sæculari tradi, sed observandus erit ordo pœnarum in Jure statutus.

156 Dixi autem, *spectato Jure communi*; nam de consuetudine possunt, non exspectata incorrigibilitate, statim Curiæ Sæculari tradi Clerici, antè tamen degradati, si rei sint criminum valde enormium, e. g. parricidii, fratricidii, occisionis Prælati sui, homicidii proditorii, vel per insidias, sacrilegæ expilationis Ecclesiæ, Magiæ, præsertim si iterata sint: & ita aliquando traditos testis est *Diaz*, *Decianus*, & alii apud Fagn. *l. cit. n. 31.* qui tamen *n. 105.* salubriter consulit, ut, cùm hujusmodi Degradationem, ac traditionem exigere videtur Criminis à Clerico perpetrati enormitas, ad eam, consulto Summo Pont. procedatur. Wiestn. *hic n. 90.*

157 Addidi, *nisi in casibus Jure expressis:* Tales sunt septem priores *n. 143.* relati, in quibus non observandus est pœnarum ordo, sed statim post Degradationem reus tradi Curiæ Sæculari potest. In reliquis criminibus, quantumcunque enormibus, nisi contrarium habeat consuetudo, exspectanda est incorrigibilitas ut teste Zoes. *n. 13.* communis habet sententia: & hinc si spes emendationis appareat, deponendus quidem erit reus, non tamen tradendus Curiæ Sæculari, sed damnandus ad perpetuos carceres. Incorrigibilis autem ut dici Clericus possit, videtur requiri sententia Judicis declarativa incorrigibilitatis, & quòd non habeat aliud, quod facere ad correctionem illius possit, quàm ut eum tradat brachio Sæculari.

Neque obstant argumenta *n. 152.* in 158
contrarium allata. *Ad 1.* sensus *c. cit.* est valde incertus, ut propter nimiam interpretum ejus variationem utile vix esse possit ad controversam aliquam quæstionem ex eo decidendam. *Ad 2.* per *aliud damnabile crimen* denotatur crimen aliud, cui Degradatio Jure specialiter imposita est; cùm enim Dictio *aliud* plerumque sit repetitiva similium, aliud flagitium intelligitur simile ejusmodi falsificationi, ac proinde expressum, exceptúmque in Jure, ut notat Fagn. *in c. cùm non ab homine cit. n. 50.* Oliva *p. 2. for. Eccl. q. 12. n. 4.* Wiestn. *hic n. 87.* *Ad 3.* ibi sermo est de Laicis, Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum occidentibus, & non de Clericis id præsumentibus. *Ad 4.* Ecclesiæ non desunt pœnæ delicto commensuratæ; nam pœnæ ærumnosi carceris, triremium, aliæque similes ita exasperari possunt, ut, qui gravius deliquit, etiam gravius, & juxta merita castigetur. *Ad 5.* jam ostensum est, quid Ecclesia habeat adhuc ad correctionem Rei, scilicet pœnarum ordinem, usque dum pateat, eum incorrigibilem esse. *Ad 6.* argumento à minori ad majus in pœnis locus non est; nam istæ ad casus expressis similes, & ad majores etiam propter identitatem, vel majoritatem rationis non porriguntur *arg. Reg. factum 155. §. fin. ff.* & *Reg. in pœnis 49. in 6.*

Dub. 5. an Judex Sæcularis adver- 159
sùs Clericum degradatum novum Processum formare valeat, aut stare teneatur formato à Curia Ecclesiastica? *Certum est* non posse eum cognoscere de actu Degradationis, sive de justitia condemnationis ad Degradationem, & ipsius actûs, quo omni privilegio Clericali exutus, & Curiæ Sæculari traditus est; quia talis Sententiæ prolatio est actus Jurisdictionis Spiritualis, & executio Ordinis Episcopalis. igitur de iis cognoscere judicialiter Judex Sæcularis nequit *c. decernimus 2. c. quanto 3. de Judic. c. si Judex 12.* ibi *Quia de re spirituali, & Ecclesiastica est, de Sent. Excomm. in 6.* Wiestn. *n. 91.* Reiffenst. *n. 49.*

Controversia solùm est, an cogno- 160
scere possit de crimine, ob quod talis Clericus est degradatus, & Curiæ Sæculari traditus? R. distinguendo, utrum scilicet crimen hoc sit mixti fori, an Ecclesiastici tantùm. *Si primum*, ut est Assassinium, Sodomia, adulteratio monetæ &c. Judex Sæcularis non tenetur stare Processu Judicis Ecclesiastici, sed in arbitrio ipsius est, utrum Clericum sibi traditum secundùm Processum Judicis Ecclesiastici sibi porrectum velit condemnare ad pœnam Legibus definitam, postquam eum

eum de crimine confessum, aut legitimè convictum invenerit, an verò novum super hoc Processum instituere, juxta *Novell. 123. c. 21. §. 1.* Abb. *in c. 1. de Offic. Ord. n. 12.* Felin. *in c. 9. de Hæret n. 5.* Clar. §. *fin. q. 96. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. n. 6.* Oliva *p. 2. For. Eccl. q. 13. à n. 13.* Engl *n. 15.* Reiffenstuel *n. 51.* Ratio est, quia cùm tali casu crimen mixti fori sit, & Judex de valore Processûs à Judice Ecclesiastico facti non indaget, sed absolutè novum juxta Leges instituat, nullo modo materiæ, aut Jurisdictioni Ecclesiasticæ se immiscet.

161 *Si secundum*, & crimen ob quod degradatus est Clericus, sit fori Ecclesiasti tantùm, ut est Hæresis, Apostasia, sacrilega celebratio Missæ, auditio Confessionis Sacramentalis &c. tenetur Judex Sæcularis stare Processu, & sententiâ Judicis Ecclesiastici, eámque executioni mandare. Abb. *in c. 9. de Hæret. n. 12.* Felin. *ibid. n. 5.* Franc. *in c. 18. de Hæret. in 6. n. 3.* Clar. §. *fin. q. 97. n. 7.* Diaz *pract. crim. c. 141. n. 2.* Castro *de Hæret. punit. c. 13.* Laym. *cit. n. 6. fin.* Oliva *q. 13. cit. n. 1.* Engl *n. 15.* Wiestner *n. 93.* Reiffenstuel *n. 50.* sumitur ex *c. decernimus*, *c. quanto*, *c. si Judex citt.* item ex *c. ut inquisitionis 18. de Hæretic. in 6.* ibi, *Prohibemus quoque districtiùs potestatibus, dominis temporalibus, & rectoribus, eorundémque officialibus suprà dictis, ne ipsi de hoc Hæreseos crimine (cùm merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel judicent* &c. Ratio est, quia hujusmodi criminum cognitio Judicialis, cùm involvat quæstionem Juris, atque ex SS. Litteris, & SS. Canonibus petenda sit, Jurisdictionem spiritualem, & Ecclesiasticam exigit, cujus Laici, seclusa Delegatione Apostolica, incapaces sunt: cons. in tali casu Judex Laicus est merus executor. sícque exequi sententiam, à Judice Ecclesiastico latam debebit, nisi ista notoriè nulla, vel injusta sit; nam tunc, ut alii executores, sententiam exequi non tenebitur *c. inter cæteras 9. de sent. & re jud.*

Dub. 6. an Clericus realiter degra- 162a
datus à Sæculari Judice torqueri valeat? Negat Marta *p. 4. de Jurisd. cas. 132. n. 1.* cum nonnullis aliis VV. Rationem dat, quia Clericus degradatus retinet Ordinis Characterem; & si initiatus aliquando Sacerdotio fuit, validè SS. Christi Corpus, & sanguinem conficit, atque ad Horas Canonicas manet obligatus.

Sed dicendum, posse talem Cleri- 163
cum à Judice Sæculari sine ullo Excommunicationis periculo torqueri. Gloss *fin. in c. 2. b. tit. in 6.* Franc. *ibid. n. 4.* Navar. *Man. c. 27. n. 81.* Suar. *D. 30 de Censur. sect. 2. n. 7.* Wiestner *hic n. 94.* & patet ex verbis in Degradatione adhiberi solitis, *Exuimus te omni privilegio Clericali.* Quin Sylv. *V. Degradatio n. 8* putat, privilegium Canonis absque alia declaratione amitti à Clerico, si post verbalem Depositionem incorrigibilis sit, idque desumit ex *c. cùm non ab homine cit.* Sed malè; quia contrarium planè liquet ex ipso textu, ubi exigitur, ut depositus, si incorrigibilis appareat, Excommunicationis, ac dein Anathematis, sive solennis execrationis mucrone feriatur: & demum, si ne sic quidem resipiscat, omni privilegio per sententiam nudatus relinquatur Curiæ Sæculari, ut adeò Excommunicationem incurrat, qui in eum, etiam incorrigibilem, ante ejusmodi sententiam violentas manus injicit *can. siquis suadente 29. caus. 17. q. 4.*

Ad Rationem in contrarium allatam 164
dico, privilegium Canonis non competere Clerico vi Characteris, sed ex Jure Ecclesiastico, quo privilegium istud conceditur personis Ecclesiasticis, etiam nullo Ordine initiatis: cons. per idem Jus etiam auferri potest. Quod additur, talem Clericum adhuc manere obligatum ad Horas Canonicas, id indè fit, ne ita degradatus ex malitia sua reportet commodum, contra Regulam *c. intelleximus 7. de Judic. & c. contingit. 9. de Dolo.*

§. IV.

De Pœnis Ecclesiæ Temporalibus.

SUMMARIUM.

165. *Definitio Infamiæ, & divisio in Infamiam Juris, & facti.*
166. *Quot modis contrahatur infamia Juris?*
167. *Quinam infames fiant Sententiâ Judicis?*
168. *Pœnæ genere quando infamia irrogetur?*
169. *Quando infamia oriatur ex delicto alieno?*
170. *Vel ex Officio?*
171. &c. *Qui sint Effectus Infamiæ sive Juris, sive facti?*
174. &c. *Quomodo tollatur Infamia?*
177. *Quomodo declinare illam possit actione injuriarum civiliter conventus?*
178. &c. *An Judex Ecclesiasticus infligere possit pœnam pecuniariam?*
182. &c. *Quibus usibus applicanda sit pœna ista ab eo imposita?*
185. &c. *Quid observandum, cùm victus victori condemnatur in Expensas?*
191. *Quando Incarceratio decerni in Clericos possit?*
192. &c. *An etiam pœnæ causâ?*
196. &c. *An Clerici Torturæ subjici possint?*
200. &c. *Cui cedant bona Clericorum fisco addicta?*
202. *Ob quæ delicta olim decreta fuerit detrusio in Monasterium?*
203. *An pœna hæc hodie sit in usu?*
204. *Quando à Judice Ecclesiastico decerni possit Verberatio?*
205. *Et exilium?*

165 INter pœnas Ecclesiæ Temporales, quia animum afficit, præcipua est *Infamia*: de hac

Dub. 1. quid sit *Infamia*? R. est privatio bonæ famæ; quæ cùm dignitatis, & existimationis illæsæ status, Legibus, ac moribus comprobatus, & in nullo diminutus sit *l. cognitionum 5. §. existimatio 1. ff. de extraord. cognit.* hinc Infamia ei opposita definiri poterit, quòd sit *status ejusmodi, Legibus, ac moribus comprobati, læsio, seu diminutio ob publicam, sinistramque de persona opinionem, ortam ex vitio.* Tholos. *l. 31. synt. c. 29. n. 5.* Suar. *D. 48. de Censur. sect. 1. n. 1.* Wiestner *hic n. 52.* Reiffenstuel *n. 52.* Duplex autem infamia est, alia facti, alia Juris. *Facti infamia* nascitur ex ipsa, soláque inhonesti operis, vel defectûs, apud probos, & honestos viros notam afferentis, & boni nominis existimationem diminuentis, turpitudine manifesta *l. neque famosis 2. C. de Dignit.* *Juris infamia* dicitur, quæ authoritate Legis, vel Canonis ob turpe factum decernitur. Hæc sola pœnæ rationem habet: ac proin de ista.

166 Dub. 2. quot modis contrahatur infamia Juris? R. tribus, ipso Jure, sententiâ Judicis, & genere pœnæ. *Ipso Jure* contrahitur, cùm tale quid perpetratum est, quod ante Judicis sententiam Leges, vel Canones probro, & ignominiâ dignum judicant, cujusmodi facta, & crimina sunt Lenocinium exercitum prostitutione quæstionaria fœminæ, aut maris, quæstus usurarius, & alia passim, quibus infamiam vel Jus Canonicum, vel etiam Civile decrevit; nam Jure Civili infames, etiam Jure Canonico pro talibus habentur *can. omnes 2. caus. 6. q. 1.* nisi hoc Jus infamiam expresè tollat. Felin. *in c. testimonium 54. de testib. n. 15.* Tholos. *l. 31. Synt. c. 29. n. 9.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 8. n. 11.* Suar. *D. 48. sect. 1. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 1.* Barbos. *in can. omnes cit. n. 1.* & *de Offic. Episc. alleg. 43. n. 2.* Antonell. *de Regim. Eccl. Episc. l. 2. c. 6. n. 6.* Wiestner *hic n. 54.* Reiffenstuel *ibid. n. 54.* Magnif. P. Schmier *tr. de Potest. Ord. c. 6. n. 502. & 503.* Ut tamen hujusmodi crimen actu infamet, necesse est, ut illud sit publicatum; quia Infamia secundam dicta *n. præc.* est diminutio famæ, seu bonæ existimationis, quæ actu non diminuitur, quamdiu delictum occultum manet. Abb. *in c. 4. de temp. ordin. n. 4.* Navarr. *Man. c. 27. n. 248.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 2.* Sanch. *l. 2. mor. c. 26. n. 1.* Wiestner *hic n. 55.* Reiffenstuel *n. 57.* Non tamen opus est ullâ sententiâ etiam declaratoriâ criminis: imò qui ejusmodi criminis evulgationem prævidet, ab actibus Irregulari ex infamia interdictis abstinere debet etiam ante evulgationem. Laym. *c. 4. cit. n. 9.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 20. n. 3.* Wiestner *n. 55.*

Judicis sententiâ infames fiunt 1. qui 16
ex accusatione condemnati sunt de delicto publico, h. e. tali, cujus accusatio cuilibet de populo permissa est *§. publica 1. Inst.* & *l. infamem 7. ff. de Publ. Jud.* qualia sunt crimen læsæ Majestatis, proditionis, falsi &c. 2. condemnati de rapina, furto, expilata hæreditate, & de injuria, etiam non atrociori; quantumvis enim hæc delicta privata sint, subsecuta tamen Judicis condemnatione, infamiam & ipsa irrogant *l. infamem cit. l. Decuriones 5. l. si fur-*

ti 8. l. si te expilâsse 12. C. ex quib. caus. infam. irrog. 3. qui ne de his criminibus accusarentur, dato pretio pacti sunt *l. Athletas 4. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* 4. qui doli mali in contractu societatis, in tutela, mandato, depositoj, in alicujus criminis accusatione commissi, item qui calumniæ, aut prævaricationis, in publico Judicio perpetratæ, damnati sunt *l. fustibus 6. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Neque necesse est, ut in sententia infamiæ expressa fiat mentio, dummodo in ea expressum sit crimen. Perez *in C. tit. cit. n. 12.* Wiestner *hic n. 56.* Reiffenstuel *n. 58.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c. 6. n. 514.* Ipsa tamen sententia debuit fuisse valida, & transisse in rem judicatam *l. furti 6. §. sed si furti 1. ff. de his, qui not. infam.* Sylv. *V. infamia n. 12.* Molin. *tr. 4. de J. & J. D. 9. n. 4.* Suar. D. *48. sect. 1. n. 6.* Perez *l. cit. n. 9.* Wiestner *n. 56.* Reiffenstuel *n. 58.* Schmier *n. 513.*

168 *Pœnæ genere* infamia irrogatur ei, qui ignominiæ causâ exauthoratur militiâ, ordine movetur, vel honoribus interdicitur *l. Prætoris 1.* & *l. quod ait 2. pr. ff. de his, qui not. infam. l. etsi 3. ex quib. caus. infam. irrog.* Item deportato, vel ad tempus in opus publicum damnato *l. ad tempus 6. C. eod.* Item fustibus cæso, ex justa tamen causa; quia non tam fustigatio, quàm causa, propter quam fustium ictus quis meruit, infamat. *l. ictus 22. ff. tit. cit. l. fustibus cit.* Perez *l. cit. n. 10.* Wiestner *n. 57.* cum aliis. Neque obstat *l. nullam 14. C. eod.* ubi definitur, per fustigationem publicam non incurri infamiam; nam ut recte Molin. *D. 9. cit. n. 19.* & Palao *tr. 29. D. 6. p. 20. n. 4.* explicant, hæc Lex loquitur, quando pœna ista infligitur causâ indagandæ veritatis: quo casu infamiam fustigatio publica post se non trahit.

169 Oritur etiam quædam Juris infamia aliquando ex delicto alieno. Et sic infames sunt filii, ac nepotes parentum, qui violentas manus injecerunt in S. R. E. Cardinalem *c. felicis 5. ℣. quodsi quis h. tit. in 6.* filii perduellium, & proditorum, qui commiserunt crimen læsæ Majestatis *l. quisquis 5. C. ad Leg. Jul. Majest.* uti & illegitimè nati. Sed hi pro talibus solùm habentur respectu aliquorum tantùm effectuum Jure expressorum; nam licèt Ecclesiastico Jure ab Ordinibus, & Beneficiis repellantur, ad testimonium tamen in Judicio dicendum, ad Tabellionatûs, & alia munera admittuntur. Molin. *D. 7. n. 5.* Laym. *c. 4. cit. n. 1. ℣. altera.* Wiestner *n. 58.*

170 Item nascitur quandoque etiam Infamia ex officio; sunt enim aliqua Officia ita vilia in Rep. ut ea exercentibus infamiam irrogare videantur. Hujusmodi est officium Histrionum, qui olim se pretio conducebant ad spectaculum sui corporis exhibendum, sive qui obscœna publicè repræsentabant *l. Prætoris 1. l. quod ait 2. §. fin. cum duab. seqq. ff. de his, qui not. infam.* Isdem alicubi accensetur officium Carnificum, lictorum quorundam, & similium. Et extenditur in Germania hæc parentum infamia etiam ad illorum filios, cùm non solùm à dignitatibus, & officiis publicis, sed ab opificiis quoque, & mechanicis muneribus arceantur. Laym. *n. 1. cit. in fin.*

Dub. 3. qui sint effectus Infamiæ sive Juris, sive facti? 171 §. 1. excluduntur à Dignitatibus, & honoribus *l. neque famosis 2. C. de Dignit. Reg. infamibus 87. in 6.* ibi *Infamibus portæ non pateant Dignitatum*, præsertim Ecclesiarum; quia hæ, sicut & cætera Beneficia Ecclesiastica non nisi à probatis, & integræ existimationis personis administrari debent *c. inter dilectos 11. de excess. Prælat.* Abb. *in c. 10. de Jurejur. n. 3.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 3.* Molin. *tr. 4. de J. & J. D. 11. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 5.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 20. n. 10.* Wiestner *hic n. 59.* Reiffenstuel *ibid. n. 60.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ord. c. 6. n. 487.* estque collatio talibus facta ipso Jure irrita, saltem pro foro externo. Abb. *in c. inter cit. n. 8.* Navar. *Man. c. 27. n. 207.* Selva *p. 3. de Benef. q. 5. n. 31.* Molin. *l. cit.* nam in foro interno, & conscientiæ provisionem hujusmodi subsistere putant Garc. *p. 7. de Benef. c. 8. n. 47.* & Palao *n. 10. cit. ℣. cæterùm*; quòd nullo Jure pro hoc foro sit irritata.

2. Removentur ab actibus legitimis, & publicis muneribus, ut sunt Officia Judicis, Assessoris Advocati, Tabellionis, Accusatoris adeò, ut neque ad testimonium dicendum sint admittendi *c. testimonium 54. de testib. l. testium 3. §. ideóque 1. ff. eod.* Idem si deliquerint, severiore, quàm alii, pœnâ coërcentur, & repelluntur ab hæreditate testamento relictâ, non solùm si Parentes, sed etiamsi fratres, aut sorores de inofficioso agant *l. fratres 27. C. de inoffic. testam.* Perez *in C. ex quib. caus. infam. irrog. n. 6.* Wiestn. *n. 60.* Reiffenst. *n. 61.* Schmier *n. 479.* 172

3. Sunt Irregulares, ut neque promoveri ad Ordines, neque in susceptis ministrare possint *can. fin. dist. 51. can. infames 17. caus. 6. q. 1.* quia in sortem Domini, & ad ministerium Sacrum puri tantùm, & immaculati nominis homines debent cooptari. Navar. *c. 27. cit. n. 204.* Suar. *D. 48. sect. 2. n. 1.* Avil. *p. 7. D. 4. dub. 5.* Coninck *D. 18. dub. 7. circ. fin.* Bonac. *D. 7. de Irregul. q. 3. p. 1. pr.* Laym. *c. 4. cit. n. 8.* Wiestner *n. 61.* Reiffenstuel *n. 59.* Est tamen discrimen inter prædictos infames; nam infames infamiâ Juris simpliciter 173

sunt

sunt Irregulares, quia Irregularitas eorum perpetua est: at infames infamiâ facti sunt tantùm Irregulares secundùm quid; quia Irregularitas illorum vitæ emendatione cessat. Palao *p. 20. cit. n. 9.*

174 Dub. 4. quomodo tollatur Infamia? *R. Infamia solius facti*, ut primùm dictum est, tollitur facto contrario, sive publica, & constanti emendatione, saltem si hæc per triennium continuata sit. Abb. *in c. 21. n. 2. de accusat.* Sylv. *V. infamia n. 11.* Clar. *§. fin. q. 21. n. 1.* Henriq. *l. 14. c. 5. n. 3.* Suar. *D. 48. sect. 2. n. 6.* Molin. *tr. 4. D. 10. n. 1.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 8. n. 64.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 43. n. 21. & seqq.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 20. n. 14.* Antonell. *de Regim. Eccl. Cath. c. 6. n. 17.* Pirhing *de temp. Ordin. n. 19.* Wiestn. *hic n. 64.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c. 6. n. 549.* & colligitur ex *can. si duo 4. caus. 35. q. 6.* ibi *Infames effectos, donec ab incesti facinore desistant*; aperteque traditur *can. nunquam 4. dist. 56.* ubi relatus S. Chrysostomus, *ad meliora*, inquit, *conversum nequaquam prior vita commaculat.* Ratio est, quia Infamia facti adhæret facto, cons. hoc per vitæ emendationem abolito, hoc ipso cessat tam infamia, quàm Irregularitas ex ea orta. *Ex quo sequitur*, quòd Irregularitas hæc non sit propriè dicta; nam propriè dicta Irregularitas solùm tolli per dispensationem potest, Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 10. fin.*

175 Contrà *Infamia Juris* durat perpetuò *l. ad tempus 6. C. ex quib. caus. infam. irrog.* nisi à Principe, cujus authoritate imposita est, aboleatur *can. Euphemium 7. §. hinc colligitur caus. 2. q. 3.* Wiestner *n. 62.* Tollere autem Irregularitatem hanc potest respectu Clerici Pontifex, undecunque sit orta, utpote cujus supremæ Jurisdictioni subjectus est Clericus. Palao *p. 20. cit. n. 13.* Wiestn. *n. 63.* Schmier *n. 540.* Circa Laicos distinguendum est inter subditos Jurisdictioni temporali Papæ, & inter non ita subditos. Circa *priores* Irregularitatem tollere potest Pontifex; circa *posteriores* non potest quoad effectus indictos infamibus Jure Civili, potest autem quoad indictos Jure Canonico: quia verò non expedit, ut tales promoveantur ad Ordines, & Beneficia antequam in pristinum bonæ famæ statum restituantur à Principe, vel alio supremo Magistratu Sæculari, idcirco Papa non solet Irregularitatem istorum tollere, antequam à Principe Sæculari restituantur famæ. Molin. *D. 12. n. 3.* Palao *n. 13. cit.* Wiestner *n. 63.*

176 Si Princeps, vel Magistratus Sæcularis aboleat infamiam, Jure Civili, etiam à SS. Canonibus generaliter recepto, indictam, Irregularitas in ea fundata omnino cessat, adeò, ut persona famæ, sic restituta ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica, sine alia Dispensatione valeat promoveri. Secus est, si infamia sit specialiter inducta per Jus Canonicum, qualis est, quam incurrunt Hæretici, Usurarii manifesti, binas nuptias simul habentes &c. nam ista quoad effectus Canonicos per restitutionem famæ, à Principe Sæculari factam, non aboletur: cons. ut ad Ordines &, Beneficia Ecclesiastica eâ laborantes promoveri possint, opus habent Dispensatione Apostolica. Sylv. V. *infamia n. 17. & seqq.* Suar. *D. 48. sect. 2. n. 10.* Laym. *c. 4. cit. n. 10.* Antonell. *de Regim. Eccl. Cath. l. 2. c. 6. n. 13.* Wiestn. *hic n. 63.* Schmier *n. 546. & seqq.*

177 Dub. 5. quomodo declinare Infamiam possit actione Injuriarum civiliter conventus? *R.* hanc declinare potest tribus maximè casibus. 1. si authoritate Judicis ante sententiam transigat cum injuriam passo *l. furti 6. §. pactúsque 3. ff. de bis, qui not. infam.* 2. si per Procuratorem stet in Judicio, & in Procuratorem feratur sententia *l. furti cit. §. siquis alieno 2. & l. Lucius 21. ff. cod.* Secus est, si criminaliter conveniatur; quia criminaliter convento non licet per Procuratorem respondere *l. fin. C. h. tit.* 3. si Judex in sententia famam, & honorem reservet: quod ex causa rationabili non tantùm potest *arg. l. quid ergo 13. §. pœna 8. ff. eod.* sed etiam ex consuetudine, & Statutis particularibus quorundam locorum debet. Harppr. §. *in summa 10. n. 118. Inst. de injur.* Reiffenst. *ibid. n. 21.*

178 *Secunda* pœna temporalis in Ecclesia usitata est *mulcta pecuniaria*: de qua

Dub. 1. an Judex Ecclesiasticus infligere possit pœnam pecuniariam? *Rationem dubitandi* facit *c. irrefragabili 13. §. fin. de Offic. Ordin. c. ut Clericorum 13. de Vit. & Honest.* & *c. licèt 3. h. tit.* ubi ejusmodi pœnarum exactio Judicibus Ecclesiasticis prohibetur, ex ratione, ne in pœnis irrogandis turpem quæstum consectari videantur; & quia, ut ait *Isidorus*, relatus *can. pauper 72. caus. 11. q. 3.* citò *violatur auro Justitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. Conf.* qua jus Fisci ad Principes Sæculares, non ad Ecclesiam pertinet.

179 *Sed dicendum*, per se loquendo, etiam pœnam pecuniariam infligi posse à Judicibus Ecclesiasticis, hâncque irrogari posse non Clericis tantùm, sed etiam Laicis, quando crimen est mixti fori. Ita Abb. *in c. licèt cit. n. 8.* Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 8.* Clar. *§. fin. q. 8. n. 5.* Farin. *prax. crim. q. 19. n. 51.* Fagn. *in c. licèt cit. n. 97.* Barbos. *ibid. n. 2.* Gonzal. *n. 2.* Oliva *p. 2. For. Eccl. q. 9. n. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 11.* Zœs. *n. 4.* Pirhing *n. 7.* König *n. 8.* Wiestner *n. 22.*

Reiffenſtuel *n. 99.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 308.* & ſumitur ex *can. ſtatuimus 55. cauſ. 16. q. 1. c. dilectus 18. de Offic. Ordin. c. poſtulaſti 14. de Judæis, c. in Archiepiſcopatu 4. de Raptor. c. Presbyteri 2. b. tit.* & noviſſimè ex Trid. *ſeſſ. 25. c. 3. de reform.* habétque ſic praxis ubivis locorum recepta: imò pecuniariam aliquando præ aliis eligendam ſuadet ratio, quòd à delinquentibus ſæpe iſta magis, quàm aliæ, timeatur.

180 *Proceditque* non tantùm in ijs caſibus, ubi pœna pecuniaria Jure, vel Statuto Synodali decreta, aut praxi Curiæ legitimè præſcriptâ recepta eſt; ſed etiam cùm pœnæ definitio arbitrio Judicis permiſſa eſt *arg. c. cùm cauſa 4. de Offic. Deleg.* Fagn. *l. cit. n. 11. & 12.* Oliva *n. 2.* Wieſtn. *n. 22. cit. fin.* Aliud eſt, quando pœna alia ſtatuta delinquenti eſt per SS. Canones; tunc enim Judex Eccleſiaſticus cavere debet, ne pœnam pecuniariam loco pœnæ per SS. Canones ſtatutæ dictet, utpote cùm ſecundùm Canones, non contra illos judicare debeat.

181 Ex quo patet *ad Rationem dubitandi*; nam textus illi intelligendi ſunt in iis caſibus, in quibus aliæ pœnæ de Jure ſtatutæ, vel ſtatuendæ ſunt; nam hæ in pœnas pecuniarias, præſertim ab inferioribus Judicibus converti non debent, cùm ejusmodi converſio avaritiæ ſpeciem præferat, & facilè delictis frenum laxare poſſet; nam quivis conſideret, pœnam ſibi dictandam auro ſe redempturum. Et hanc eſſe *c. licèt cit.* mentem, patet ex ipſo textu; agitur enim ibi contra Archidiaconos quosdam, qui cùm debuiſſent pœnam ſpiritualem imponere, eam absque ſufficienti authoritate covertebant in pecuniariam. *Ad Conf.* etiam Judices Eccleſiaſtici habent jus fiſci, ut docet Gloſſ. & DD. *in c. quia diverſitatem 5. V. præter de conceſſ. Præb.* Pœnæ tamen huic fiſco illatæ non in Epiſcopi, vel Prælati uſus, ſed in utilitatem Eccleſiæ expendi debent, ut bene monet Fagn. *in c. 2. b. tit.* & ſtatim dicetur.

182 Dub. 2. quibus uſibus applicanda ſit pœna pecuniaria, & an aliquando Epiſcopus, aut Judex Eccleſiaſticus alius applicare illam ſibimetipſi poſſit? Olim diſtinguebant inter caſum, quo ſtatuta delicto eſt pœna pecuniaria, & inter eum, quo illa imponitur arbitrio Judicis: in primo caſu concedebant quòd eam Judex ſibi ipſi applicare poſſit, niſi certus applicandi modus ſit definitus; in ſecundo negabant: ex ratione, quòd poſterior ſolùm, non prior in proprios uſus converſio avaritiæ ſuſpicionem præbeat.

183 Sed huic diſtinctioni hodie locus non eſt ampliùs poſt *Trid.* quod, ut tolleret omnem ſuſpicionem avaritiæ, *ſeſſ. 25. c. 3. de reform.* ejusmodi multas pecuniarias indiſtinctè non Epiſcopo, aut menſæ, vel Cameræ Epiſcopali, imò ne quidem fabricæ Eccleſiæ Cathedralis aut Domûs Epiſcopalis, ſed tantùm piis locis, & cauſis ibi, ubi commiſſum delictum eſt, exiſtentibus applicari voluit, adeò, ut ne quidem merces Vicarii; aut Officialium inde deſumi debeat, prout declaraſſe *S. Congregationem* poſt *Aut. Genuenſem* refert Riccius *in prax. pœnit. deciſ. 340.* Videantur Quarant. *Summ. Bullar. V. pœna*, Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 107. n. 19.* Dian. *p. 10. tr. 8. reſ. 2. §. at hæc omnia*, Engl *hic n. 7.* Wieſtn. *n. 23. V. verùm*, Reiffenſt. *n. 99.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 309.*

Neque obſtat contraria conſuetudo; 184
quia, ut taceam, quòd de hac non ſufficienter conſtet, *Tridentini* Decretum obſervatur à majori, & meliore parte Epiſcoporum, à quibus mulctas, & pœnas pecuniarias in pios uſus converti, teſtis eſt Dian. *l. cit. Excipitur*, ſi Epiſcopus eſſet valde pauper, ita, ut, niſi mulctas ejusmodi ſibi applicaret, non haberet, unde congruè ad ſtatum ſuum viveret; tunc enim ejusmodi pœnas pecuniarias, ſive deinde per ſtatutum, ſive per ſententiam, & arbitrium Judicis dictatæ ſint, propriis uſibus applicari ab ipſo poſſe docet, & *S. Congr. Card. Trid. Interpp. Declarationibus* firmat Barboſ. *in c. 3. cit. Trid. n. 25.* Oliva *p. 2. for. Eccl. q. 9. n. 16.* Dian. *reſol. 5. fin.* qui tamen advertunt, hoc in Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Siciliæ (addi poteſt, in plerisque Germaniæ noſtræ) Epiſcopis, quòd reditibus abundent, non procedere.

Dub. 3. quid obſervandum, cùm vi- 185
ctus victori condemnatur in Expenſas? Condemnatio hæc ad pœnas pecuniarias revocari poteſt, quamvis Vindicativa non ſit, cùm compenſet damnum victori. Cæterùm victum victori ad expenſas condemnari debere, patet ex *c. calumniam 4. b. tit.* & *l. properandum 13. §. ſive autem 6. C. de Judic.* Ad quod tamen plura requiruntur.

1. Si victor petiit; nam ſi iſtud non 186
petiit, non debet condemnari victus ad expenſas. Covar. *pract. qq. c. 27. n. 5.* Barboſ. *in c. cit. n. 3.* Pirhing *hic n. 10.* Si tamen Actor in Libello petiit ſibi jus miniſtrari, & Juſtitiam, Judex victum ad expenſas condemnare poteſt; quia vi hujus Clauſulæ victor tacitè jam hoc petiit.

2. Si convictus fuerit is, qui cau- 187
ſâ in Judicio cecidit; nam victus non condemnatur in expenſas, ſi pars adverſa, ſeu victor ſolùm ex ſemiplena probatione, & ob delatum ſuppletorium Juramentum cauſam obtinuit, niſi is, cui Juramentum delatum eſt, plusquam ſemiplenè probaverit,

rit, & pars adversa nihil. Barbos. *l. cit. n. 9.* Pirhing *n. 10.*

188 3. Calumniosè, & per dolum, vel etiam temere, & sine dolo litigavit *l. eum, quem 79. ff. de Judic.* Abb. *in c. cit. n. 1. not. 1.* Covar. *l. cit. n. 1.* Pirhing *n. 9.* Neque obstat, etsi victus Juramentum calumniæ præstiterit; quia hoc Juramentum, licèt excusare videatur à calumnia, non tamen excusat à temeritate. Abb. *l. cit. n. 4.* Covar. *l. cit. ℣. secundò.* Ex hoc à contrario sequitur, eum, qui justam litigandi causam habuit, in expensas condemnari non debere *l. qui solidum 78. §. etiam 2. ff. de Legat. 2.* Procedítque hoc, ut Covar. & Pirhing *l. citt.* advertunt, non tantùm in prima instantia, sed etiam in secunda, seu in Judicio appellationis: major tamen requiritur, causa excusans in Judicio appellationis, quàm in prima instantia. In dubio, an litigans justam causam litigandi habuerit, præsumptio est adversùs victum; nam hoc ipso, quòd succumbat, præsumitur calumniosè, vel saltem temere litigâsse. Gloss. *in c. 4. V. victori h. tit.* Abb. *ibid. n. 2.* Covar. Pirhing *l. citt.*

189 4. Condemnatio in expensas maximè procedit in Causis pecuniariis. An etiam in criminalibus locum habeat, controvertunt DD. Affirmant Covar. *l. cit. n. 2.* & plures alii. Negat Fachin. *l. 1. contr. c. 42.* & probat hoc ex *c. calumniam cit.* ibi, *Præcipimus, ut de cætero in causis pecuniariis victus victori in expensas condemnetur, nisi sententia pro absente feratur*; quodsi enim Pontifex etiam causas criminales voluisset comprehensas, non dixisset *in causis pecuniariis*, sed generaliter præcepisset, ut victus victori condemnetur in expensas.

190 5. Expensæ, in quas victus victori condemnatur, taxari debent à Judice secundùm qualitatem litigantium, & post taxationem victor Juramentum præstare debet, se verè tantum expendisse, quantum Judex definivit *arg. c. olim 7. de injur.* & docet Covar. *l. cit. n. 6.* Pirh. *n. 10.*

191 *Tertia* pœna est *Incarceratio*: Et quidem quòd custodiæ causâ decerni possit à Judicibus Ecclesiasticis contra Clericos, quando de fuga suspecti sunt, patet ex *c. ß clericos 15. de sent. Excomm. in 6.* potéstque carcer ejusmodi & solet protrahi, quousque Judicium durat. Strein. *Summ. Jur. Can. q. 3. tit. 16. §. 2. dub. 14. n. 2.* Wiestner *hic n. 50.* Non tamen debet hic carcer esse squalidus, aut sordidus, vel corporis afflictivus, sed decens, & conveniens qualitati criminis, & personæ, secundùm. Trid. *sess. 25. c. 6. de reform.* & ut ad hunc procedatur, necesse est præmittere informationem de infamia, & indiciis criminis; quia incarceratio etiam sola infamiam; & non facilè reparabile præjudicium solet afferre. Felin. *in c. cum super 17. de sent. & re jud.* Jason. *in l. si sc 4. §. 6. ff. de re judic.* Piasec. *prax. Episc. p. 2. c. 4. art. 14. n. 2.* Wiestner *hic n. 50.* Reiffenstuel *ibid. n. 107.* Secus si faciat Judex Ecclesiasticus, & Clericum carceri injustè mancipet, pœnam Excommunicationis non effugit *arg. c. si Clericos cit.*

Dubitatur, an Clericus incarcerari 192 etiam pœnæ causâ possit? *Rationem dubitandi* facit *l. aut damnum 8. §. solent 9. ff. h. tit.* ubi dicitur, quòd *carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debeat.* Item *l. incredibile 6. C. eod.* ubi decernitur, vinculis, & carcere puniri quidem posse perpetuum servos, sed non liberos homines delinquentes. Et denique *l. de his C. de custod. reor.* ubi *de his, quos tenet carcer inclusos*, sancitur, *ut aut convictos velox pœna subducat*, i. e. citò condemnentur, & puniantur, *aut liberandos custodia diuturna non maceret*, i. e. citò absolvantur, & liberentur, si innoxii reperiantur. igitur carcer non institutus est ad pœnam, sed tantùm ad custodiam: cons. eò mitti Clericus in pœnam, præsertim perpetuò, nequit.

Sed etsi hoc verum sit de Jure Civili, 193 de Jure tamen Ecclesiastico standum est pro affirmativa, & probat hanc Tribunalium usus: accedit expressa de hoc decisio *c. quamvis 3. h. tit. in 6.* Ratio est, quia cùm SS. Canones non infligant pœnam mortis *c. in Archiepiscopatu 4. de Raptor.* ideo, ne crimina maneant impunita, necessarium fuit pro gravioribus criminibus statuere pœnam carceris etiam perpetui. Et hanc carceris pœnam Judices Ecclesiastici irrogare possunt non tantùm Clericis, sed etiam Laicis, si criminum Ecclesiastici fori rei agantur, præsertim Hæresis *c. excommunicamus 15. §. fiqui de Hæret. Clem. 1. eod.* Sayr. *Clav. Reg. l. 12. c. 18. n. 6.* Perpetui tamen Carceris pœnâ puniri Clericus nequit, nisi in casibus Jure expressis *c. pen. & ult. de Hæret.* quibus scilicet de Jure Civili infligenda esset pœna mortis non simplex, sed atrocior, videlicet ignis, rotæ, damnationis ad bestias, lacerationis membrorum &c. Diaz *pract. crim. c. 137.* Strein. *cit. dub. 14. n. 4.* Engl *n. 7. ℣. secunda pœna*, Wiestner *n. 51.* Reiffenst. *n. 108.*

Potest autem hæc pœna carceris 194 exasperari inclusis pro delicti qualitate, & aliquando ita, ut non nisi *pane doloris*, & *aquâ angustiæ* sustententur *c. novimus 27. fin. de V. S.* & *contra vitæ subsidium mortis solatium invocent* juxta *c. felicis 5. ℣. fiquis eod. in 6.* nunquam tamen ita, ut incarcerato alimenta subtrahantur, aut alia vitæ necessaria; unde si ex horum defectu mors contingeret, Episcopus ita severè procedens Irre-

gularitatem incurreret, Zabarell. *in clem. 1. de Pœn. & remiſſ. q. 7.* Abb. *in c. 5. de Apoſtat. n. 1.* Tholoſ. *Synt. l. 31. c. 33. n. 5.* Piaſec. *prax. Epiſc. p. 2. c. 4. art. 14. n. 2.* Vallenſ. *hic* §. *2. n. 2.* Wieſtn. *ibid. n. 31. fin.*

195 Carceris pœnæ affinis olim erat *Ergaſtulum*, quod erat carcer affinis tabernis, deſtinatis ad opus, & labores mancipiorum deteriorum. In hoc perſonæ DEO dicatæ, præſertim Moniales turpiter, & impudicè viventes, olim detrudebantur *can. cùm beatus 8.* §. *Salomon. diſt. 45. can. impudicas 11. cauſ. 27. q. 1.* Tholoſ. *Paratit. Canon. l. 4. tit. 25. n. 8.* Wieſtn. *hic n. 32.*

196 Quarta eſt *Tortura. Dubitari* poteſt, an Clerici torturæ ſubjici poſſint? *Negant* aliqui, & probant à pari cum ijs, qui profanæ militiæ adſcripti ſunt, quos Jura negant torqueri poſſe *l. milites 8. C. de quæſtion.* igitur neque iis obnoxii ſunt Clerici, tanquam Sacræ militiæ adſcripti, quippe quæ non minùs privilegiata eſt ſecundùm Gloſſ. *in l. cit. V. pœnis*, & Everhard. *Leg. Arg. loc. 56. n. 4.*

197 Sed etſi hoc Juri Imperiali *arg. l. cit.* & veteri diſciplinæ ſatis conforme ſit, prout conſtat ex *Conc. Matiſcon. 1. can. 19.* & *Altiſiodor. can. 33.* & *Epiſt. 13. Innoc. I.* contrarium tamen praxis Curiarum demonſtrat, juxta quam etiam Clerici in majoribus conſtituti, & Sacerdotes ſubjici torturæ, & quæſtionibus poſſunt, ſi de enormibus criminibus diffamati, aut graviter ſuſpecti ſint. Farin. *prax. crim. q. 41. n. 7.* Guazzin *defenſ. reor. 33. c. 10. n. 3.* Vallenſ. *hic* §. *2. n. 5.* Wieſtner *n. 26.* Reiffenſtuel *n. 105.*

198 Ut tamen Tortura adhiberi Clerico poſſit, opus eſt, ut magna, & violenta adversùs ipſum indicia urgeant: imò, ut Farin. *l. cit.* monet, graviora, & urgentiora requiruntur, quàm quæ ſufficiant ad torquendos Laicos, aut ſi talia ſolùm ſunt, quæ ad Laicos torquendos ſufficiunt, ex parte Clerici requiritur, ut his accedat aliqua delicti, aut perſonæ infamia; & hoc ob præſumptionem integritatis, ac innocentiæ, fundatam in SS. Ordinum, & Statûs dignitate, quæ proinde delicti præſumptionem excludit. Atque hinc neque teſtimonium unius teſtis, etiam bonæ famæ, ſufficit, ſi item reus ex ſua parte habeat adminicula integræ converſationis. Multò minùs torquendus eſt Clericus ob teſtimonium unius, qui dicit ſe fuiſſe participem criminis, ſed alia accedere debent indicia. Si extra Judicium crimen confeſſus eſt Clericus, regulariter ex hoc ſolo torqueri non poteſt: contrarium tamen uſu ſervari cum *Bernardo Diaz* teſtatur Vallenſ. *hic* §. *2. n. 5.*

199 Præterea mitiùs torquendi ſunt Clerici, quàm Laici, tum propter Ordinis Clericalis dignitatem, tum propter periculum Excommunicationis, ſi modus excedatur. Clar. §. *fin. q. 64. n. 24. fin.* Diaz *pract. crim. can. c. 117. poſt n. 5.* Wieſtner *hic n. 26.* Reiffenſtuel *n. 105.* Et antiquo Jure non potuerunt torqueri à Laico: ſed modò de conſuetudine etiam Laicis tortura Clerici ab Epiſcopis demandatur. Farin *l. cit. n. 14.* Guazzin *n. 4.* Wieſtner *n. 26.* ex ea fortaſſis ratione, ex qua Laicis hodie committitur Clericorum captura, incarceratio, verberatio &c. quia ſcilicet difficulter invenirentur Clerici, qui hoc præſtarent.

200 Quinta *Confiſcatio bonorum* juxta c. *vergentis 10. de Hæret. c. cùm ſecundùm 19. eod. in 6. & c. ſuper 26. de V. S.*

Dubitatur, cui cedant bona Clericorum fiſco addicta vel per ſententiam, vel per Legem, certo crimini ipſo facto imponentem hanc pœnam? R. cum diſtinctione; nam ſi Clericus ita condemnatus Beneficium habeat, bona confiſcata cedunt Eccleſiæ, à qua recepit ſtipendia *c. excommunicamus 13.* §. *damnati de Hæret.* Si diverſis Eccleſiis ſerviit, inter has dividuntur *arg. c. relatum 12. de Teſtam.* Si verò nulli Eccleſiæ ſerviit, bona illius perveniunt ad fiſcum Eccleſiæ, ſive Epiſcopi, in pios uſus diſtribuenda. Farin. *prax. crim. q. 190. à n. 154.* Wieſtner *hic n. 33.*

201 Verùm etſi hæc de Jure ita ſe habeant, & quoad Beneficialia, ſive intuitu Eccleſiæ quæſita, indubitata ſint, cùm iſta à Clericis in pios tantùm uſus expendi poſſint, & poſt eorum obitum Eccleſiis cedant *c. quorundam 1. c. cùm in officiis 7.* & *c. relatum cit. de Teſtam.* quoad bona tamen patrimonialia Eccleſiis ægrè cedet fiſcus Sæcularis: imò ubi Clerici vel ex privilegio, vel ex immemoriali conſuetudine de Beneficialibus liberè diſponunt, ac teſtantur, etiam iſta bona fiſco Sæculari cedere præter alios docet Sanch. *l. 2. mor. c. 20. n. 25.* Oliva *de For. Eccl. p. 2. q. 8. n. 21.* Wieſtner *hic n. 33.* Reiffenſtuel *n. 112.* ex ratione, quòd ejusmodi bona iis in locis inſtar patrimonialium cenſeantur.

202 Sexta *Detruſio in arctum Monaſterium*: quæ pœna olim frequenter decernebatur in Clericos valde gravium delictorum reos, priùs depoſitos, imò & in Laicos mares, aliquando etiam in fœminas, præſertim in adulterium, vel ſtuprum lapſas *can. ſi qua Monacharum 28. cauſ. 27. q. 1. c. pervenit 2. de Adult. c. inter 10. de Purg. can. c. tuæ 6. h. tit.* &c. non quidem, ut editis Votis Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ profiterentur Religionem, ſed ut in eo incluſi, & ab omni mundana ſocietate, delinquendique occaſione remoti, ſub diſciplinæ Monaſticæ, & pœnitentiæ oneribus

bus vel perpetuò, vel ad tempus! peccata sua lugerent, & quæ ad salutem animæ pertinent, cogitarent *can. si Episcopus 7. dist. 50. can. siquis Clericus 10. dist. 81. c. sicut 6. §. fin. de Homicid. c. omnis 12. fin. de pœn.* & *remiss.* Engl *n. 8. hic.*

203 Hodie tamen pœna ista abiit in desuetudinem, tum quia Monasteria hujusmodi facinorosos homines ad pœnitentiam, intra claustra sua agendam, nolebant recipere, tum quia ne compelli possent ad eos recipiendos à Diœcesium Ordinariis, per privilegia Apostolica erant exempta, ut notat Diaz *pract. crim. can. c. 55.* Huic pœnæ Romæ, & in reliqua Italia substituta est transmissio ad triremes, teste Farin. *prax. crim. q. 119. n. 55.* & Fagnan. *in c. cùm non ab homine 10. de Judic. n. 104.* alibi successit eidem ferè pœna perpetui carceris. Wiestn. *n. 89.* Ad triremes perpetuò condemnati priùs degradantur; ad tempus verò tantùm, verbaliter deponuntur: & utroque casu licitè verberantur à ministris triremium. Vallens. *hic* §. 2. *n. 6.*

204 Septima *Verberatio*, seu *flagellatio* juxta *can. fin. dist. 35. can. qui in alterius 1. caus. 5. q. 1. c. cùm fortius 1. de calumn. c. in archiepiscopatu 4. de raptor.* Cavendum tamen, ut citra mortis, aut mutilationis periculum verbera infligantur, & ne in vindictam sanguinis transire videantur. Engl *n. 8. ℣. tertio*, Reiffenstuel *n. 104.* Quodsi tamen casu, & ex post facto sanguinis sequeretur effusio, non per hoc incurreretur Irregularitas; quia ista tantùm contrahitur morte, vel membri mutilatione. Vallens. §. 2. *n. 4.* ubi monet, abstinere Judicem Ecclesiasticum quàm maximè oportere ab hujusmodi corporalibus pœnis, iisque non utendum, nisi in atrocioribus culpis, & contra Minorum Ordinum Clericos magis, quàm Sacerdotes: rationem dat, quia verbis potiùs, quàm verberibus corripiendi Clerici sunt. Imò usus istius castigationis in multis locis recessit à Curia, prout de Curiis Episcopalibus Hispaniæ, Franciæ, & Lusitaniæ testantur. Clar. §. *fin. q. 70. n. 2.* & Oliva *p. 2. for. Eccl. q. 10. n. 8.* Addi possunt Curiæ Episcopales Germaniæ; neque enim constat, pœnam istam nostris temporibus infligi Clericis. Wiest. *n. 25.*

Octava *Exilium*, sive *Relegatio*, 205 quam decernere Judex Ecclesiasticus potest *can. cum beatus 8. fin. dist. 45. can. quicunque 13. fin. caus. 26. q. 5.* Et quidem Episcopus relegare in exilium potest extra suam Diœcesin, Archiepiscopus verò ex tota sua Provincia. Piasec. *prax. Episc. p. 2. c. 4. art. 14. n. 14.* Vallens. §. 4. *n. 2.* Engl *n. 10.* Wiestner *n. 27.* Reiffenstuel *n. 106.* & cùm idem ferè in Religiosos sibi subjectos permissum sit Prælatis Regularibus, quod permissum est Episcopis in Clericos sibi subditos, etiam isti mittere Religiosos delinquentes in exilium poterunt, cùm id ad correctionem, aliorum exemplum & monasterii tranquillitatem expedire videbitur. Rodriq. *tom. 2. Reg. q. 24. art. 1.* Quodsi tamen insuper perfectum exilium decernere, & civitatis, ac patriæ Jura adimere consultum videatur, super hoc implorandum erit brachium Sæculare juxta *c. siquis 2. fin.* junct. Gloss. *V. Regis judicio de Cler. excomm.* quia perfecti exilii pœna non est penes Ecclesiam. Decius *in c. 10. de Judic. n. 13.* Barbos. *in c. siquis cit. n. 4.* Wiestner *n. 27.* Reiffenstuel *n. 106.*

§. V.

De Pœnis Fori Sæcularis.

SUMMARIUM.

206. &c. *Pœnæ in foro Civili usitatæ aliæ sunt Capitales: ubi quænam hoc nomine veniant?*
209. &c. *Aliæ non Capitales: quarum aliquæ sunt Corporales, ut inustio Stigmatum, Exoculatio &c.*
216. *Aliæ ad pœnas animi pertinent, ut Infamia.*
217. *Aliæ pecuniariæ.*
218. *Quò etiam pertinet Confiscatio bonorum.*
219. 220. *Quando damnatorum bona à fisco vindicari possint?*

206 POenæ in foro Civili usitatæ aliæ sunt Capitales, aliæ non Capitales. Inter eas, quæ *Capitales* dicuntur, primo loco est *Ultimum supplicium*, seu pœna mortis; nam ut *l. ultimum 21. ff. h. tit.* Celsus perhibet, *ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur.* Porro mortis supplicium variè de Reis sumitur, gladio, funè, rotâ, igne, sectione in partes, submersione in aquis, & olim crucifixione, quâ afficiebantur famosi Latrones, transfugæ ad hostes, consiliorum proditores *l. capitalium 28. §. famosos 15. l. siquis 38. §. transfugæ 1.* & *§. seq. ff. h. tit.* Hodie, ut ex *Lipsio* refert D. Braun *de Imper. mer. c. 1. §. 4. n. 8. postquam Crux Vitam ipsam interfecit, non diu illi vita: sustulit illam ex Romanis rebus Constantinus, nam ille,*

ille, jam serio Christianus, noluit salutare signum ultra servire ad perniciem; & coeundum illud, atque eximium pœnis vilescere damnatorum. Videatur Carpzov. *pract. crim. q. 128. à n. 14.*

207 2. *Proscriptio*, seu *Bannum Imperiale*, Germanicè des Heil. Römischen Reichs Acht / und Bann / quod est Imperii Judicialis censura, quâ delinquentibus aquâ, & igni interdicitur, ita, ut à nemine in Clientelam, fidem, aut amicitiam recipi, ab omnibus verò impune tam in persona, quàm in rebus offendi possint. *Ordin. Camer. p. 2. tit. 9. §. 10.* jemands. Hocque Bannum nemo, nisi solus Imperator, eóque absente, Rex Romanorum irrogare potest. Matth. Wehn. *V.* Acht / Carpzov. *pract. crim. q. 140. n. 18.* Hodie præter declarationem Banni ab ipso Imp. factam adhuc tres modi banniendi ordinarii sunt. 1. in Camera Imp. ubi siquis bannitur, perinde est, ac si banniretur ab Imperatore & ideo sic bannitus perdit omnia Jura Civilia ubicunque locorum. 2. in Judicio Imperiali Rottvvilano, quod tamen Jurisdictionem limitatam, & usque ad Rhenum duntaxat extensam habet: & hinc si bannitus â Rottvvilensibus Moguntiæ, vel in Hassia institueretur hæres, ille capere hæreditatem posset. Carpz. *q. 140. cit. n. 20.* 3. in Judicio Imperiali Westphaliæ, quod & ipsum habet certos fines: & ideo pro finium ratione, & qualitate Bannum ibi inflictum operatur quemadmodum dictumest de Bannis Rottvvilensibus. Sichard. *ad l. 1. C. de hæred. instit. n. 17.* Wehner. *V.* Acht / Carpz. *l. cit. n. 21.* apud quem vide cætera de Banno.

208 3. *Privatio vitæ Civilis*, quæ consistit in jure libertatis naturalis, & civitatis, quod olim fiebat coërcitione metalli, damnatione ad opus publicum, interdictione ignis, & aquæ: hodie verò damnatione ad triremes, ut notat Besold. *Thes. pract. V.* Auf die Galeen schmiden: & si fiat in perpetuum, æquivalet pœnæ mortis naturalis. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 294.* Reiffenst. *hic n. 4.*

209 *Pœnæ non capitales*, in foro Sæculari usitatæ, aliæ sunt corporales, aliæ animi, aliæ pecuniariæ. Inter *corporales*, quæ corpus, salva manente vita naturali, & civili, affligunt, est, *inustio stigmatum*: quæ tamen hodie sublata est per Constantinum Imp. *l. siquis 17. C. h. tit.* ne, *facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis est cælestis figurata, maculetur.* Clar. §. *fin. q. 70. n. 1.* Carpz. *q. 129. n. 10.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 295.*

210 2. *Exoculatio*, quâ fures tum sacrilegi, tum effractores quondam afficiebantur *l. qui perforavit 11. §. 1. ff. ad Leg. Jul. Peculat. Const. crim. Carol. V. art. 159.* An autem in Imperio Romano pœna hæc etiamnum vigeat, dubitat D. Braun *de Imp. mer. c. 1. §. 4. n. 21.*

211 3. *Amputatio manûs*, digitorum, aurium, linguæ, labiorum &c. de qua pœna Carpzov. *q. 129. cit. n. 28. & seqq.* D. Frölich *ad Const. Carol. libr. 4. tit. 5. n. 2. & seqq.* D. Braun. *l. cit. n. 22.*

212 4. *Fustigatio*, vulgò mit Ruthen aushauen: quod genus pœnæ sæpius dictatur, præsertim fœminis minoribus, falsis mensoribus, proxenetis illicitæ libidinis. Videatur *Const. Carol. cit. art. 113. & 123.* cum *not's* D. Blumlacher, Besold. *Thes. pract. V.* Ruthen Aushauung / Carpz. *l. cit. à n. 14.* D. Frölich *n. 1.*

213 5. *Expositio ad pastellum*, seu *ad mellas*, Germanicè auf den Pranger / und Halß-Eisen stellen / quæ passim practicatur pro qualitate delicti, & delinquentis. Besold. *V.* Pranger / Carpzov. *l. cit. n. 50. & seqq.*

214 6. *Relegatio* ad certum, vel incertum tempus, ad certum, vel incertum locum: quæ, si per sententiam indefinitè, & nulla temporis facta mentio expressa dictata sit, pro perpetua habenda est. Hartm. Pistor. *obs. 139.* Carpzov. *q. 130. n. 17.* apud quem vide plura.

215 7. *Incarceratio:* quæ licèt etiam in causis Civilibus ad perstringendam contumaciam, & inobedientiam imponatur; tamen in causis capitalibus peculiariter adhiberi solet ad custodiendum, & puniendum criminaliter delinquentem. Carpzov. *q. 130. cit. n. 8.* Braun. *l. cit. n. 35.* Schmier *n. 301.*

216 Ad *Pœnas animi* pertinet *Infamia*, quâ fama, & bona existimatio apud homines aufertur. Hæc id singulare præ cæteris pœnis habet, quòd cùm aliæ pœnæ crebriùs à Judice per sententiam inferantur, infamia tamen nonnunquam ab ipsa dicetur Lege, & absque Judicis sententia incurratur: de quo vide *suprà n. 165. &c.*

217 *Pœnæ pecuniariæ*, seu *mulctæ* præ omnibus aliis hodie usitatissimæ sunt. Farin. *prax. crim. q. 19. n. 51.* maximè in delictis arbitrariis, & illis, in quibus à pœna ordinaria recessum qualitas delinquentis, & circumstantiarum suadet. Carpzov. *q. 130. n. 4.* Vitandus autem Judicibus est abusus, & exemplum illorum Judicum, qui quæstum ex delictis faciunt, & omnia ferè supplicia in mulctas pecuniarias mutant, ut dum patrimonium alienum attrerunt, proprium augeant. Præterea in mulctis hujusmodi imponendis consideranda venit non solùm qualitas criminis, sed potissimùm facultates Rei delinquentis, cùm pauper mulctâ unius taleri graviùs puniatur, quàm si is, qui bonis abundat, in mulctam 20. talco-

talerorum condemnetur. Carpzov. *q. 120. cit. n. 5.*

218 Spectat huc *Confiscatio*, seu *Publicatio bonorum*, quæ pœna veteri Jure communissima, omnique delicto capitali, licèt in sententia illius mentio facta non fuerit, tacitè annexa erat *l. damnatione 1. pr. & l. seq. ff. de bon. damnat.* Sed Jure novissimo rarior est ejus usus, propter *Novell. 134. c. 13.* ubi sancitum est, *in criminibus, in quibus Leges mortem, aut præscriptionem definiunt, substantias* damnatorum *non fieri debere lucrum Judicibus, aut eorum officiis, neque secundum veteres Leges fisco eas applicari; sed siquidem habeant descendentes, vel ascendentes usque ad tertium gradum, eos habere.*

219 *Ex quo sequitur*, casu, quo tertii gradus descendentes, vel ascendentes adsunt, damnatorum bona à fisco vindicari non posse. *Excipitur 1.* crimen læsæ Majestatis; nam *in majestatis crimine condemnatis*, ut Imperator *c. 13. cit. fin.* decernit, *veteres Leges servandæ sunt.* 2. Si in aliis *Novellis* pro specialibus delictis, ut in *Novell. 12.* pro incestis nuptiis, confiscatio bonorum specialiter sit constituta; quia Imperator *c. 13. cit.* solùm meminit Legum veterum. Matth. Stephan. *ad Novell. cit. n. 22.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 313.* 3. Si reus citatus post annum contumaciter non compareat; quia aliàs contra hujusmodi reos absentes, & contumaces ademptum foret omne coërcitionis remedium, cum ingenti Reip. damno: conf. per *Novell. cit.* non videtur derogatum *l. Divi 1. §. fin.* & *l. fin. ff. de requir. vel absent. damnand.* quibus hoc casu confiscatio bonorum specialiter sancita est. Ant. Matth. *l. cit. n. 5.* Schmier *n. 314.* 4. Si confiscatio bonorum non per se, & principaliter, sed in consequentiam tantùm determinata per Leges sit; tunc enim adhuc locum eidem esse contra communiorem docet *Rittershusius, Clarus, Farinacius* apud Brunnem. *ad Auth. bona damnatorum C. de bon. proscript. n. 1. 5.* In aliis casibus, ubi confiscationis pœna specialiter est constituta; nam ita expresè *in Const. crim. Carol. V. art. 218.* ibi, Item an etlichen Orthen / so ein Ubelthäter ausserhalb des Lasters unser beleydigten Majestät / oder sonst in andern Fällen / so der Ubelthäter Leib / und Gut nit verwürcket / vom Leben zum Todt gestraffet / Weib / und Kinder an Bettel-Stab / und das Gut dem Herrn zugewiesen werden ꝛc.

Præterea bene advertendum est, 220
quòd *in Novell. cit. c. 13. cit.* mentio fiat solorum ascendentium, & descendentium usque ad tertium gradum; nam si tales nulli adsint, sed collaterales tantùm, eos, quantumcunque propinqui sint, omnes fiscus excludit: & hinc erravit *Irnerius*, dum in *Auth. bona damnatorum cit.* volui: bona damnatorum etiam reservari hæredibus ex latere. Brunnem. *ad Auth. cit. n. 3.* Matth. Stephan. *l. cit. n. 25.* Ant. Matth. *de crimin. ad Libr. 48. tit. 18. n. 2.* Schmier *l. cit. n. 312.*

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentijs, & Remissionibus.

1 POst pœnas, quæ imponuntur in foro externo, tractandum nunc de pœnis, quæ imponuntur in foro interno seu Pœnitentiali. De his agit prima Rubricæ præsentis pars. At quia Pœnæ istæ seu Pœnitentiæ sæpe relaxantur, in altera Rubricæ parte agitur de Remissionibus. Porro *Pœnitentiæ* nomen variæ solet accipi. 1. pro Punitione, seu pœnæ sententia, secundum Aug. *l. de ver. & falsæ pœnit. c. 19.* & Isidor. *l. 3. Etymol. c. ult.* 2. pro conversione, seu mutatione mentis in homine, præterita peccata sua plangente *can. pœnitentia 1. de Pœnit. dist. 3.* in quo sensu ad mentem S. Thom. *p. 3. q. 85. art. 1. & 3.* dicitur *detestatio, & dolor animi de peccato commisso, quatenus est offensa, sive injuria illata DEO, ex intentione eam compensandi.* 3. pro Habitu speciali, ad hujusmodi dolorem, & detestationem peccati inclinante: & hic definiri potest, quòd *sit habitus inclinans ad actum, quo detestamur peccatum commissum, & de eo dolemus, quatenus eo DEUS à nobis offensus est, ex intensione offensam hanc abolendi, & compensandi, sive pro ea satisfaciendi.* 4. pro uno ex septem novæ Legis Sacramentis: in quo sensu Pœnitentia dicitur *Sacramentum reconciliationis cum DEO post lapsum personalem, institutum per modum Judicij, sive Sacramentum, quo peccata post Baptismum commissa, & legitimo Ministro cum detestatione, & dolore debito manifestata, virtute clavium, seu absolutionis Sacerdotalis delentur.* 5. pro Satisfactione pro peccatis imposita, & exhibita: & tunc ex communi dicitur *Operatio exterior laboriosa, & pœnalis, voluntariè assumpta ad vindicandum, & puniendum peccatum commissum, & ad placandam Divinam offensam.* Omissis tribus prioribus acceptionibus solùm hìc agetur de Pœnitentia quarto, & quinto modo accepta. Quare sit,

§. I.

De Pœnitentia, prout est Sacramentum.

SUMMARIUM.

1. *Pœnitentia est Sacramentum.*
2. *A Christo institutum.*
3. *Hujus forma.*
4. *Materia.*
5. *Minister.*
6. *Necessitas.*
7. &c. *Quando urgeat ejus præceptum.*
12. &c. *An sepias in anno?*
14. &c. *Quinam teneantur præcepto Confessionis annuæ?*
18. &c. *Quo anni tempore?*
21. &c. *An eidem præcepto satisfiat per Confessionem validam.*
24. &c. *Quæ sint pœnæ neglectæ Confessionis annuæ?*
27. *Quid sit Approbatio, & quæ ejus necessitas?*
28. 29. *Quis approbare possit?*
30. *An necessaria illa sit etiam Graduatis?*
31. *A quonam Episcopo danda sit Approbatio?*
32. *Quando, & quomodo concedi soleat, & possit ab Episcopo?*
33. *An Episcopus negare Approbationem possit, non præmisso Examine?*
34. *An sufficiat Approbatio petita, & ab Episcopo negata?*
35. *An restringi illa possit ad certum tempus, locum, vel personas?*
36. *An valeat Absolutio collata à Sacerdote, quam Episcopus idoneum judicavit, cùm reipsa non esset?*
37. *An semel data ab Episcopo, vel ejus Successore revocari possit?*
38. *Quid sit Jurisdictio Confessarij, & quæ ejus necessitas?*
39. *Quotuplex sit Jurisdictio fori Conscientiæ?*
40. *Quomodo acquiratur Jurisdictio, seu potestas absolvendi delegata?*
41. *An in mortis articulo absolvere possit Sacerdos simplex, præsente proprio, & privilegiato, & Excommunicatus vitandus, præsente non excommunicato?*
42. *An à reservatis absolutus in articulo mortis, hoc cessante, se sistere superiori debeat?*
43. *Quomodo in foro Pœnitentiali interno exercenda Jurisdictio tacitè commissa intelligatur?*
44. *Quæ sit praxis Privilegij, Ordinibus Religiosis concessi ad audiendas Confessiones quorumcunque fidelium.*
45. *Quinam habeant facultatem eligendi sibi Confessarium?*
46. *Utrum hæc facultas acquiri possit consuetudine?*
47. *Quid sit Casuum Reservatio?*
48. *Quæ peccata Reservationi obnoxia sint?*
49. *Cui competat potestas reservandi peccata?*
50. *Quinam casus Episcopis sint reservati?*
51. *Quinam reservari à Prælatis Regularibus possint?*
52. *Casus reservati in Societate JESU.*
53. *An reservationem incurrant etiam ignorantes?*
54. *Quis absolvere possit à Casibus reservatis?*
55. *Quis ab Episcopalibus?*
56. *Quis Religiosos ab ijs, quos reservavit eorum Superior?*
57. 58. *Quid dicendum de peregrinis habentibus Casum reservatum?*
59. &c. *Quid sit Sigillum Sacramentale, & quo Jure inducium?*
63. &c. *Quis eodem obligetur?*
66. &c. *Quænam sub illud cadant.*
69. &c. *An notitiâ ex confessione haustâ, liceat uti in gubernatione, & alijs actibus externis concernentibus pœnitentem?*
72. *An violati Sigilli reus sit Confessarius, revelans peccatum sibi in Confessione detectum, si peccatorem non nominet?*
76. *Cui virtuti adversetur violatio Sigilli Sacramentalis?*
77. *An ob parvitatem materiæ possit fieri peccatum veniale?*
78. *An dispensari in eo possit?*
79. *Pœna violantis Sigillum.*
80. *Requisita, ut incurrantur.*
81. 82. *Quis sit Judex in causa fractionis Sigilli?*
83. &c. *An hic procedere adversus violatorem sine pœnitentis licentia possit?*
87. &c. *An, & qualis probatio sit necessaria?*

2 QUæritur 1. an Pœnitentia sit Sacramentum, an, & quando à Christo institutum, & quæ sit ejus materia, forma & Minister? R. 1. Pœnitentia est Sacramentum novæ Legis, distinctum ab alijs. Est Catholica veritas contra Montanistas, & Novatianos, ad quos postea 3 accesserunt Lutherus, Calvinus, aliique assectæ. Patet ex Conc. Flor. *sess. ult. in Decret. Union.* & Trid. *sess. 14. can. 1. & 2.*

2. Hoc Sacramentum est institutum à Christo post Resurrectionem. uti tunc tenen-

nens

nent omnes contra *Armacan.* apud Dicastill. *D. 4. dub. 2.* qui putavit esse institutum à Christo sub initium prædicationis; item contra alios apud Tann. *q. 1. n. 6.* qui dixerunt institutum esse à DEO in Paradiso sub mundi initium. Responsio patet ex Trid. *sess. cit. c. 1. de Sacr. Pœnit.* ibi, *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:* quibus verbis ijsdem suis Apostolis dedit potestatem in Corpus suum Mysticum, quod fideles constituunt.

3. *Forma* hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis Sacerdotalis, *Ego te absolvo à peccatis tuis*: ex quibus licèt essentialia tantùm sint *Absolvo te*, reliqua tamen addi debent, præsertim in articulo mortis, secundùm quosdam sub mortali, secundùm alios sub veniali. Debet autem absolutio fieri per verba formalia, & hæc verba dirigi debent in pœnitentiam præsentem, prout decrevit *Clemens VIII.* Hinc invalidum est absolvere nutu, signo, aut scripto; item absolvere absentem, quod docuit *Alens. Medin.* & alij. Sufficiunt tamen verba prædictis æquivalentia, quibus sensus non immutatur, ut si quis reverentiæ causâ dicat: *Absolvo Dominationem, Excellentiam, vel Majestatem vestram.* Contrà non valet, si dicas, *Absolvat te DEUS*, vel *absolvat te Christus.* 4

5 4. *Materia* alia est remota, alia proxima. *Materia remota*, & circa quam actus pœnitentis, & Sacerdotalis absolutio versatur, sunt peccata omnia actualia commissa post Baptismum mortalia quidem nondum subjecta clavibus necessaria, venialia verò, & mortalia, à quibus absolutio jam semel rite est impetrata, sufficiens, & idonea, ut colligitur ex *Extrav. 1. int. comm. de Privileg.* & docet praxis fidelium, ad majorem sui confusionem, & consequendam uberiorem gratiam, pœnarúmque remissionem instituentium Confessiones annuas, & generales à tota vita de peccatis, quæ jam aliquando clavibus rite subjecerunt. *Materia proxima* sunt actus pœnitentis tres, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio: quæ ultima Sacramentum integraliter perficit; priores autem duæ ad essentiam pertinent, ut communiter notant DD. contra *Scotum*, qui totam essentiam ponit in absolutione.

6 5. *Minister* hujus Sacramenti est solus Sacerdos: prout patet 1. ex Scriptura *Joan. 20.* ubi Christus ad solos Apostolos, ac Discipulos Sacerdotes, & in his ad eos, quibus eadem potestas legitimè communicabitur: dicit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* 2. Ex Flor. *in Decret. de Sacram.* & Trid. *sess. 14. c. 6.* & *can. 6. de Sacr. Pœnit.* 3. ex Bulla *Martini V. in Concil. Constant.* contra errorem *Wicklefi*, & *Leonis X.* contra *Lutherum*, affirmantem, omnes fideles, etiam pueros, & mulieres habere potestatem remittendi pœnitentibus peccata. 4. ex traditione, & perpetuo usu Ecclesiæ. Neque obstat *c. fures 2. de furt.* ubi potestas absolvendi videtur tribui etiam Diacono, ibi: *Si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus*; nam textus iste videtur mendosus esse: quod patet ex eo; quia in *Concil. Tribur. can. 31.* unde desumitur, non habentur hæc verba *Vel Diacono*, sed ista *Deóque*, & *Sacerdoti.*

7 Quæritur 1. an, & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ necessarium sit post Baptismum in peccatum mortale lapsis? R. his necessarium est in re, vel in voto necessitate medij, non quidem ex natura rei: poterat enim Christus Dominus hoc Sacramentum instituere, ut utile, & conveniens ad sanitatem animæ recuperandam, non ut necessarium, & obligationem: sed ex præcepto Divino, quod nobis expositum Trid. *sess. 14. c. 4.* & *can. 10. de Sacr. Pœnit.* Votum Sacramenti Pœnitentiæ continetur in dilectione DEI super omnia, & in Contritione Charitate formata: & hinc qui peccata sua actu confiteri inculpabiliter non valet, ejusmodi actûs virtute consequi salutem nihilominus potest; habent enim hi actus, antecedenter ad actualem hujus Sacramenti receptionem, vim delendi peccatum mortale, & recuperandi gratiam per peccatum amissam. Trid. *c. 4. cit.* & *sess. 6. c. 14.*

8 Dub. 1. quando peccati mortalis reus ex præcepto Divino obligetur ad Sacramenti istius usum? *Certum est* obligari saltem in articulo, seu probabili periculo mortis, undecunque, etiam ex sententia Judicis imminentis. Suar. *D. 15. sect. 6. n. 1.* Palao *D. un. p. 3. n. 7.* Stoz *Trib. Pœnit. p. 3. q. 1. art. 3. n. 12.* Vallens. *hic* §. *7. n. 4.* König *n. 11.* Wiest. *n. 12.* & plerique melioris notæ TT. sunt enim tunc adhibenda media necessaria ad salutem, tale medium autem Christus esse voluit Confessionem Sacramentalem, si copia habeatur Confessarij. ergo. *Conf.* quia hoc præceptum impleri debet in hac vita. ergo ad minimum in articulo mortis, vel ante si tunc probabiliter timeatur non futura copia Confessarij.

9 *Difficultas* est, an extra mortis discrimen ex vi solius præcepti Divini detur obligatio confitendi? Negant non pauci maximi in S. Theologia nominis DD. quòd non satis constet de aliquo præcepto, quod obligationem istam injungat aut de

tempore, quod hujus obligationis executioni extra periculum mortis determinatum à Christo sit. Verùm hæc ratio nihil probat; nam nec actibus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendis certum tempus determinatum est, & tamen hos actus eliciendi obligatio Jure naturali datur.

10 Dicendum igitur, susceptionem hujus Sacramenti ab eo, qui se reum peccati mortalis agnoscit etiam seclusâ Lege Ecclesiasticâ, & Divino solùm præcepto spectato, sine peccato non posse diu v. g. ultra tres, aut quatuor annos differri. *Ratio est*, quia tenetur peccator redire in gratiam cum DEO, eique satisfacere, ita quidem, ut graviter peccet pœnitentiam procrastinando, prout patet *Eccl. 5. v. 8. Prov. 1. v. 28. Rom. 2. v. 4.* ubi DEUS peccatores non solùm à pœnitentiæ procrastinatione dehortatur, sed ejus dilationem etiam, præsertim usque ad articulum mortis, tanquam vocationis gratiæque, & amicitiæ Divinæ vilipensionem, contemptúmque severè reprehendit. ergo tenetur etiam ad medium in hunc finem à Christo institutum. Tale unicum est Confessio Sacramentalis in casu, quo copia est Confessoris. ergo &c. *Conf.* voluit Christus fideles per distinctam peccatorum Confessionem non solùm absterreri à frequentia peccandi, sed etiam à Confessario juvari, ne toties relabantur. hunc autem finem non obtineret, se semel tantùm sub exitum vitæ tenerentur confiteri. ergo ipsa intentio finis fuit simul voluntas instituendi Sacramentum pœnitentiæ hoc ritu, & obligandi ad Confessionem sæpius peragendam.

11 Neque obstat argumentum in contrarium allatum; nam Pœnitentiæ agendæ tempus, quod Jure Divino determinatum non est, determinavit Ecclesia in *Conc. Later. c. 21.* & confirmavit Trid. *sess. 14. c. 5.* & *can. 8. de Sacr. Pœnit.* quorum Conciliorum priore *c. omnis 12. h. tit.* relato statutum est, ut omnes Christi fideles, usu rationis præditi, cujuscunque sexûs, saltem semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti peccata sua. Quare sicut post determinationem Sabbati ad cultum Divinum in Decalogo, ea dies Jure naturali cultui huic consecranda erat in Veteri Testamento & in novo dies Dominica, ita post determinationem Ecclesiæ Jus Divinum obligabit ad semel in anno confitendum. Vallens. *hic §. 7. n. 1.* Wiestner *ibid. n. 14.* & *duob. seqq.*

12 Dub. 2. Utrum dari aliquando possit obligatio etiam sæpius, quàm semel in anno confitendi? R. per accidens dari posse. Sic enim ad confessionem Sacramentalem obligatur 1. qui vult sumere S. Eucharistiam, vel celebrare Missam, si peccati mortalis se reum novit, & copia Confessoris non desit. Trid. *sess. 13. c. 7.* & *can. 11. de Sanct. Euch. Sacr.* ubi addit, *quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* 2. qui existimat, se à peccato aliquo abstinere non posse, aut vincere gravem aliquam tentationem, nisi confiteatur; quia quilibet Jure Divino tenetur adhibere media necessaria ad vincendum peccatum. Vallens. *hic §. 7. n. 4. ℣. secundò.* 3. Ratione Juramenti, aut Voti *arg. c. magnæ 7. de Vot.* vel ratione pœnitentiæ à Confessario injunctæ, vel ratione Statuti, Religionis, aut præcepti Superioris, Vallens. *l. cit. ℣. quartò.* 4. Ratione conscientiæ erroneæ, dum putat quis se ad Confessionem teneri, quamvis sufficiat illam deponere. Navar. *Man. c. 2. n. 20.* Vallens. *l. cit. ℣. quintò.*

13 Inter quos casus, & inter obligationem Confessionis annuæ id est discriminis, quòd præceptum confessionis annuæ peccati mortalis reum per se obliget, & non tantùm per accidens, prout voluerunt aliqui, & ratione Communionis. Patet ex *c. omnis 12. h. tit.* ubi præcipitur Confessio, & deinde Communio, nec verbum ponitur, ex quo possit colligi, unam solùm propter alteram mandari. *Conf.* ex Trid. *sess. 14. c. 5.* & *can. 8. de Sacr. Pœnit.* ubi nulla facta mentione communionis, absolutè dicit, esse in Ecclesia præceptum annuæ Confessionis. Et hinc qui à Communione ob causam aliquam excusantur, aut ob immaturitatem Judicij differuntur, nihilominus tenentur confiteri. Nec unius tantùm, sed duplicis peccati rei habentur, qui communionis, & Confessionis Sacræ præceptum violârunt.

14 Dub. 3. quinam Confessionis annuæ præcepto teneatur? *Certum est 1.* teneri hoc præcepto fideles omnes, etiam pueros, si peccati mortalis sibi, sint conscij, excommuni DD. judicio, contra *Sotum*, qui *in 4. dist. 12. q. 1. art. 11. fin.* cum *Host.* & *Anchar.* negat pueros teneri ante annum 12. ætatis. Fundamentum sumitur ex *c. omnis cit.* ubi *Conc. Later.* ad annuam Confessionem obligat omnes, postquam ad annos discretionis pervenerint, h. e. doli capaces extiterint, & discernere inter bonum, & malum noverint. atqui talem discretionem, & doli capacitatem supponit peccatum mortale. ergo &c.

15 *Certum est 2.* ad confessionem annuam teneri etiam eum, qui conscius sibi est peccati mortalis solùm interni, tum propter universalitatem *c. omnis cit.* tum verò propter communem sensum, & usum Ecclesiæ, ac fidelium *c. cit.* etiam de peccatis internis intelligentium, ut adeò Suar. *D. 36. sect. 2. n. 2.* temeritatis non immeritè arguat singularem opinionem Margarit. Con-

Confessor. *V. Confessio*, negantis obligationem Confessionis annuæ in eo, qui peccati solùm interni reus est. Neque aliud probat ratio, quam pro hoc suo asserto *Margarita* affert, quia scilicet Ecclesia caret potestate in actus merè internos; nam ut *n. 11.* dictum est, præceptum Confessionis annuæ non est præceptum merè Ecclesiasticum, sed determinatio præcepti Divini.

16 *Controversia* est de eo, qui sibi conscius est peccati venialis tantùm. Etiam hunc præcepto Confessionis annuæ adstringi cum *Bonav. Rich. Alensi* existimat. Fagn. *in c. omnis cit. à n. 14.* pro se allegans S. Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 3. Sed dicendum* præcepto Confessionis annuæ solùm adstringi reos peccati mortalis. Ita Sylv. *V. Confessio 1. n. 14.* Sot. *dist. 18. q. 1. art. 3.* Suar. *D. 36. sect. 2. n. 8.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 5. n. 12.* & communiter cæteri, allegantes pro se S. Thom. *in 4. dist. 16. art. 2. q. 3.* Ratio est, quia mens Conc. Later. *in c. omnis cit.* non fuit imponere novam obligationem confitendi peccata, sed ei, quæ præcepto Divino jam erat imposita, determinandi certum tempus, ultra quod non liceret differre Confessionem, prout declarat Trid. *sess. 14. c. 5.* atqui præcepto Divino ad Pœnitentiæ Sacramentum tantùm adstringuntur peccati mortalis conscij, ergo &c. *Conf.* nam Trid. *c. 5. cit.* & *can. 7.* disertè asserit, peccata venialia taceri in Confessione circa culpam posse, hoc autem verum non esset, si ad Confessionem annuam adstringeretur ille, qui unius tantùm peccati venialis sibi est conscius.

17 Verùm esto, à præcepto Confessionis annuæ excusetur, qui nullius peccati mortalis sibi est conscius, constans tamen fidelium sensus, & usus ad Confessionem annuam indiscriminatim omnes vel obligat, vel seriò hortatur, nec immeritò; non enim leve iniquæ suspicionis fundamentum præberet ille, qui integro anno Confessionem omitteret sub prætextu carentiæ peccati mortali; tum quia vix reperiuntur, qui sine istius Sacramenti usu toto anno à peccato mortali abstinent; tum verò quia negligens expiare peccata venialia, facilè prolabitur in mortalia. Accedit scandali ratio, quod ex tali omissione fideles capiunt: hinc ad istud evitandum talis, qui mortalis noxæ se reum non agnosceret, tempore Paschali, quo annuæ Confessionis præceptum urgeri solet, proprio Pastori, vel ejus Delegato se sistere, & ei conscientiæ suæ statum in genere declarare deberet, ut monent Suar. *D. 36. sect. 2. n. 9.* Vasq. *q. 90. art. 2. dub. 2. n. 19.* Coninck. *D. 5. dub. 5. n. 52.* Fagund. *Eccl. Præcept. 2. l. 1. c. 2. n. 9.* Bonac. *D. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. n. 8.* Palao *tr. 23. D. un. p. 20. n. 5.* Wiestner *hic n. 19.*

Dub. 4. quo anni tempore Confessio annua sit peragenda? 18
℟. Jure scripto satisfacit huic præcepto, quocunque tempore Confessio illa fiat; nam Conc. Later. *c. omnis cit.* nullum determinavit tempus Confessioni, licèt Paschale determinaverit Communioni. Navar. *Man. c. 2. n. 9.* Sot. *in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. concl. 1.* Sà *V. Confessio n. 4.* Suar. *D. 36. sect. 3. n. 2.* Laym. *c. 5. cit. n. 8.* Engl *hic n. 8.* Wiestner *ibid. n. 22.* Neque obstat *Extrav. 2. de Treug. & Pac.* ubi Sixtus IV. dicit, Parochianos ad Peccatorum Confessionem in Paschate obligari; nam in textu hoc non imponitur novum Confessionis præceptum, sed à Conc. Later. *c. omnis cit.* impositum refertur: unde sicut istud solùm annuam, non autem Paschalem Confessionem præcipit, ita & in *Extr. cit.* Pontifex; facit autem mentionem Paschatis; quia Confessio tanquam dispositio Communioni Paschali præmitti solet, & debet.

Jure autem non scripto per Consue- 19
tudinem perantiquam, & universalem in Ecclesia, de qua mentio fit *in can. in capite 64. dist. 50.* & approbat Trid. *sess. 14. c. 5. de Sacr. Pœnit. fin.* videtur Confessioni annuæ determinatum tempus Paschale, quo accedendum est ad S. Communionem: quam consuetudinem pro Lege receptam esse, ex eo colligitur, quòd eo tempore Rectores Parochiarum Parochianos suos illius peragendæ admoneant, ejus peractæ post illud tempus testimonium exigant, &, qui convicti fuerint illius negligenter omissæ, à Magistratibus graviter puniri soleant. Engl *hic n. 9.* Wiestner *ibid. n. 25.*

Qui legitimè impeditus, vel ex- 20
negligentia præceptum Confessionis annuæ, & Communionis in Paschate non implevit, tenetur id facere, quamprimum commodè potest; quia Paschale tempus Communioni Jure scripto, & Confessioni Jure non scripto definitum est tanquam terminus implendæ, non finiendæ obligationis. Navar. *Man. c. 21. n. 45.* Medin. *de Pœnit. q. 18.* Suar. *D. 36. sect. 4. n. 2.* Coninck *D. 5. dub. 8.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 5. n. 9.* Palao *tr. 23. D. un. p. 20. §. 2. n. 13.* Wiestner *n. 23. cit. ℣. qui à sacra.* Si verò quis præviderit, se in Paschate impediendum, tenebitur Confessionem, & Communionem anticipare, sicut anticipare debet auditionem Missæ die festo, qui præ- |
videt, quòd horâ consuetâ non possit eidem interesse. Suar. *s. 5. n. 2.* Coninck *dub. 7. n. 58.* Laym. *n. 9. cit. coroll. 2.* Palao *n. 11.* Vallens. *hic §. 7. fin.* Wiestn. *l. cit.*

Dub. 5. an Confessionis annuæ præ- 21
cepto satisfiat per Confessionem invalidam? Affirmant Sylv. *V. Confessio 4. n. 3. fin.* Palud. *in 4. dist. 17. q. 7.* & alii relati à Fa-

gund. *Eccl. præc.* 2. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 4. saltem tunc, quando pœnitens est extra culpam, quia scilicet peccata sua fideliter, & cum debita dispositione confessus est, Sacerdos verò vel ex ignorantia, vel ex malitia absolutionem non impertivit: ad quod dicendum moventur duplici ratione. 1. quia Ecclesia videtur solùm præcipere Confessionem externam, & illius omissionem punire. 2. quia eadem Ecclesia ad pœnitentiam, & peccatorum Confessionem recipit peccatores etiam illos, qui propter defectum veri propositi nequeunt absolvi.

22 Sed standum pro negativa, quam etiam defendunt Navar. *Man. c. 10. n. 4.* Sot. *dist. 18. q. 3. art. 3.* Suar. *D. 36. sect. 7. n. 3.* Coninck *D. 5. dub. 9. n. 70.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 5. n. 11.* Fagund. *c. 4. cit. n. 5.* Palao *p. 20. §. 3. n. 4. & 7.* Wiestn. *n. 25.* Ratio est, quia per talem Confessionem non satisfacit præcepto Divino; nam hôc obligatur peccator ad recuperandum statum gratiæ, in quem finem talis Confessio invalida non servit. ergo nec satisfacit præcepto Ecclesiæ; quia ista non ponit novum præceptum præcipiendo Confessionem annuam, sed tantùm obligationi jam antea per præceptum Divinum inductæ tempus determinat.

23 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* Ecclesia præcipit illam Confessionem, ad quam incerto tempore obligat præceptum Divinum; hæc autem non est Confessio tantùm externa, utpote insufficiens ad procurandum statum gratiæ, per peccatum mortale amissum, sed vera. Accedit, quia nomine actûs regulariter non venit actus qualiscunque, sed validus; nam invalidè fieri, & omnino non fieri paria reputantur. *Ad 2.* confessionem peccatoris, qui propter defectum veri propositi absolvi nequit, Ecclesia admittit non tanquam sufficientem ad implendum præceptum, sed ut de peccatorum gravitate, & animæ suæ periculo admoneantur, & piis exhortationibus ad veram Pœnitentiam, & conversionem facilius inducantur.

24 Dub. 6. quæ sint pœnæ neglectæ Confessionis annuæ? R. hanc negligentes *c. omnis 12. b. tit.* arcentur ab ingressu Ecclesiæ vivi, & mortui à Sepultura Ecclesiastica: neque requiritur, ut neglexerint utrumque præceptum Confessionis, & Communionis, sed satis est, si quis alterutrum non impleverit. la Croix *tom. 7. n. 2053.* Sed hæc pœna solùm est ferendæ sententiæ nam Jure communi in istos nulla lata est pœna, quæ ipsa Confessionis malitiosa omissione incurratur. Suar. *D. 36. sect. 8. n. 2.* Fagund. *de 2. Eccl. Præc. l. 1. c. 4. n. 12.* Palao *tr. 23. D. un. p. 20. §. 3. n. 5.* Wiestner *hic n. 26.* Hinc pœna ista in casu, quo delictum omnino occultum est, executioni dari non potest, ob defectum probationis.

25 Aliud est de Excommunicatione, quæ Jure speciali Statutorum Provincialium, & Diœcesanorum à negligentibus Confessionem Paschalem ipso facto incurritur; cùm enim ista non delicto probato, sed delicto externo annexa sit, locum habet etiam, quando delictum est occultissimum. Fagund. *n. 12. cit.* Palao *n. 5.* Wiestner *n. 27.* cum aliis. Eandem Excommunicationis pœnam incurrit etiam, qui fictè, h. e. non integrè, vel sine dolore, aut proposito emendationis requisito confessus est; nam licèt de actibus merè internis cognoscere non possit Ecclesia, potest tamen indirectè illos præcipere, quatenus pertinent ad actum externum rite peragendum: cons. si talem actum internum quis omiserit, incurret pœnam facto ipso impositam ab Ecclesia, non quidem propter omissionem actûs interni, sed propter actum externum ex defectu interni ad eum requisiti non rite positum. Wiestner *n. 28.*

26 Ab hac doctrina Vivald. *Candel. aur. de Confess. n. 60.* Rodr. *Addit. ad Bull. Cruc. §. 11. aliàs 9. n. 133.* Zerol. *Prax. Episc. p. 1. V. Lupanaria §. 3.* excipiunt meretrices, usurarios, aliósque peccatores publicos, quos neque Episcopi, & Parochi Excommunicatos declarant quamvis prædicto Confessionis præcepto legitimè, ut dictum est, non satisfaciant, manifesto, ut putant, indicio, quòd hac Excommunicationis pœnâ non adstringantur. Sed nullatenus admittenda est Exceptio; quia nec fundamentum habet in *c. omnis 12. b. tit.* quippe quod fideles comprehendit omnes; nec publici peccatores digniores sunt Indulgentia, quàm alii. Quòd verò non soleant declarari, id fit, non quia peccatores ejusmodi Excommunicatione affecti non sunt, sed in favorem aliorum fidelium, ne cum ipsis communicantes peccent. Fagund. *l. 1. cit. c. 3. n. 11.* Palao *n. 6.* Wiestner *n. 28. cit.*

27 Quæritur 3. quid sit *Approbatio*, & quæ ejus necessitas? R. *Approbationis* nomine venit Judicium, sive testimonium authenticum de habilitate, sive idoneitate Sacerdotis ad excipiendas Confessiones fidelium pœnitentium. Ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem est necessaria, ita, ut absolutio, saltem à peccatis mortalibus, extra mortis articulum, à Sacerdote non approbato attentata, valore careat, ex communi, & certa sententia DD. qui id desumunt ex Trid. *sess. 23. c. 15. de Reform.* ubi decernitur, nullum posse audire Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi aut Beneficium Parochiale habeat, aut aliàs Approbationem obtineat, verbis autem *non posse* negatur potentia, & actus con-

contrà gestus invalidus declaratur, ut cum *Gloss. Bartol. Tiraquell. Covar.* notat P. Wiestner *hic n. 31. Neque obstat*, quòd potestas absolvendi à peccatis jam conferatur in ipsa ordinatione Sacerdoti; quia potestas ista solùm est incompleta, quæ primùm completur per collationem Jurisdictionis, & Approbationis. Dixi *saltem à peccatis mortalibus*; nam absolutionem à venialibus à Sacerdote non approbato datam, probabiliùs validam esse affirmant Carden. *D. 2. c. 6. art. 9. & 10.* Sporer *n. 667.* la Croix *tom. 6. n. 1489.* non obstante *Decreto Innoc. XI. edito 12. Febr. 1679.* quia in hoc Decreto Pontifex solùm præcipit Ordinariis, *ne permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato*, non verò irritat absolutionem ab eo factam.

28 Dub. 1. cui competat potestas approbandi Sacerdotes ad excipiendas Confessiones pœnitentium? R. cum distinctione: Nam ad Confessiones Sæcularium audiendas approbandi potestas de jure competit Episcopo, aliisque Prælatis in certo territorio exercentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem, item Capitulo Sede vacante, & utriusque Vicario Generali; quia non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis ordinariæ. Suar. *D. 28. sect. 5. à n. 1.* Barbos. *de Offic. Epsc. alleg. 25. à n. 8.* König *hic n. 5.* Wiestner *n. 32.* & sumitur ex Trid. *c. 15. cit.* ibi, *Confessiones Sæcularium.*

29 Contrà ad Confessiones Regularium excipiendas Sacerdoti Regulari, vel etiam Sæculari sufficit Approbatio, & licentia Superioris confitentium Regularis *arg. c. 15. cit.* nam cùm solum exprimat Confessiones Sæcularium, Confessiones Regularium hoc ipso videntur exceptæ. Mirand. *tom. 1. Man. Prælat. q. 45. art. 11. concl. 2.* Suar. *sect. 4. n. 4.* Barbos. *alleg. cit. n. 64. fin.* Wiestner *n. 33.* & patet ex Decreto *Clem. VIII.* relato apud Quarant. *V. Confessor.* Ratio est, quia cùm Regulares peculiarem, & multò perfectiorem, quàm Sæculares, modum vivendi teneant, convenientius est ipsis Confessores dari, & approbari potius à propriis, quibus modus vivendi illorum compertus est, quàm ab aliis hujus inexpertis Prælatis. Quoad Moniales tamen aliud videtur statutum à *Gregorio XV. in Bull.* incipit *Inscrutabilis editâ 1622.* ubi cavetur, ne quis sive Religiosus, sive Sæcularis earum Confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus.

30 Dub. 2. an Episcopalis Approbatio necessaria sit etiam Sacerdotibus, qui Gradu Doctoratûs, vel Licentiæ in SS. Theologia, vel Jure Canonico insigniti sunt? Negant aliqui apud Henriq. *l. 3. de Pœnit. c. 6. n. 2. comment. lit. O.* ex ratione, quia tales habent testimonium publicum suæ idoneitatis ad Sacramentorum administrationem, & de hac aliquando constat per ipsam facti evidentiam, & doctrinæ notorietatem. Sed etiam his necessariam esse approbationem Episcopalem ad Confessiones Sæcularium audiendas docent Suar. *D. 28. sect. 4. n. 3.* Fagund. *l. 7. c. 2. n. 68.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 2.* Barbos. *alleg. 25. n. 6.* Palao *tr. 23. D. un. p. 17. §. 2. n. 2.* Wiestner *n. 34.* la Croix *tom. 6. n. 1485. Resp. 1. coroll. 1.* & patet ex *Bulla S. Pij V. editâ 1571. Declaratione Cardd. & Trid.* verbis, quod *c. 15. cit.* generaliter, & absolutè decernit, *nullum, etiam Regularem* Presbyterum *posse Confessiones Sæcularium audire &c.* conf. omnem exceptionem, vel restrictionem excludit. Decet tamen, ut hujusmodi Doctores, & Licentiati, sicut etiam celebriores Verbi Divini Præcones, aliique similes, quando de eorum doctrina palàm constat, approbentur sine scientiæ examine, prout DD. *citt.* notant.

Dub. 3. à quonam Episcopo danda sit Approbatio? 31 R. ex communiore, & probabiliore sententia, quam tenent Suar. *D. 28 sect. 6. n. 6.* Coninck *de Pœnit. D. 8. dub. 7. n. 50.* Bonac. *D. 5. de Pœnit. q. 7. p. 4. n. 15.* Fagund. *l. 7. c. 20. n. 92.* Palao *tr. 23. D. un. p. 17. §. 3. n. 4.* Wiestn. *n. 36.* approbatio hæc facienda est ab Episcopo, cui subest Confessarius exposcens approbationem, idque tum propter gemin. *Declarationes Cardd. Trid. Interpp.* tum verò ex ratione, quia approbato est actus Jurisdictionis, quæ non potest exerceri, nisi in subditum. Ut tamen Responsio hæc ritè intelligatur, & accommodatè ad praxin, per Episcopum Confessarii intelligendus est non solùm ille, qui absolutè, & simpliciter ejus est Ordinarius ratione stabilis domicilii, quod Confessarius approbationem petens in Diœcesi ipsius habet; sed etiam ille, qui est respectivè talis, & per accidens, nempe in ordine ad functiones in sua Diœcesi, h. e. apud subditos suæ Diœcesis obeundas. Palao *l. cit.*

Dub. 4. quando, & quomodo con- 32
cedi ab Episcopo soleat, & possit Approbatio ad audiendas Confessiones? R. potest, & solet concedi tripliciter. 1. Actuali collatione Beneficii Parochialis, sive annexam sibi curam animarum habentis. 2. authenticâ declaratione idoneitatis, facto prævio examine. 3. deputatione Sacerdotis vel in genere ad Sacramentorum, vel in specie ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem ab Episcopo etiam sine prævio Examine facta; nam hoc ipso censetur illum ad hoc munus idoneum judicare. Quocunque autem modo Approbatio

batio fiat ; concedenda est gratis ; aliàs Simoniaca foret. An verò per hoc etiam reddatur invalida, dubitari potest. Verùs est non esse irritam. Suar. *D. 28. sect. 5. n. 19.* Reginald. *l. 1. n. 180.* Bonac. *D. 5. de Pœnit. q. 7. p. 4. §. 1. fin.* Palao *tr. 23. D. un. p. 17. §. 1. n. 6.* Wiestner *n. 38.* la Croix *tom. 6. n. 1488.* quia nullo Jure cautum est, collationem Approbationis pretio factam esse irritam.

33 Dub. 5. an Episcopus Approbationem, nulla ad Examen admissione facta, sacerdoti seriò eam petenti negare possit? *Certum* est negare eam posse ex justa causa, v. g. ob notorium aliquem defectum doctrinæ, probitatis &c. *Difficultas* est, an denegare eandem possit, seclusâ ejusmodi causâ? Videtur posse ; quia non appareret, ex quo capite obligetur Episcopus ad explorandam cujuscunque Sacerdotis suæ Diœcesis aptitudinem, præcipuè quando illo pro Confessionibus excipiendis non indiget. *Sed dicendum*, si Sacerdos aliquis Regularis, vel Sæcularis seriò, & juridicè Approbationem expostulet, eum sine justa causa repelli non posse, sed necessariò admittendum ad Examen, & si in hoc idoneus repertus fuerit, approbationem eidem concedendam. Ita Suar. *D. 28. sect. 5. n. 15.* Vasq. *q. 93. art. 3. dub. 5. n. 5.* Coninck *D. 8. dub. 7. n. 50.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 3.* Palao *tr. 23. D. un. p. 17. §. 3. n. 7.* Lugo *de Pœnit. D. 21. n. 49.* Wiestn. *hic n. 39.* Ratio est, quia Regularis Sacerdos jus habet procurandi, ne sibi impediatur usus privilegii Apostolici, vi cujus audire possunt Confessiones ad se recurrentium, & sæcularis jus habet se taliter disponendi, ut Jurisdictio eidem ad excipiendas Confessiones meritò committi possit. Atqui hunc finem obtinere nequeunt, nisi Episcopus eos ad Examen admittat, & si in hoc reperiantur idonei, approbationem eis concedat. igitur ne jus hoc ipsorum Episcopus lædat, tenebitur ipsos ad Examen petitum admittere, & idoneos repertos approbare.

34 Dub. 6. an sufficiat Approbatio petita, si ab Episcopo injustè denegetur? *Certum est* non sufficere, si injustitia denegationis non sit manifesta ; quia tunc præsumitur pro Judice, & ab eo actis *c. in præsentia 6 de renunt. & l. fin.* ibi, *Quod non arbitramur C. de Offic. Civil. Judic.* *Difficultas* est, an id etiam dicendum sit, quando idoneitas personæ approbationem petentis est manifesta. Ubi non pauci cum Navar. *Man. c. 27. n. 265.* Mirand. *Man. Præl. tom. 1. q. 45. art. 6. & 8.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 4.* Fagund. *l. 8. c. 2. n. 15. & 58.* Palao *tr. 23. D. un. p. 17. §. 3. n. 8. & 9.* distinguunt inter Sacerdotes Sæculares, & Regulares, & licèt admittant, in prioribus non sufficere, Approbationem ab ipsis fuisse petitam, si hæc ab Episcopo ipsis quamvis injustè, negata est ; de posterioribus tamen existimant, eos, si debito modo Approbationem ab Episcopis postulaverint, hi verò eandem ipsis injustè denegârint, ipso Jure approbatos censeri, & ad Confessiones etiam Sæcularium audiendas exponi posse. Moventur *Clem. dudum 2.* & *Extr. 2. int. comm. de Sepult.* ubi Mendicantibus indultum est privilegium, vi cujus Confessarii ab illorum Generali, vel Provinciali Episcopo præsentati, si isti eos admittere renuant, pro admissis haberi possunt, Papâ eos tali casu admittente. *Sed dicendum*, neque istos tali casu pro approbatis habendos. Suar. *D. 28. sect. 5. n. 6. & 15.* Vasq. *D. 93. art. 3. dub. 3.* Coninck *D. 8. de Pœnit. dub. 7. n. 58.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 25. n. 47.* Lugo *D. 21. n. 52.* Wiestner *n. 41.* Reiffenst. *tit. 39. infrà n. 259.* Ratio est, quia *Trid. sess. 14. c. 15. de reform.* ad hoc, ut quis audire Confessiones Sæcularium possit, absolutè, & disertè, tanquam conditionem, requirit approbationem ab Episcopo obtentam : neque distinguit inter Sacerdotes Sæculares, & Regulares ; imò istos hac sua dispositione expresè includit, ibi, *Nullum etiam Regularem*, derogando privilegiis antea habitis, ibi, *Privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* conf. derogatum censetur favori per *Extrav. cit.* concesso Religiosis. *Neque obstat*, quòd idem favor dein à *Clem. V. in Conc. Vienn. Clement. cit.* sit confirmatus, & sic videatur concessus dispositione Concilii Generalis, cui sine speciali mentione non derogatur *c. nonnulli 28. pr. de Rescript.* & *c. ex parte 3. de Capell. Monach.* nam imprimis *Clem. cit.* utpote non à Concilio, sed in hoc à Clem. V. edita, non Conciliaris, sed Apostolica est : deinde quando mentio Constitutionis Conciliaris in *c. citt.* requiritur, id intelligendum de derogatione, quæ per Rescriptum, non verò de ea, quæ per Constitutionem fit.

35 Dub. 7. an Approbatio ab Episcopo restringi valeat ad certum tempus, locum, vel personas? Satis clarum est, posse restringi ad certum locum, & personas, cùm utique respectu rudium possit aliquis esse idoneus, qui non est respectu Civitatensium, & respectu virorum, qui non est respectu fœminarum. Navar. *Man. c. 4. n. 11.* Suar. *D. 28. sect. 7. n. 19.* Wiestn. *n. 42.* *Controversia* est de restrictione ad tempus certum. *Negativam* cum nonnullis tenet Portell *Dub. Regul. V. Confessor n. 13.* quia non apparet ratio, cur, qui uno die, mense, vel anno aptus ad excipiendas Confessiones, non etiam sit aptus alio tempore. *Sed affirmativam* meliùs tenent Bar-

Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 15. *n.* 42. Lugo *D.* 21. *n.* 58. Wieſtner *n.* 43. la Croix *tom.* 6. *n.* 1492. quia poſſunt eſſe juſtæ cauſæ hujusmodi reſtrictionem faciendi e. g. propter neceſſitatem, & concurſum pœnitentium, aliorúmque Sacerdotum defectum, ut adeò approbatio tamdiu duret, quamdiu durat hæc neceſſitas, & defectus: item propter levitatem morum, & tenuitatem ſcientiæ ipſius Sacerdotis, & ad iſtius conſervandæ, & augendæ ſtudium: imò etiam ad experimentum capiendum de probitate, diſcretione, & doctrina ejusdem, an ſufficiat pro Approbatione perpetua. *Ad Argumentum contrarium* experientia paſſim docet, ſcientiam rerum Moralium, quam Sacerdotes de præſenti habent, ſæpenumero in illis, præſertim quando aliis curis, & ſtudiis diſtenduntur, exoleſcere, ut ad priſtinam ignorantiam videantur rediiſſe, atque adeò novum non ſit, aliquem uno tempore idoneum eſſe, qui poſtea per oblivionem eorum, quæ didicit, ſit inidoneus.

36 Dub. 8. an valeat abſolutio collata à Sacerdote, quem Epiſcopus idoneum judicavit, cùm reipſa non eſſet? R. affirmativè, ſi pœnitenti rite diſpoſito cum debita intentione, & adhibitâ abſolutionis formâ collata eſt; quia per Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 15. *de reform.* irritata non eſt: imò non oportebat eam irritari; cùm enim ejusmodi error ſæpe occultus ſit, ſæpe dubium eſſe poſſet de valore approbationis, & conſ. etiam abſolutionis cum gravi periculo animarum. Suar. *D.* 28 *ſect.* 5. *n.* 7. Reginald. *l.* 1. *n.* 197. Bonac. *D.* 5. *de Pœnit q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 30. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 25. *n.* 40. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 17. §. 1. *n.* 1. Wieſtn. *n.* 44. Imò juxta eundem Barboſ. *n.* 40. & Palao *n.* 2. valida eſt approbatio Sacerdotis, & ab hoc data abſolutio, quem Epiſcopus fictè duntaxat, h. e. verbis externis ſine intentione interna approbationem concedendi, approbavit; quia cùm Eccleſia non judicet de occultis, & quæ in actum externum non prodeunt, *Tridentinum* approbationem exigens ſolùm loqui cenſendum eſt de Approbatione externa, & viſibili. Similiter juxta Suar. *l. cit.* valida eſt abſolutio, facta à Sacerdote, quem Epiſcopus non judicavit aptum, & tamen approbavit; nam licèt approbatio talis injuſta, & illicita ſit, non tamen videtur nulla: alioquin multæ confeſſiones redderentur dubiæ; quia ſæpe hujusmodi approbatio datur per favorem, & vel contra judicium, vel certè ſine judicio de ſufficientia Sacerdotis. Contrà invalida eſt abſolutio data à Sacerdote quam Epiſcopus in animo idoneum judicat, absque ulla manifeſtatione hujus ſui judicii, ob defectum declarationis externæ, in qua maximè eſſentia approbationis conſiſtit. Suar. *l. cit.* Coninck *n.* 49. Barboſ. *n.* 41. Wieſtner *n.* 44. *fin.*

Dub. 9. an Approbatio ſemel data ab 37
Epiſcopo, vel ejus Succeſſore revocari poſſit? *Negant* aliqui revocari poſſe ſaltem ab Epiſcopo, à quo obtenta eſt, ex ratione, quia approbatio non eſt gratia, vel favor, ſed ſententia quædam, & judicium authenticum, Sacerdotibus, ſi apti ad Confeſſiones audiendas reperiantur, ex Juſtitia debitum. atqui ſententia ſemel prolata, poſtquam in rem judicatam tranſiit, à Judice, à quo prolata eſt, ampliùs revocari non poteſt *c. quod ad conſultationem* 15. *de Sent. & re jud.* & *Auth. hodie* C. *de Appell.* Verùm quia textus *citt.* tantùm loquuntur de Sententia Judiciali, à qua ad judicium de idoneitate extrajudiciale, utpote diverſum quid, malè ducitur argumentum, ideo dicendum, revocari Approbationem ſemel conceſſam poſſe: ubi tamen eſt diſtinguendum, an approbatio conceſſa ſit ſolitariè, an cum Beneficio Parochiali, vel Curato. *Si hoc ſecundum*, revocari Approbatio nequit, niſi Sacerdos, tale Beneficium obtinens, ex juſta cauſa ipſo privetur, vel ab Officio ex ſimili cauſa removeatur, aut ſuſpendatur. Reginald. *l.* 1. *n.* 201. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 25. *n.* 23. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 17. §. 4. *n.* 1. Wieſtner *n.* 47. *ỳ. & primò. Si primum*, videndum eſt, an Approbatio ſit data ad arbitrium, & beneplacitum, an verò abſolutè, & ſine limitatione. *Si prius*, revocari poteſt, ſaltem intervenientе cauſa: imò morte concedentis ſine revocatione exſpirat. Barboſ. *n.* 55. Wieſtner *ỳ. ſecundò. Si poſterius*, revocari poteſt, interveniente juſtâ cauſâ, e. g. propter mutatos mores, ſcientiæ moralis oblivionem &c. hac verò ceſſante, non poteſt, quòd jus per approbationem Sacerdoti jam ſit quæſitum. Suar. *D.* 28. *ſect.* 8. *n.* 7. Barboſ. *n.* 47. Palao *n.* 6. Wieſtner *ỳ. tertiò, & quartò.*

Quæritur 4. quid ſit *Jurisdictio Con-* 38
feſſarii, & quæ ſit ejus neceſſitas? R. eſt *poteſtas Judicialis ligandi, & ſolvendi pœnitentem ſubditum ſibi confeſſum.* Herzig *Man. Confeſſ. n.* 211. nam quamvis in ipſa Ordinatione poteſtas aliqua abſolvendi, conferatur Sacerdoti, tamen iſta duntaxat remota, & incompleta eſt, quæ deinde per collationem, Jurisdictionis completa, & proximè expedita efficitur cum ſubditorum deſignatione. Vallenſ. *hic* §. 6. *n.* 3. Herzig *l. cit. n.* 212. Ex quo ſequitur, Jurisdictionis in perſonam, & peccata pœnitentis defectum facere abſolutionem nullam. Wieſtner *hic n.* 50. *Excipiuntur* tres caſus, in quibus ex Eccleſiæ benignitate, & perpetua conſuetudine fideles indiſcriminatim omnes cujusvis Sacerdotis Juris-

dictioni subjiciuntur: 1. si habeant peccata solum venialia. 2. si mortalia quidem habeant, sed à quibus jam semel legitimè sunt absoluti. 3. instante articulo mortis. Inter hunc tamen, & duos priores casus id est discriminis, quòd in isto absolvere possit validè etiam Excommunicatus vitandus, depositus, & degradatus; non verò in duobus prioribus. Suar. *D. 26. de Pœnit. sect. 5. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 10. n. 2.* Palao *tr. 23. D. un. p. 13. n. 5.* Wiestner *n. 53.* la Croix *tom. 7. n. 1548. pr. item n. 1559. &c.* Ratio est, quia Jurisdictionis actualis usus, quo ejusmodi Censuratus caret, pro solo articulo mortis concessus est. Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacr. Pœnit.*

39 Dub. 1. quotuplex sit Jurisdictio fori conscientiæ? R. duplex Ordinaria scilicet, & Delegata. *Ordinariam* habet Papa respectu totius Ecclesiæ, Episcopus, hujúsque, & Capituli Sede vacante Vicarius respectu suæ Diœcesis, & Prælati Regulares respectu sui Ordinis, vel Monasterij, Parochi respectu suæ Parochiæ. Palao *tr. 23. D un. p. 13. n. 9.* Valens. *hic* §. *6. n. 4.* König *n. 6.* Wiestn. *n. 50.* la Croix *n. 1548. cit.* *Delegatam* habent, quibus potestas audiendi Confessiones subditorum fidelium à Papa, Episcopo, Parocho, vel alio Curato, ordinariam Jurisdictionem obtinente, commissa est *c. cùm Episcopus 7.* ibi *Vel per alium de Offic. Ordin. c. omnis 12. h. tit.* ibi *Sacerdoti proprio*, i. e. Parocho, vel alteri Ordinario, *vel alieno* i. e. non ordinario cum proprij licentia, vel ejus commissione. Abb. *in c. 12. cit. n. 7.* Laym *l. 5. tr. 6. c. 10. n. 11.* Palao *p. 13. cit. n. 14.* König *n. 6.* Wiestner *n. 57.* la Croix *l. cit.* Exhis Delegatis autem illi duntaxat subdelegare possunt, quibus causarum fori interni universitas commissa, & hæc commissio officio, seu muneri eorum ordinario annexa est, adeò, ut ratione illius potestas absolvendi competat, ac per modum muneris commissa sit. Palao *l. cit. n. 16.* Et hinc quia Confessarijs Regularibus, & Parochorum Cooperatoribus potestas absolvendi non competit ratione muneris, & officij ordinarij, facultatem subdelegandi ejusmodi potestatem non habent, Wiestner *n. 58.*

Dub. 2. quomodo acquiratur Ju-
40 risdictio, sive potestas absolvendi delegata? R. acquiri potest multipliciter. Et 1. quidem Jure communi: & sic potestatem Delegatam absolvendi quosvis fideles habet quivis Sacerdos in casibus *n. 38.* exceptis: Item Confessarij, electi ab Episcopis, aliisque Prælatis exemptis vi *c. fin. h. tit.* & ipsi etiam Episcopi in casibus variis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati. Wiestner *n. 59.* 2. commissione hominis, sive tacito, vel expresso consensu alicujus eorum, quibus juxta dicta *n. præc.* potestas Jurisdictionem hanc delegandi competit. Wiestner *n. 60.* 3. privilegio Apostolico: & vi talis privilegij Religiosis, præsertim Mendicantibus concessum est, ut Confessiones quorumcunque fidelium, ad eos accedentium, audire eósque absolvere possunt à quibuscunque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quæ ex illis resultant, exceptis ijs, quæ comprehenduntur in Bulla Cœnæ. *Const. Pauli III.* incipit *Cùm inter 3. Jun. 1545.* & *Gregor. XIII.* allegata *in Compend. Privil. Societ. JESU V. Absolutio* §. 1. Wiestner *n. 65.* & alij passim. 4. consuetudine legitimè præscripta, saltem quando Jurisdictionis illius possessio vel quasi bona fide 40. annis cum titulo, vel sine hoc per tempus immemoriale continuata est *arg. c. Episcopum 1. de præscript. in 6.* Navar. *in can. placuit 3. dist. 6. de Pœnit. n. 40.* Sylv. *V. Confessor 1. n. 8. fin.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 4. n. 4.* Pirhing *hic n. 36. not. 3.* Wiestner *ibid. n. 68.* 5. eandem Jurisdictionem tribuit, vel ipsius alio titulo non acquisitæ defectum supplet Ecclesia casu, quo Sacerdos potestatem absolvendi ordinariam, vel delegatam habere communi errore existimatur, ita exigente bono publico animarum, ne ab aliena malitia, & communi, atque inculpata ignorantia patiantur detrimentum *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* Wiestner *n. 69.*

Dub. 3. an in mortis articulo absol- 41
vere possit Sacerdos simplex, præsente proprio, vel privilegiato, & Excommunicatus vitandus, præsente non excommunicato? Affirmant aliqui magni nominis DD. persuasi generalitate verborum Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacr. Pœnit.* ibi, *Omnes Sacerdotes.* Sed negativa communis, & verior est, quam etiam defendit Molin. *tr. 4. de I. & I. D. 13. n. 1.* asserens, id à *Gregorio XIII.* declaratum. Suar. *D. 26. de Pœnit. sect. 4. n. 4.* Sanch. *l. 2. mor. c. 3. n. 7.* Valq. *q. 93. art. 1. dub. 4. n. 18.* Coninck *D. 8. de Pœnit. dub. 12. concl. 2.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 12. n. 14.* Bonac. *D. 5. de Pœnit. q. 7. p. 1. n. 10.* Palao *tr. 23. D. un. p. 13. n. 8.* Carden. *2. Crif D. 2. n. 424.* Wiestner *hic n. 53.* la Croix *tom. 7. n. 1562.* Et ratio est quia Trid. *c. 7. cit.* voluit subvenire necessitati fidelium, in eo articulo constitutorum, *ne hæc ipsa occasione* reservationis *aliquis pereat*, is autem, qui proprium, vel non Censuratum Sacerdotem habet, in tali necessitate constitutus non est; quia ab hoc absolutionem Sacramentalem obtinere potest. ergo &c. *Ex quo patet*, generalitatem verborum *Trid.* non obstare huic responsioni: imò ista ex

eo

eo textu manifestè confirmatur; nam Sacra Synodus *l. cit.* ait, ita *in Ecclesia DEI custoditum semper fuisse*, ut indicaret, quoad hanc rem non condi novum Jus, sed declarari, & approbari Jus jam receptum in Ecclesia DEI, atqui in Ecclesia DEI antehac moribundi à peccatis absolvi consuevérunt ab alijs, absente solùm proprio Sacerdote, vel ex ejus commissione, ut colligitur ex *can. Presbyteri 4. can. aurelius 5.* & *can. fin. caus. 26. q. 6.* ergo &c.

42 Dub. 4. an qui in articulo mortis proprio, vel privilegiato, aut non censurato Sacerdote absente, absolutus est à Sacerdote simplici, vel Excommunicato, illo periculo præter exspectationem cessante, iterum confiteri Sacerdoti proprio, vel pro reservatis sistere se Superiori debeat? *Rationem dubitandi* facit *c. ea noscitur 13. ¶. si vero de Sent. Excomm. c. eos qui 22. eod. in 6. Extrav. 1. ¶. incendiarijs de Privil.* ubi tali casu absolutus ab Excommunicatione, cùm primùm potest, jubetur se præsentare Superiori. videtur autem idem dicendum de peccatis saltem reservatis, Censuræ non obnoxijs. *Sed tenenda* est Sententia negativa, quam etiam defendunt Sylv. *V. Confessor 1. n. 16.* Navar. *Man. c. 26. n. 26.* Suar. *D. 26. sect. 4. n. 8.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 12. n. 15.* Bonac. *p. 1. cit. n. 13.* Wiestner *n. 54.* Ratio est, quia moribundum à talibus peccatis, quibus Censura annexa non est, directè, & absolutè absolvendi facultatem quilibet Sacerdos habet, peccata autem directè, & absolutè remissa iterum confitendi obligatio nulla datur, ergo &c. *Ad Rationem dubitandi* dico, *citt.* textibus solùm sermonem esse de Reservatis, Censuram annexam habentibus, à quibus, ad cætera peccata etiam reservata malè ducitur argumentum, cùm reservatio sit odiosa.

43 Dub. 5. quomodo in foro Pœnitentiali interno exercenda Jurisdictio tacitè commissa intelligitur? ℟. tunc ea intelligitur tacitè commissa, quando is, qui delegare eandem valet, verè habet animum consentientem in exercitium Jurisdictionis ab alio faciendam, & hunc suum animum signo, vel indicio aliquo externo sufficienter manifestavit. Suar. *D. 27 sect. 4. n. 17.* Coninck *D. 8. dub. 5.* Laym *l. 5. tr. 6. c. 10. n. 15.* Wiestner *hic n 64.* Herzig *Man. Confess n. 224.* Atque hinc 1. non sufficit, licentiam fuisse petitam tantùm, quia ex sola petitione facta nondum satis colligitur animus concedendi Jurisdictionem. Suar. *D. 27. sect. 4. n. 20.* 2. non sufficit, si is, qui delegare valet, e. g. Parochus præsens sciat, aut videat ab alio audiri Confessiones suorum Parochianorum, & taceat; quia cùm Parochus tacere possit ex alia ratione, e. g. quòd judicet subditum suum confiteri tantùm venialia, vel quòd ideò habeat facultatem Confessarium eligendi, aut Confessarius audiendi quoscunque pœnitentes, ex hac taciturnitate sola nondum satis colligitur animus committendi Jurisdictionem. Suar. *n. 17. cit.* Coninck *dub. 5. cit. n. 35.* Palao *tr. 23. D. un. p. 14. n. 3.* Wiestner *n. 62. Neque obstat*, quòd taciturnitas Parochi, videntis coram extraneo Sacerdote celebrari Matrimonium, sufficiat, ut assistentia Matrimonialis censeatur ab eo tali Sacerdoti commissa; nam cùm ferè certus sit Parochus, licentiam assistendi Matrimonijs Parochianorum suorum aliunde non haberi, taciturnitas illius in casu, quo facilè potuisset contradicere, pro consensu habetur. Wiestner *l. cit.* 3. non sufficit, quòd delegare potens Jurisdictionem exercere volenti sit bene affectus, & eam concederet, si peteretur. Suar. *l. cit. n. 16.* Lug. *D. 19. n. 22.* Wiestner *n. 63.* Herzig *n. 224.* Ratio est, quia actus voluntatis, ut DD. *citt.* notant debet de præsenti actu existere; nam actu operari Jurisdictionem delegatam debet, & ea, quæ non existunt actu operari non possunt. Et ex hoc capite, 4. non sufficit, quòd delegare potens factum præsumatur ratihabiturus, vel etiam ex post facto ratum habeat. Sylv. *V. Confessor 1. q. 6. dict. 8.* Navar. *Man. c. 9. n. 6.* Suar. *D. 26. sect. 1. n. 14.* Laym. *c. 10. cit. n. 16.* Palao *p. 14. n. 4.* Lug. *n. 1.* Wiestner *n. 61. Neque obstat*, quòd pro licita administratione Sacramenti Eucharistiæ, vel externæ Unctionis sufficiat ratihabitio de futuro præsumpta; quia ad horum Sacramentorum validam administrationem nullus requiritur consensus delegantis actualis, sed tantùm ad licitam, ne jus alterius violetur, quod jam non violatur, si prudenter præsumatur alter ratihabiturus factum.

Dub. 6. quæ sit praxis Privilegij 44 Ordinib s Religiosis concessi à Pontt. ad audiendas Confessiones quorumcunque fidelium ad Confessarios Regulares accedentium? ℟. hoc privilegium immediatè non Religiosis particularibus, sed ipsis Ordinibus Religiosis, horúmque Superioribus, & quidem ita concessum est, ut per illud non derogetur laudabilibus illorum Statutis, & consuetudinibus. Mirand. *tom. 1. Man. Præl. q. 45. art. 12.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 9. c. 2. à n. 3.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 10. n. 19.* Palao *tr. 23. D. un. p. 14. n. 7.* Wiestner *n. 66.* Et hinc 1. non possunt Religiosi particulares muneri audiendi Confessiones fidelium sese sponte sua ingerere, sed debent ad hoc habere consensum Superiorum suorum: aliàs collatæ ab ipsis absolutiones (secluso communi errore) erunt invalidæ; quia hoc privilegium datum est ipsis dependenter à voluntate Superiorum, ut hi communicare hoc possint ijs,

quos ad Sacramentum istud administrandum idoneos judicârint: conf. antequam communicetur, Religiosi particulares carent Jurisdictione. DD. *citt.* 2. ijsdem Religiosis particularibus facultas audiendi Confessiones à Superioribus suis restringi potest ad certos tantùm fideles, v. g. ad viros tantùm, & non ad fœminas audiendas. Imò ex justa causa, etiam non notoria, e. g. ob se prodentem scientiæ defectum, ob timorem indebitæ administrationis Sacramenti, vel in pœnam alicujus delicti commissi, potest facultas illa ab ijsdem Superioribus iterum auferri, ita, ut Sacramentum sine nova licentia invalidè administrent: quod tamen in simplici prohibitione, nisi exprimatur, non præsumitur. Mirand. *art. 13.* Suar. *n. 27.* Laym. *n. 19,* Palao *n. 9.* Wiest. *n. 66.* 3. Religiosi, ad audiendas Confessiones fidelium à Superioribus suis expositi, non possunt audire Confessiones Religiosorum Ordinis diversi, sed hi adire pro absolutione peccatorum suorum obtinenda debent Sacerdotem sui Ordinis, ab istius Superiore deputatum, nisi potestatem habeant eligendi sibi alium confessarium, vel itinerantes sint, & Sacerdotem sui Ordinis habere nequeant; quia privilegio illo generali non censetur derogatum Statuto, consuetudini, vel privilegio speciali, quo plerique Ordines Religiosi moniti sunt, ut Religiosi illorum contra Superiorum suorum voluntatem alijs confiteri nequeant Rodriq. *tom. 1. reg. q. 60. art. 6, & q. 62. art. 5.* Suar. *tr. 8. l. 2. c. 16. à n. 12.* Laym. *c. 10. cit. n. 20.* Palao *p. 14. n. 11.* Wiest. *n. 67.* Reiffenstuel *tit. 39. infrà n. 260.*

45 Dub. 7. quinam habeant facultatem, seu privilegium eligendi sibi Confessarium? R. de Jure communi nullus Episcopus, vel Prælatus etiam Superior Episcopo eligere sibi Confessarium potest, sed Episcopus deberet confiteri suo Archiepiscopo, hic Patriarchæ suo, & Patriarcha Papæ, Patet ex *c. omnis 12. h. tit.* & ratio est, quia nemo potest absolvi, vel ligari, nisi à suo Judice, aut Prælato proprio, qui in illum Jurisdictionem ordinariam habet. Quia verò in Ecclesia sic diffusa hoc moraliter inobservabile est, idcirco moderatus rigorem hunc est Pontifex Gregorius IX. & per privilegium *c. fin. h. tit.* concessum eligere ibi Confessarium possunt. 1. Episcopi: quo nomine hic intelliguntur etiam non consecrati, sed confirmati tantùm; imò etiam Episcopi, qui Diœcesim, vel Episcopatum non habent, ut sunt Titulares, & qui renuntiârunt Episcopatui: & extenditur concessio hæc etiam ad non exemptos; neque his opus est licentiâ sui Archiepiscopi, ut notat Host. *hic V. Episcopi §. sed nunquid*, Abb. *ibid. n. 3. ℣. sed quæro*, Joan. Andr. *V. eod.* Vivian. *ibid. in Ration.* Valiens. *hic §. 6. n. 4.* Pirhing *n. 33.* la Croix *tom. 7. n. 1548. pr.* 2. Prælati alij superiores Episcopis, ut Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates *c. fin. cit.* ibi, *Et alijs superioribus.* Item Cardinales, quibus communicatur privilegium concessum Episcopis, & Prælatis exemptis, saltem si sint Episcopi, vel Legati à Latere. Azor *p. 2. l. 4. c. 3. q. 16.* Fagnan *in c. fin. cit. n. 32. & seqq.* Vall. la Croix *l. citt.* 3. Prælati minores, exempti, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecti. Host. *l. cit. V. minoribus*, Abb. *ibid. n. 2.* imò probabiliter etiam illi, qui immediatè subjiciuntur Provinciali, vel Generali suo, ut sunt Prælati Regulares locales, si exempti sint à Jurisdictione Episcopi, & Jurisdictionem spiritualem fori contentiosi, seu externi habeant. Sylv. *V. Confessor 1. q. 8.* Tambur. *tom. 2. de jur. Abb. D. 6. q. 10. n. 3.* Pirhing *n. 34.* 4. Reges, & Principes (quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur) item domestici Pontificis ex consuetudine. la Croix *l. cit.* & omnes illi, qui gaudent privilegijs Bullæ Cruciatæ Herzig *Man. Confess. n. 237.* §. ij, quibus sive Pontifex, sive Episcopus, sive Parochus licentiam, eligendi sibi Confessarium, quem voluerit, dedit: debet tamen Confessarius talis, qui virtute talis concessionis eligitur, esse idoneus, & approbatus ab Ordinario. Fagn. *in c. fin. cit. n. 11. & seqq.* ita autem electus non hoc ipso potest absolvere à reservatis; quia facultas ab his absolvendi indiget speciali mentione *c. si Episcopus 2. h. tit. in 6.*

Dub. 8. utrum consuetudine acqui-46 ri possit facultas eligendi Sacerdotem non suum pro Confessione apud ipsum deponenda? Videtur non posse ob textum *c. si Episcopus 2. h. tit. in 6.* ubi reprobatur consuetudo hæc eligendi sine licentia Pastoris proprij. Verùm hic textus non obstat, quin locum habere possit consuetudo saltem immemorialis; quia hanc non afficit reprobatio consuetudinis solùm generalis, ut dictum est, *Libr. 1. Tit. 4. n. 31.* & ratio est, quia talis consuetudo æquiparatur privilegio, ex certa scientia concesso à Principe *c. super quibusdam 26. ℣. præterea de V. S.* & *l. hoc jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. de aqu. quotid. & æstiv.* Quare verisimilius est, hujusmodi potestatem eligendi sibi Confessarium à Communitate aliqua vi consuetudinis immemorialis, vel huic æquivalentis acquiri posse: vel si nequeat saltem, viâ hac acquiri potest fori interni Jurisdictio, quòd consuetudo istam conferens minùs suspecta sit de irrationabilitate, nec ullo Jure reprobata. Wiestner *hic n. 68.*

Quæ-

47 Quæritur 5. quid sit *casuum Reservatio?* R. *est actus, quo Superior alicui inferiori vel non concedit Jurisdictionem in aliqua peccata, vel jam antea concessam eidem iterum aufert.* Stoz *Trib. Pœn. l. 2. q. 2. art. 3. §. 1. n. 57.* la Croix *tom. 7. n. 1599. pr.* Herzig *Man. Confess. n. 149.* Hinc *Casus reservati* vocantur graviora quædam peccata, à quibus inferior Confessarius pœnitentes, in quos aliàs ordinariam, vel delegatam Jurisdictionem habet, absolvere nequit propter defectum Jurisdictionis ab illa sibi non concessæ, vel ablatæ. Wiestner *hic n. 70.* Herzig *l. cit.* ut proinde pro absolutione istorum obtinenda recurrendum sit ad Superiorem, qui potestatem ab his absolvendi inferiori denegatam, vel ablatam reservando sibi appropriavit. Introducta autem reservatio ista est Ecclesiæ, & animarum bono, ut innuit Trid. *sess. 14. c. 7.* & *can. 11. de Sacr. Pœnit.* tum quia ad regimen animarum internum spectat, non quævis peccata à quovis Confessore remitti, cùm illorum aliqua exactius judicium exigant, & majorem peritiam Judicis, qui severitatem cum benignitate temperare, & corrigere pariter, atque mederi noverit; tum etiam ut hac necessitate adeundi Superiorem, & absolutionis obtinendæ difficultate, quasi freno, fideles coërceantur in officio, & à graviorum criminum perpetratione retrahantur. Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 1. n. 1.* Wiestner *l. cit.*

48 Dub. 1. quænam peccata reservationi obnoxia sint? R. ad hoc requiruntur sequentes conditiones. 1. ut sit peccatum mortale; nam venialia vel nequeunt, vel certè non solent reservari, cùm nemo teneatur illa confiteri. Suar. *D. 29. de Pœnit. sect. 3. n. 2.* Coninck *D. 8. de Pœnit. dub. 11.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 12. n. 3. concl. 2.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 1. n. 4.* Lugo *de Pœnit. D. 20. n. 14.* Wiestner *n. 73.* la Croix *l. cit.* Herzig *n. 153.* & alij passim. 2. ut sit mortale, quod nondum clavibus subjectum, & directè remissum est; nam peccata jam semel subjecta clavibus, & remissa non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Wiestner *n. 73.* 3. ut sit peccatum externum; nam licèt etiam peccata interna reservari possint, defacto tamen non solent, nisi in aliquam actum externum prodeant, ut notat la Croix *tom. 7. cit. n. 1605.* & ratio est, quia interna minùs pertinent ad externam gubernationem Ecclesiæ, quæ tamen in Casuum reservatione maximè spectatur. 4. ut sit in genere suo consummatum, nisi aliud exprimatur: & quidem non quomodocunque, sed eo modo, quo ipsa Lege reservante exprimitur v. g. *temere, scienter, præsumptuosè* commissum, ac perfectum; quia verba Legum accipienda sunt cùm effectu *c. relatum 4. de Cler. non resid.* & *l. hoc edictum 1. §. hæc autem, ff. quod quisque Juris &c.* Hinc reservatum non est, in quo actus externus quoad circumstantias externas mortalis non est, licèt mortalis sit ratione affectûs interni, à quo procedit, e. g. si furtum factum sit rei levis cum animo auferendi summam gravem. Suar. *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 18. n. 12.* Lugo *D. 20. de Pœnit. n. 15.* Wiestner *n. 76. 5.* non debet esse dubium, an tale peccatum sit reservatum, vel mortale; nam in dubio, an tale sit, reservatum non censetur, partim quia ob ejusmodi dubiorum frequentiam Sacramentum Pœnitentiæ pœnitentibus, & ejus administratio Confessarijs nimis onerosa, & exosa foret, si Reservatio in omni dubio esset observanda; partim verò quia Reservatio odiosa, ac proin restringenda potius est, quàm amplianda *Reg. odia 15. in 6.* Suar. *de Censur. D. 40. sect. 6. n. 5.* Dian. *p. 4. tr. 3 res 4.* Lugo *l. cit. n. 18.* Wiestner *n. 74.* Herzig *l. cit.*

49 Dub. 2. cui competat potestas reservandi peccata? R. competit solis illis, qui potestatem habent conferendi Jurisdictionem Ordinariam, vel Delegatam: ac propterea reservare peccata potest Papa respectu totius Ecclesiæ, Episcopus respectu suæ Diœcesis, Prælatus Regularis respectu sui Ordinis, vel Domûs, Parochus respectu suæ Parochiæ. Suar. *D. 29. de Pœnit. sect. 1. n. 4.* Lugo *D. 20. cit. n. 2.* Stoz *l. 2. q. 2. art. 3. §. 4. n. 62.* Wiestner *n. 77.* & docet Magister usus de prioribus: de Parochis verò ratio, quamvis enim non soleant, nec etiam expediat eorum reservatione Parochianos gravari, tamen nullo Jure prohibentur Cooperatoribus suis, & alijs Sacerdotibus Jurisdictionem, quam ipsis dant, restringere, & certos casus excipere. Et quidem Summus Pontifex amplissimam habet potestatem reservandi peccata, ita, ut reservare possit quæcunque peccata gravia, prout ipsi visum fuerit utile ad rectam gubernationem Ecclesiæ: defacto tamen nulla peccata eidem reservata sunt, nisi quibus annectitur Censura reservata; quæ enumerantur partim in Bulla Cœnæ, partim in alijs *Constit. Apost.* apud *Filliuc. Palao*, & alios, qui de Censuris scripserunt; unde si propter ignorantiam Censura non incurritur, aut ea à Pont. relaxatur, cessat reservatio. Episcopus verò Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacr. Pœnit.* monet, sic uti potestate hac sua, ut Reservatio, quam faciunt, *non in destructionem, sed in ædificationem* cedat, itáque moderata sit, ut fidelibus summè necessarium Sacramentum non reddat nimis onerosum, & ansam præbeat sacrilegè confitendi. Sed & Prælatis Regularibus reser-

vandi potestatem *Clemens VIII. Mot. propr. 1593.* restrinxit ad casus undecim, qui ab ijsdem, si velint, & judicent consultum esse, reservari possunt, simúlque statuit, ut si ultra hos casus Superiores Regulares pro conservatione Religiosæ observantiæ, & puritate conscientiæ existiment aliquos reservandos, non aliter istud faciant, quàm cum matura discussione, & consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, & Capituli Provincialis pro tota Provincia.

50 Dub. 3. quinam casus Episcopis sint reservati? ℟. circa hoc cujusque Diœcesis Statuta, & consuetudines spectandæ sunt, ut cum *Cajetano* monet Palao *tr. 3. D. un. p. 15. §. 2. n. 2.* nam ipso Jure ijsdem probabiliùs nulla peccata sunt reservata. Ex consuetudine in Episcopatibus reservari potissimùm solet. 1. Homicidium voluntarium, quantumvis occultum sit. 2. crimen incendiariorum, hísque auxilium præstantium. 3. Sacrilegium per loci Sacri effractionem, despoliationem, aut voluntariam, illíque injuriosam humani sanguinis, vel seminis effusionem commissum. 4. perjurium, & falsum testimonium dictum in Judicio. 5. falsificatio Litterarum. 6. violenta manùs injectio in parentes. 7. fortilegium, sive Magiæ exercitium. 8. peccata, quibus annexa est Irregularitas. 9. adulterium notorium, eóque graviora carnis, aliáque delicta valde enormia, & publicè scandalosa. Laym. *l. 5. tr. 6. c. 12. n. 4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 50.* Palao §. *2. n. 2.* Wiestner *hic n. 78.*

51 Dub. 4. quinam casus juxta *Motum proprium Clem. VIII. cit.* reservari possint à Prælatis Regularibus? ℟. 1. Veneficia, incantationes, fortilegia. 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra sepia Monasterij, seu Conventûs egressio fiat. 3. nocturna, ac furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. proprietas contra Votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo. 6. procuratio abortûs, & auxilium, seu consilium ad hunc faciendum post fœtum animatum, etiam effectu non secuto. 7. falsificatio manûs, seu Sigilli Officialium Monasterii, aut Conventûs. 8. furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. occisio, vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ. 11. malitiosum impedimentum, aut retardatio, vel apertio Litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Laym. *c. 12. cit. n. 6.* Palao §. *2. n. 15. & seqq.*

Dub. 5. quinam casus sint reservati in Societate JESU? ℟. in hac 11. relatis authoritate *Congregationis Generalis V.* additi sunt casus alii decem, videlicet 1. perjurium, & falsum testimonium in Judicio, & extra. 2. furtum, & usurpatio alicujus rei contra votum Paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. 3. lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra Votum Castitatis, quod in actum externum prodeat. 4. inobedientia expressa, quâ quis affirmat se nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, & divisio à capite in grave nocumentum Societatis. 6. detractio famæ, bonæque existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter fratres. 7. Impedimentum excludens à Societate reticuisse in Examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit. 8. acceptatio, seu omissio litterarum absque licentia expressa, quæ scilicet acceptatio, vel Missio contineat rationem peccati mortalis. 9. transgressio Votorum simplicium, quæ Professi emittunt post Professionem. 10. Censuræ Societatis nostræ, seu peccata, quæ in Constitutionibus, Bullis, vel Decretis annexam habent Excommunicationem: de quibus plura Palao *p. 15. cit. §. 3. per totum.*

52 Dub. 6. an reservationem incurrant etiam ignorantes? ℟. distinguendo; nam duplex est Reservatio; pœnalis, & non pœnalis. *Pœnalis* dicitur, quæ delicto in ejus odium, & pœnam imponitur, & hoc modo imposita censetur, quando Lege specialiter ipsum delictum prohibetur simul, & punitur, quales sunt reservationes peccatorum, quibus Lege aliqua Ecclesiastica annectitur Censura, vel alia pœna. *Non pœnalis*, & *merè medicinalis* est, quæ delicto solùm imponitur in bonum fidelium, & Ecclesiæ, vel Religiosæ familiæ rectam gubernationem: quo modo facta censetur, cùm imponitur simpliciter, sive Lege delictum non simul specialiter prohibente. A *pœnali* ignorantia, saltem invincibilis, delinquentem excusat, non verò à non pœnali. Sanch. *l. 9. de Matr. D. 33. n. 18.* Palao *tr. 2. D. 1. p. 17. n. 8.* Stoz *Trib. Pœnit. p. 2. q. 2. n. 59.* Wiestner *hic n. 81.* la Croix *tom. 7. n. 1607. & 1608.* Herzig *Man. Confess. n. 154.* Ratio de *reservatione hac posteriore*, seu *non pœnali* est, quia est absoluta ablatio Jurisdictionis, sine qua pœnitentis absolutio non subsistit, sive delictum scienter, sive ignoranter perpetrârit. De *Pœnali* verò, quia sequitur naturam Legis pœnalis, à qua taxata pœna non incurritur ab eo, qui pœnam impositam invincibiliter ignoravit. *Neque obstat*, quòd Pœnali etiam Reservatione Jurisdictio Confessario inferiori denegetur, vel

vel auferatur; quia hoc non fit omnino absolutè, sed sub tacita conditione, *Nisi delinquens Legem, eaque proditam reservationem invincibiliter ignorârit.*

54 Dub. 7. quis absolvere possit à Casibus reservatis? R. in articulo mortis absolvere ab ijs quivis Sacerdos potest; quia in hoc reservatio omnis cessat juxta Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacr. Pœnit.* Neque sic absolutus, postquam convaluit, sistere se superiori tenetur, nisi peccato annexa sit Excommunicatio, vel alia Censura reservata; nam à tali peccato absolutus, postquam convaluit, sistere se Superiori debet, idque sub pœna reincidentiæ injungendum, ut patet ex *c. de cætero 11. de Sent. Excomm. & c. eos qui 22. eod. in 6.* Extra hunc articulum absolvere potest is, qui sibi absolutionem reservavit, hujus Superior, & ab istis delegatus ad finem absolvendi à reservatis. Et ita delegatam potestatem habent Episcopi in peccata Pontifici reservata, si sint occulta, & ad forum contentiosum nondum deducta, vi Trid. *sess. 24. c. 6. reform. de* uti etiam, si propter impedimentum stabile, e. g. senium, infirmitatem, itineris longitudinem &c. adiri non possit Pontifex, vel istius Legatus. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 5.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 4. n. 2.* Dicast. *de Pœnit. D. 11. n. 268.* Wiestner *hic n. 84.* la Croix *tom. 7. n. 1624.* Quam potestatem communior sententia etiam Parocho concedit, quando etiam Episcopus, vel alius privilegiatus adiri nequit. Tambur. *de Casib. reserv. c. 12. §. 2. n. 28.* Regulares tantùm possunt, quantùm ipsis conceditur per privilegia. Religiosi Mendicantes ex vi privilegiorum suorum, quæ à Sede Apostolica sibi indulta habent, absolvere quosvis fideles ad ipsos accedentes possunt à casibus Papalibus, exceptis iis, qui in Bulla Cœnæ comprehenduntur: & hoc de Confessariis Societatis JESU cum aliis testatur la Croix *tom. 7. n. 1611.*

55 Dub. 8. quis absolvere possit à Casibus Episcopalibus? R. ordinariè potestas absolvendi ab istis committi ab Episcopo solet Vicario ipsius in Spiritualibus Generali, & Pœnitentiario; frequenter etiam Decanis ruralibus, & Parochis. König *hic n. 15.* Wiestner *ibid. n. 88.* Regulares autem, etiam Mendicantes, ab istis vi privilegiorum suorum, non requisitâ, vel obtentâ Episcoporum licentiâ, non possunt absolvere, prout statutum est ab *Urbano VIII. 1628.* & *Clem. X. in Bulla* incipit *Superna magni Patrisf.* ut adeò *Alexander VII.* in *Decreto suo edito 24. Sept. 1665.* inter alias prohibitas meritò damnaverit etiam istam: *Mendicantes possunt absolvere à casibus, Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Extendit Decretum hoc Viva *ad Prop. 12. Alexandri VII.* etiam ad casus, quos Papa, vel Jus commune, aut consuetudo reservat Episcopo: sed in hoc valde probabiliter contradicunt *Aversa*, & alii plusquam triginta Authores apud Thom. Hurtad. *tom. 1. tr. 5. ref. 17.* nam videtur esse sermo de casibus, quos ipsimet Episcopi sibi reservant. Hinc aliqui cum Pellizar. *tr. 6. c. 2. n. 29.* dicunt, Mendicantes posse absolvere a casibus, quos non Episcopus, sed Synodus reservat Episcopo: sed in hoc meliùs contradicit *Viva*; quod enim reservat Synodus, cui præest Episcopus, reservat ipse Episcopus. la Croix *tom. 7. n. 1628.* & alii passim. Dixi autem, *Regulares Confessarios non posse absolvere à Casibus Episcopalibus, non obtenta ad id Episcoporum facultate*; nam absque hac Jurisdictionem in illos casus non habent: Unde hodie Regularium Superiores ab Episcopis petere solent facultatem à casibus illis absolvendi per subditos suos, quos Episcopali authoritate jam antea approbatos, ad excipiendas Sæcularium Confessiones exposuerint, exercendam. Wiestner *hic n. 88.*

56 Dub. 9. quis absolvere possit à casibus, quos pro Religiosis sibi subditis reservavit Generalis, vel Provincialis? R. si reservatio non est specialiter facta, expressè denegando potestatem quibuscunque aliis, ab his casibus præter Generalem, & Provincialem Ordinis, absolvere possunt Superiores Locales, & immediati, eámque potestatem delegare aliis inferioribus. Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 19. n. 16.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 4. n. 5.* Wiestn. *hic n. 90.* Ratio est, quia peccata ita generaliter reservata censentur reservata Superiori Religiosorum immediato, cùm ea ordinariè non expediat reservari absolutioni absentis; sic enim sæpe diu nimis Religiosus, in talem casum incidens, carere cogeretur absolutione directa à tali casu, quod durum foret Religioso delinquenti. Ab alio autem vel sui, vel alieni Ordinis Confessario, nisi potestatem ad hoc sibi commissam habeat, etiamsi aliàs iste vi privilegii Apostolici à peccatis, & casibus, Bullâ Cœnæ non comprehensis, possit absolvere, ipsi non possunt absolvi, ut dictum est *suprà n. 44.* *Excipitur*, nisi talis Religiosus privilegium speciale habeat: & tale habent FF. Minores concessum à *Sixto IV.* ut possint semel in vita, & articulo mortis eligere Confessarium ex Ordine suo, ab istius Prælato approbatum, & ab isto absolvi ab omnibus criminibus, excessibus, & Censuris, etiam reservatis: quo privilegio etiam uti possunt quicunque Mendicantes, qui cum ipsis communicant in privilegiis, exceptis Religiosis Societatis JESU; quia hi ab alio Confessario, quàm per Superiorem designa-

signato absolvi per Constitutiones Apostolicas prohibentur. Palao *l. cit. n. 6.* Item simile privilegium habent FF. Prædicatores, concessum ab *Innoc. VIII.* vi cujus ex sui Superioris licentia iter agentes absolvi à quocunque crimine, quantumcunque reservato, possunt per quemvis Confessarium Sæcularem, vel Regularem, sicut absolvere eos potest proprii Ordinis Confessarius, ad hoc facultatem à Superiore obtinens, ut referunt. Rodriq. *tom. 1. regul. q. 62. art. 5.* Suar. *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 19. n. 3.* Palao §. *cit. n. 10.* qui tamen hoc ab aliis Religionibus acceptatum negant, & dubitant, an sub ea generalitate in praxin deductum sit in ipso Ordine Prædicatorum.

57 Dub. 10. an qui in Diœcesi habet potestatem absolvendi à reservatis, eam exercere valeat in advenas, & peregrinos? Negant Navar. *in can. placuit 3. dist. 6. de Pœnit. n. 63.* & Sot. *dist. 18. q. 2. art. 4.* Melius affirmant D. Anton. *3. p. tit. 17. c. 4.* Palud. *dist. 17. q. 3.* Cajet. *Summ. V. Absolutio 2.* Suar. *D. 30. de Pœnit. sect. 1. n. 4.* Lugo *D. 20. n. 71.* Wiestner *n. 89.* quia ex tacito consensu Prælatorum, & consuetudine generali peregrini perinde, ut incolæ à Diœcesium Confessariis absolvuntur: conf. qui in Diœcesanos absolvendi potestatem habent, habere etiam censentur erga peregrinos. Estque perinde, ut DD. *citt.* cum aliis RR. notant sive peccatum tale sit reservatum in ipsa Peregrinorum, ubi domicilium habent, Diœcesi tantùm, sive in utraque, & etiam absolventis: si tamen bona fide in talem Diœcesim transierint; nam si mala fide, i. e. eo præcisè animo in alienam Diœcesim transissent, ut absolutionem à casibus reservatis consequerentur, non possent ab istis absolvi per talem Confessarium. Wiestner *l. cit.* la Croix *tom. 7. n. 1631.* Ratio est, quia tali casu, ne eluforia fiat reservatio, Jurisdictio ad absolvendum ab istis casibus consuetudine, vel tacito consensu Episcoporum extraneis Confessariis non videtur delegata.

58 Dub. 11. quid dicendum, si peregrinus, habens Casum reservatum, confiteatur Confessario non instructo potestate absolvendi à reservatis? R. cum Suar. *D. 33. de Pœnit. sect. 1. n. 5. v. at verò* cum distinctione: Vel enim peccatum reservatum est in Diœcesi tam pœnitentis, quàm Confessarii, vel in Diœcesi pœnitentis tantùm, non verò in Diœcesi Confessarii, vel contrà in hac, & non in illa. *Si primum*, fatentur omnes, si reservata non posse remitti à tali Confessore; quia à neutro Episcopo habet Jurisdictionem delegatam, ut constat. *Si secundum*, contra *Sotum*, & alios existimat *Suarez* hujusmodi peregrinum ab ita reservatis per hujusmodi ordinarios Confessarios posse absolvi; quia talis pœnitens judicandus est ut incola illius Diœcesis, & juxta forum illius. *Si tertium*, putant quidem nonnulli, etiam hoc casu absolvi pœnitentem peregrinum ab ordinariis Confessariis posse; quòd cùm non sit subditus illi Episcopo, reservatio ab illo facta non videatur hujusmodi peregrinum tangere. Sed ipse *Suarez* cum *Cajetano*, & aliis negat absolvi ab istis posse; quia licèt aliàs non sit subditus, tamen tunc judicatur ùt subditus, & ùt incola illius loci. Addo, quia reservatio non tam pœnitentem, quàm Confessarium tangit, cui tollit Jurisdictionem in casum reservatum. ergo sufficit, quòd iste sit subditus, etiamsi non sit subditus pœnitens.

59 Quæritur 6. quid sit Sigillum Sacramentale? R. hoc nomine venit obligatio non revelandi peccata, quorum notitia habetur, ex sola Confessione Sacramentali, nisi hoc pœnitens ipse concedat. Palao *tr. 23. D. un. p. 19. §. 1. n. 1.* & alii passim. Obligatio hæc inducta est Jure non tantùm Ecclesiastico, sed etiam Naturali, & Divino. *Ecclesiastico* quidem *can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6. c. dilectus 13. de Excess. Prælat. c. omnis 12. v. caveat h. tit.* *Naturali* autem tum ob tacitam promissionem, & pactionem inter confitentem, & Confessarium, tum propter Legem Charitatis, quæ dictat non faciendum alteri, quod nolumus fieri nobis; quilibet autem celari vult aliis secreta, præsertim peccata, propria confessione alicui commissa. *Divino* denique, quatenus ex perpetua praxi, & traditione Ecclesiæ Christus præsumitur ita instituisse, ut quàm fieri potest, salvâ legitimâ formâ Judicii, Sacramentum hoc minimè redderetur odiosum. Atque ex hoc tertio capite oritur maximus ille rigor hujus Secreti, adeò, ut ex nulla, etiam gravissima, & publicæ necessitatis, vel utilitatis causâ liceat Sacerdoti prodere peccata, quæ ipsi pro obtinenda Sacramentali absolutione in secreta Confessione detecta sunt, quo modo nullum Sigillum naturale obligat. Innoc. *in c. omnis cit. n. 7.* Abb. *ibid. n. 25.* Sylv. *V. Confessio 3. q. 5. dict. 4.* Navar. *Man. c. 18. n. 55.* Sanch. *l. 3. de Matr. D. 13. n. 6.* Suar. *D. 33. de Pœnit. sect. 2. n. 2.* Palao §. *cit. n. 3.* Vallens. *hic §. 13. n. 3.* König *n. 21.* Wiestner *n. 93.* la Croix *tom. 7. n. 1934.*

60 Dixi 1. *ex Confessione Sacramentali*: talis erit, si fiat animo se accusandi, & peccata sua Ecclesiæ clavibus subjiciendi; nam ex hac sola oritur Sigillum hoc. Hinc casu, quo quis Sacerdoti peccata sua aperit sub specie Confessionis, animo ipsum decipiendi, seducendi; aut trahendi in partem delicti, iste Sigillo Sacramentali non obli-

obligatur, ùt post alios antiquiores notat Navar. *c. 18. cit. n. 53.* Sanch. *n. 6. cit.* Suar. *n. 6.* Vasq. *q. 93. art. 4. dub. 3. n. 8.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 14. n. 2. v. ex his*, Bonac. *D. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 3.* Palao *tr. 2. n. 2.* Stoz. *Trib. Pœnit. l. 2. q. 4. n. 229. & 232.* Wiestn. *hic n. 100.* la Croix *tom. 7. n. 1942.* quia talis Confessio, quæ solùm instituitur animo Sacerdotem decipiendi, vel seducendi, Sacramentalis non est. Debet autem certum esse, quòd Confessio tali præcisè animo facta sit; nam si dubium est de intentione confitentis, tenebitur Sacerdos sigillo, ut Suar. *l. cit.* cum aliis addit: & ratio est; quia ad removendum omne periculum irreverentiæ Sacramento inferendæ, in tali dubio præsumendus est accedere bono animo ad Tribunal Sacrum. Idem à fortiori dicendum, siquis accedat Confessionale tantùm ad simulandum se confiteri, cùm tamen de nullo peccato se accuset, sed tantùm petat schedam Confessionis. la Croix *l. cit.* & apud hunc *Laym. Lugo, Stoz*, ex quorum doctrina tali non potest dari testimonium Confessionis; quia revera confessus non est. Salubriter tamen his casibus Confessarium monet laudatus *Navarrus*, ut iste tali animo confitentem peccata sua moneat, quòd ex sacrilega ipsius peccatorum revelatione obligatio sigilli non oriatur.

61 Dixi 2. *ex sola Confessione Sacramentali*; nam si notitiam peccati, in Confessione sibi detecti à pœnitente, aliunde ante, vel post Confessionem acoepit, ab usu hujus notitiæ non impeditur: conf. Sacerdos, cui furtum factum est, absque Sigilli violatione potest actionem furti adversùs furem jam antè institutam prosequi, aut etiam inchoare, licèt fur furtum hoc suum ei in Confessione detexerit, si ipse Sacerdos aliunde notitiam hac de re habeat, dummodo utatur solis indiciis aliunde acceptis. S. Thom. *Supplem. q. 11. n. 5.* Sot. *dist. 18. q. 4. art. 6. concl. 2.* Laym. *c. 14. cit. n. 3.* Wiestner *n. 94.* qui tamen monet, in hac re cautè agendum, & si fieri potest, pœnitentem potiùs ad alium Confessarium ablegandum.

62 Dixi 3. *nisi hoc pœnitens ipse concedat*; nam ex hujus concessione, & licentia potest uti notitiâ, etiam ex sola Confessione haustâ. S. Thom. *in 4. dist. 21. q. 3. art. 2.* & *in supplem. q. 10. art. 4.* Navar. *c. 8. n. 2.* Sanch. *l. 6. mor. c. 18. n. 43.* Suar. *D. 33. cit. sect. 5. n. 6.* Vasq. *D. 93. art. 4. dub. 5.* Laym. *c. 14. n. 14.* Bonac. *D. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. à n. 9.* Palao *p. 19. §. 1. n. 6.* Wiestner *n. 95.* cùm enim Sigilli obligatio principaliter pœnitentis favore sit introducta, ejus voluntate cessabit. Debet tamen licentia ista esse expressa, & formalis, voluntaria item, & libera, non vi dolo, aut metu extorta Palao *l. cit. n. 7. & 8.* cum aliis. Potestque semel data pro libitu revocari à pœnitente, cùm ipsius usus ex voluntate ejusdem pendeat: unde non licet Sacerdoti neque in personis, neque in tempore, neque in aliqua circumstantia excedere modum in licentia præscriptum. Henriq. *l. 6. de Pœnit. c. 23. n. 2.* Suar. *sect. 5. cit. n. 7.* Fagund. *de 2. Eccl. Præc. l. 6. c. 1. n. 18.* Laym. *c. 14. n. 15.* Palao *n. 9.*

Dub. 1. quis obligetur Sigillo Sacra- 63
mentali? R. principaliter obligatur ipse Sacerdos, cui in Confessione Sacramentali peccata sua detexit pœnitens: secundariò omnes alii, ad quos notitia Confessionis quoque modo, mediatè, vel immediatè, justè, vel injustè pervenit. S. Thom. *in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. quæst 3.* Scot. *dist. cit. q. 2.* Navar. *in can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6. n. 42.* Suar. *D. 33. sect. 4. n. 8.* Vasq. *q. 93. art. 4. dub. 1.* & *seqq.* Fagund. *l. 6. cit. c. 6. n. 26.* Dian. *p. 2 tr. 15. res. 14.* Laym. *c. 14. n. 17.* Palao *p. 19 §. 4. n. 1.* Wiestner *hic n. 96.* la Croix *tom. 7. n. 1951.* &c. Ratio est, quia aliàs non satis cautum foret fidelibus, peccata sua confitentibus, si Sigillo Sacramentali non etiam adstringerentur illi, ad quos notitia dicto modo pervenit.

Quare ad Sigillum Sacramentale 64
tenetur 1. Confessarius, cui quis manifestat sua peccata: quod non solùm verum est de Confessario legitimo, sed etiam de eo, qui à pœnitente bona fide existimatur talis; quia saltem ex intentione pœnitentis Confessio ei facta Sacramentalis fuit. 2. internuntius, & interpres confitentis. 3. huic adstantes, siquid ex Confessione præter voluntatem suam, vel de industria audiant. 4. ij quibus Sacerdos vel de licentia pœnitentis, vel sine hujus licentia peccatum ipsius revelavit. 5. Superior, à quo Confessarius petiit facultatem absolvendi à reservato. 6. qui ante actualem Confessionem à pœnitente consulitur de modo peccata sua Sacerdoti debitè exponendi. 7. is, cui pœnitens peccata sua pro Confessione rite peragenda dictavit ad calamum. 8. qui Confessionem alterius, in charta descriptam, legit. 9. omnes illi, qui in casu imminentis naufragii, prælii, vel alio simili peccata sua publicè confitentem audierunt. Suar. *D. 33. sect. 4.* Laym. *c. 14. n. 17.* & *seqq.* Palao §. *4. cit. à n. 5.* Wiestner *n. 97.* Reiffenst. *n. 2.* & alii *suprà*.

Ipse pœnitens per se Sacramentali 65
Sigillo non obligatur, ut contra Navar. *in can. Sacerdos cit. n. 115.* melius docet Major *in 4. dist. 21. q. 3. arg. 11.* Sot. *de Secret. tegend. membr. 3. q 4. concl. 4.* Tolet. *l. 3. c. 20.* Suar. *sect. 4. cit. n. 2.* Coninck *D. 9. dub. 3.* Laym. *c. 14. cit. n. 20.* Wiestn. *n.*

98. la Croix *n. 1955. & 1656.* quia obligatio Sigilli, ut *n. 62.* dictum est, introducta est in favorem pœnitentis; quilibet autem favore pro se principaliter introducto renuntiare potest. Dixi *per se*; per accidens enim obligari potest, non quidem Sigillo Sacramentali, sed naturali ad occultanda ea, quæ in Confessione gesta, vel dicta sunt, si ipsorum manifestatione istius existimatio notabiliter læderetur: quo casu hæc revelantes graviter peccant, nisi Lex Charitatis, vel præceptum Juris revelationem eorum exigeret, ut fit in casu sollicitationis ad Venerea. Wiestn. *l. citt.* cum reliquis *suprà*.

65 Dub. 2. quænam sub Sigillum Sacramentale cadant? R. 1. sub hoc Sigillum cadunt omnia peccata tam venialia, quàm mortalia pœnitentis, quæ ipse in Confessione aperuit Sacerdoti, etsi publica sint, aut absque omni dolore confessa: quin imo quæ committenda narrantur, si ex intentione se disponendi ad absolutionem mediis Sacerdotis exhortationibus dicta fuerant; quia ea confessio iniqui propositi saltem ex intentione Sacramentalis extitit. Suar. *D. 33. sect. 2. n. 8.* Coninck *D. 9. dub. 1. n. 3.* Bonac. *D. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 7.* Laym. *c. 14. cit. n. 5.* Palao *p. 19. §. 2. n. 4.* 2. peccata complicis, & aliæ circumstantiæ, quæ ad explicandum peccatum narratæ sunt, ut si confitens homicidium, dicat Titium sibi socium in hoc delicto fuisse, si declarans se suscepisse Ordines fateatur, se esse illegitimum, si accusans se de jactatione Nobilitatis, confiteatur se ignobilem esse &c. nam hoc casu sub sigillum cadit etiam peccatum Titii, natalium illegitimitas, defectus nobilitatis &c. quia licèt ista non sint materia Confessionis, conducunt tamen, saltem ex opinione pœnitentis, ad materiæ explicationem. Secus est de iis, quæ ad explicationem peccatorum dicta non fuerunt. Palao *n. 5. & 6.*

67 *Proceditque* hoc, etsi ex aliquo defectu sive pœnitentis, sive Confessarii absolutio non sequatur. Et verum est, ita, ut neque cum ipso pœnitente, hoc invito, de peccatis, vel aliis in Confessionem ad explicanda peccata detectis, aut etiam de errore in Confessione interveniente extra Confessionem loqui liceat. Sanch. *l. 3. de Matr. D. 16. n. 3. & 15.* Suar. *D. 33. sect. 5. pr.* Fagund. *l. 6. c. 4 n. 33.* Bonac. *sect. 5. cit. p. 4. n. 8. & 11.* Laym. *c. 14. n. 9. fin.* Dian. *p. 3. tr. 4. ref. 87. & p. 5. tr. 11. ref. 18.* Palao *p. 19. § 3. n. 14. & 15.* Wiestn. *n. 101.* Ratio est, quia id cederet in quandam confusionem, & pudorem pœnitentis, & Sacramentum redderet onerosum, atque exosum. Accedit, quia ipso pœnitentis post absolutionem bene, vel malè indultam recessu à Sacro Tribunali Judicium Sacramentale finitur, & cessat Officium Judicis in foro interno. Hinc arctius est Sigillum Sacramentale, quàm naturale, quòd ejusmodi locutione cum eo, qui illud concredidit, non violatur.

Dixi *extra Confessionem*; nam antequam Judicium Sacramentale plenè finitum sit, etiam statim post absolutionem datam, loqui, cum pœnitente de peccatis in Confessione apertis, restitutionis modum præscribere, aliquid interrogare, errorem corrigere sine Sigilli violatione Sacerdos potest. Lugo *D. 23. n. 70.* Stoz *n. 194.* Wiestner *n. 102.* la Croix *tom. 7. n. 1980.* 68 Item potest de peccatis in Confessione detectis, si ita necessarium, aut utile videatur, cùm pœnitente loqui in sequentibus Confessionibus, quando iterum sustinet personam Christi, eundem pœnitentem admonere de defectu in Confessione priori commisso, repræsentare gravitatem relapsûs &c. ut communis DD. admittit.

Dub. 3. an notitiâ peccati, in confessione acceptâ, uti liceat in gubernatione, aliisque actibus externis, concernentibus pœnitentem v. g. aliquid ei negando? 69 Affirmant hoc quidem non pauci magni nominis DD. quòd talis usus in pœnitentis commodum cedat, quin ullo modo diffametur, aut suspectus reddatur, sive peccatum exprobretur. Sed esto, ex usu isto notitiæ nullum pœnitenti sequatur detrimentum, vel nota apud alios, est tamen hic usus tacita quædam exprobratio peccati in Confessione aperti, ita, ut fideles, si intelligerent, talem usum notitiæ esse licitum, facilè ab usu hujus Sacramenti absterrerentur. Hinc meritò negativam tenent Sylv. *V. Eucharistia 3. n. 7.* Navar. *Man. c. 21. n. 55.* Sanch. *l. 3. de Matr. D. 16. n. 3.* Coninck *D. 9. dub. 4. n. 6. & 69.* Delrio *l. 6. Disquis. Mag. sect. 2.* Bonac. *D. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. an. 14.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 14. n. 22.* Dian. *tr. 4. ref. 46.* Palao *p. 19. §. 3. n. 20.* Lugo *D. 23. n. 126.* Stoz *n. 254.* Wiestn. *hic n. 108.* la Croix *tom. 7. n. 1977.* ob Decretum *Clementis VIII. editum 26. Maji* 1594. quo seriò cavetur, ne Superiores Regularium, vel Confessarii, ad istorum gubernationem promoti, notitiâ ex Confessione acceptâ ad externam gubernationem ullo modo utantur. Ante quod Decretum Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis JESU *Instruct. 5. & Ordin. comm. 6. 21.* severè prohibuit introductionem, & praxin doctrinæ, permittentis usum notitiæ ex Confessione acceptæ.

Et hinc violati Sigilli reus est 70 Episcopus auferens alicui Officium à nutu suo pendens, Collator non conferens Beneficium, Patronus non præsentans, Elector non

non eligens ad Prælaturam, cujus administrationem Ecclesiæ, vel Monasterio damnosam, aut animabus periculosam ex qualitate peccatorum, sibi in S. Tribunali expositorum, fore cognoscit. 2. Superior ad impediendam continuationem peccati alicujus sibi subditi Regularis seris muniens fores, obstruens fenestram, diligentiùs visitans locum, per quem illum ex Monasterio furtivè egredi consueviſſe ex sola ejus Confessione novit. 3. Parochus S. Eucharistiam, vel assistentiam, aut benedictionem nuptialem etiam privatim negans ei, quem ex Confessione novit ad Sacramentum illud indispositum, vel propter obstans impedimentum Canonicum ad Matrimonium contrahendum inhabilem esse. 4. Sacerdos dimittens furacem famulum, peccandi materiam, vel occasionem eidem subtrahens, vel etiam ad timorem DEI, vitiorum fugam, Virtutis studium ferventiùs exhortans eum, quem vitiis deditum novit ex sola ipsius Confessione. Sanch. *l. 3. de Matr. D. 16. n. 3. & 4.* Laym. *c. 14. an. 14.* Bonac. *p. 4. à n. 14.* Palao §. *3. cit.* Stoz *à n. 250.* Wiest. *n. 104.* la Croix *tom. 7. n. 1963. 1976. & 1977.*

71 Contrà notitiâ ex Confessione haustâ Confessarius moveri potest ad fundendas preces, & pia opera peragenda pro conversione, & salute animæ pœnitentis, ad investiganda media, & modos eum juvandi, ad legendos libros, & consulendos viros doctos, séque in scientia perficiendum, ad rigorem suum corrigendum, séque pœnitentis genio magis conformandum, ad complicem meliùs examinandum, ita tamen cautè, ut nullatenus iste possit advertere, quòd Confessarius ipsius examinandi ansam ex alterius Confessione sumpserit. Imò si Confessarius novit ex confessione Titii, sibi à Sempronio parari insidias, poterit non exire domo, etsi aliàs exiturus esset; & si cognoscat sibi præparatum venenum, poterit non accipere poculum, in quo illud sibi novit præparatum esse. Sanch. *l. cit. n. 4.* Laym. *n. 21.* Palao *n. 18.* Lugo *D. 23. n. 101.* Stoz *n. 248.* Wiestner *n. 105.* Ratio est, quia his actionibus nullum incommodum, molestia, aut pudor affertur pœnitenti, ut ex earum licito usu Sacramentum Pœnitentiæ difficilius, aut exosum reddatur.

72 Dub. 4. an violati sigilli reus sit Confessarius, revelans peccatum sibi in Confessione detectum, si peccatorem non nominet, & absit periculum omne ipsius manifestandi? Affirmat Abb. *in c. omnis 12. h. tit. n. 7.* ductus textu *c. cit.* ubi non solùm prohibetur, ne Sacerdos verbo, aut signo, aut quovis alio modo prodat peccatorem, sed etiam additur, quòd si peccatum in Pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, plectendus sit pœnis ibi præscriptis.

Sed oppositum meliùs tenent S. 73
Thom. *dist. 21. cit. q. 3. art. 1. q. 1.* Sylv. *V. Confessio 3. n. 2.* Navar. *in can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6. n. 75. & 78.* Fagnan. *in c. officii 9. h. tit. n. 26.* Wiestner *n. 107.* Ratio est, quia cessante causâ, cessat effectus, ut habet communis Regula. atqui causa finalis, cur prohibitum sit revelare peccatum in Confessione detectum, est, ne prodatur peccator, & sic fideles absterreantur à Confessione Sacramentali, ut patet ex *c. cit. ỳ. caveat.* & hæc causa cessat, si ita cautè Confessor revelet peccatum, ut inde in peccatoris notitiam veniri non possit. ergo tunc cessat prohibitio revelationis peccati.

Conf. quia peccata ipsa sine ex- 74
pressione personæ non cadunt sub Sigillum Confessionis; nam Sigillum Confessionis est Juris Divini, ita, ut nemo præter pœnitentem in illo dispensare possit, ut docent communiter TT. & Canonistæ. atqui circa revelationem peccati dispensat Concilium Generale *c. cit.* & statuit, licere Sacerdoti consilii causâ revelare alteri peccatum, quod in Confessione audiit. igitur dicto *cap.* solùm prohibetur revelatio peccati in Confessione auditi per ordinem, & relationem ad confitentem, quando scilicet ita revelatur peccatum, ut exinde etiam is, qui peccavit, noscatur. talis autem non est, cùm e. g. aliquis dicit: *Tale, vel tale peccatum mortale audivi in Confessione*: imò etiam viri graves talia solent dicere absque scrupulo, teste Navar. *l. cit.*

Salubriter tamen monent *citt.* DD. 75
cautè admodum, & rarissimè utendum hac manifestatione, tum quia in Jure unicus casus necessitatis consilii approbatus invenitur; tum verò quia quantacunque adhibeatur cautela, & nullum adesse videatur periculum manifestandi pœnitentis, aliquando tamen circumstantiæ eundem aperiunt: proinde expedit etiam à manifestatione solius peccati abstinere extra necessitatem petendi consilium.

Dub. 5. cui Virtuti adversetur vio- 76
latio Sigilli Sacramentalis? ℟. adversatur Religioni simul, & Justitiæ: Religioni quidem; quia injuriosa est ipsi Sacramento Pœnitentiæ, illud fidelibus onerosum reddendo: Justitiæ autem; quia injuriosa, & damnosa est ipsi pœnitenti, ad cujus famæ, & existimationis læsionem tendit, & obligationem inducit ita sacrilegè læsam reparandi. Suar. *D. 33. de Pœnit. sect. 1. n. 13.* Coninck *D. 9. dub. 1. pr.* Fagund. *de 2. Præc. Eccl. l. 6. c. 1. n. 2. & 6.* Bonacin. *D. 5. q. 6. sect. 5. p. 1. n. 4.* Palao *tr. 23. D. un. p. 19. §. 1. n. 2.* Lugo *D. 23. n. 4.* Wiestner *hic n. 108. & 109.* Et hoc verum probabi-

liùs est etiam casu, quo aliàs, secluſa ratione Sacramenti, ad Secretum naturale pœnitenti ſervandum Confeſſarius non teneatur; quia Confeſſio implicitè involvit pactum inter pœnitentem, & Confeſſarium de Secreto ſervando omni casu, quo id ſervandum est ex Inſtitutione Divina hujus Sacramenti, quod pactum tali casu violatur. Suar. *l. cit. n. 14.* Lugo *n. 16.* Wieſtner *n. 109.*

77 Eſtque violatio hæc peccatum ex genere ſuo mortale, quamvis ex imperfectione actûs, ſive ob defectum deliberationis, & advertentiæ rationis poſſit eſſe veniale, imò aliquando vacare omni culpa. Wieſtn. *n. 110.* An verò veniale eſſe poſſit ob parvitatem materiæ, dubitari poteſt, ſi ſcilicet veniale tantùm peccatum pœnitentis revelatur, & nullo ſigno manifeſtatur, quòd notitia ejus habeatur ex Confeſſione; nam tali casu propter levitatem rei non infertur grave nocumentum pœnitenti. Verùm hæc ratio bene quidem probat, violationem Sigilli poſſe reddi peccatum veniale quoad malitiam injuſtitiæ, interim tamen manebit peccatum grave adversùs Religionem, ut bene notant Navar. *in can. Sacerdos cit. n. 39.* Henriq. *l. 6. c. 19. n. 3.* Suar. *ſect. cit. n. 12.* & *ſect. 3. n. 1.* Coninck *D. 9. n. 24.* Laym *l. 5. tr. 6. c. 14. n. 1.* Bonac. *p. 1. n. 4.* Palao §. 1. *n. 12.* Lugo *n. 7.* Gobat *Exper. tr. 7. n. 834.* Wieſtn. *hic n. 111.* & *112.* la Croix *tom. 7. n. 1937.* Ratio eſt, quia fractio Sigilli etiam per revelationem alicujus leviſſimi peccati in graviſſimam Sacramenti Pœnitentiæ irreverentiam cedit, quòd illud odioſum reddat, & homines ab ejus uſu retrahat.

78 Neque ad hoc, ut peccatum alterius, in Confeſſione reſcitum, cum manifeſtatione peccatoris aperiri aliis poſſit, ullo casu, & pro quocunque bono, totâque Rep. ab ingenti malo temporali, vel ſpirituali liberanda diſpenſari poteſt ab ipſo etiam Summo Pont. ut contra Altiſiodor. *l. 4. Summ. tr. 6. c. 3. q. 7.* teſte P. Wieſtner *n. 113.* habet unanimis ſententia omnium alicujus nominis TT. id deſumentium ex communi Eccleſiæ ſenſu, & perpetua traditione. *Ratio eſt*, quia ſi ad peccati alicujus, ex ſola Sacramentali Confeſſione cogniti, revelationem diſpenſari poſſet, hoc ipſo homines multis casibus abſterreri poſſent ab uſu, & integritate Sacramenti ſibi tam neceſſarii, cum timere poſſent, ne Confeſſarius habeat, vel impetraturus ſit diſpenſationem ad manifeſtationem alicujus ſui peccati.

79 Dub. 6. quæ ſit pœna Sacerdotis violantis Sigillum? R. eſt depoſitio ab omni Officio Sacerdotali, & veteri quidem rigore præterea patriâ, & alia ſtabili manſione interdictus, cogebatur perpetuò peregrinari *can. Sacerdos 2. de Pœnit. diſt. 6.* Quia verò hæc vagandi neceſſitas cedere videbatur in opprobrium Ordinis Eccleſiaſtici, cum tempore ei ſuffecta eſt perpetua pœnitentia, in arcto Monaſterio peragenda *c. omnis 12. h. tit. ℣. caveat.* Nunc verò, poſtquam etiam detruſio in Monaſterium à Curiarum Eccleſiaſticarum uſu receſſit, Sigillum Sacramentale violantes condemnantur ad perpetuos carceres, triremes &c. Pœna autem, quæ facto ipſo incurratur, huic crimini ſancita in Jure reperitur nulla, ut notant Fagund. *Præc. Eccl. 2. l. 6. c. 7. n. 2.* Palao *tr. 23. D. un. p. 19. §. 1. n. 13.* Lugo *de Pœnit. D. 23. n. 147.* Wieſtner *n. 116.* Reiffenſtuel *n. 4.* Putarunt quidem aliqui relati à Suar. *D. 33. de Pœnit. ſect. 8. n. 2.* fractione Sigilli Irregularitatem contrahi. Sed meliùs cum eodem Suar. *l. cit.* id negant Fagund. *l. cit. n. 3.* Lugo *n. 146.* Wieſtner *n. 117.* la Croix *tom. 7. n. 1999.* quia hoc Jure expreſſum non reperitur.

Ut verò pœnis prædictis locus ſit, 80 DD. exigunt. 1. ut Sacri Sigilli violator ſit Sacerdos; nam pœnæ *n. præc.* relatæ *can. Sacerdos*, & *c. omnis ℣. caveat citt.* tantùm ſtatuuntur violationi Sigilli, à Sacerdote attentatæ: & hinc ſi alius Clericus, vel Laicus Sigillum violet, non ordinariæ, ſed arbitrariæ pœnæ, quæ tamen ſecundùm qualitatem exceſsûs exaſperari poteſt, obnoxius eſt. Suar. *D. 33. ſect. 8. n. 2.* Lugo *n. 147.* Vallenſ. *hic §. 13. n. 6.* Wieſtner *n. 318.* Reiffenſtuel *n. 5.* 2. ut revelet peccatum; nam ſi aliud quidpiam, quod ſub Sigillum cadit, in Confeſſione defectum revelet, e. g. defectum natalium, vel aliud quidpiam pœnitenti ignominioſum, arbitrariâ ſolùm, multò tamen graviori pœnâ, quàm violans Secretum naturale, puniri debet. Dian. *p. 5. tr. 11. reſ. 51.* Wieſtn. *n. 119.* Reiffenſtuel *n. 6.* 3. ut peccatum revelet alteri; nam ſi ipſi pœnitenti objiciatur, cùm hæc objectio propriè revelatio non ſit, iterum locus erit extraordinariæ duntaxat pœnæ. Granad. *de Sacram. contr. 11. tr. 11. D. 8. n. 3.* Wieſtner *n. 120.* Reiffenſtuel *n. 8.* 4. ut peccatum revelet præſumptuosè *℣. caveat cit.* ibi, *Qui præſumpſerit revelare*; nam ſi ex ignorantia, vel inadvertentia, hoc faciat ut ferè ſolent, qui animi ſecreta produnt in delirio, ſomno, vel ebrietate, cùm talis locutio humana plerumque non ſit, non erit ulli, vel ſaltem non ordinariæ fracti Sigilli pœnæ obnoxius. Stoz *Trib. Pœnit. l. 2. q. 4. n. 277.* Wieſtner *n. 121.* Reiffenſtuel *n. 7.*

Dub. 7. quis ſit Judex in cauſa 81 fractionis Sigilli? Videtur de hac cognoſcere poſſe Judex Sæcularis exemplo Jacobi I. Arragonum Regis, qui Epiſcopo Gerun-

Gerundensi sacrilegè linguato linguam à tergo extrahi, & Senatus Tholosani, qui Sacerdotem hujus criminis reum in furcam agi, & cadaver ejus igne cremari jussit, ut de priore testis est Aldrete *l. 2. Eccl. Discip. c. 19. n. 2.* de posteriore Raynaud. *Prat. Spirit. Hist. 13.* *Sed dicendum*, communi Jure spectato, Judex competens in causa fracti Sigilli est tantùm Ecclesiasticus. Fagund. *de 2. Præc. Eccl. l. 6. c. 7. n. 1.* Lugo *D. 23. n. 148.* Gobat *Quinar. tr. 5. n. 200.* Wiestn. *n. 122.* Reiffenst. *n. 9.* quia hoc casu tam reus, quàm ipsa ratio causæ, quæ naturâ suâ Spiritualis, & Ecclesiastica est, à Jurisdictione Judicum Sæcularium omnino eximitur. Unde ad exempla in contrarium allata dicendum, id factum fuisse, vel quòd hi Judices delegatam à Pontifice authoritatem habuerint, vel quia Clericus reus antea degradatus ipsis pro supplicio exequendo est traditus; aliàs id factum fuisset cum violatione Libertatis Ecclesiasticæ.

82 An verò causa violati Sigilli deferenda sit ad Inquisitores, controversia est? Affirmant aliqui, quòd enormitas irreverentiæ Sacramento illatæ delinquentem de Hæresi suspectum reddat. Sed melius Molfes. *tr. 7. c. 23. à n. 68.* Bonac. *D. 5. q. 6. sect. 5. p. 1. fin.* Palao *tr. 23. D. un. p. 19. §. 1. n. 14.* Dian. *p. 4. tr. 8. res. 93.* Lugo *D. 23. n. 148.* Pignat. *tom. 7. Consult. 54. n. 6.* discussionem causæ istius Judicialem adstruunt Judici Ecclesiastico, cui tanquam Ordinario suo reus subjectus est; neque enim S. Inquisitionis Officium in hujusmodi causis se intromittere solet, testibus *Dian. Lug. Pignat. citt.* *Excipitur*, si revelatio qualificata, ejúsque præsumptioni Hæresis admixta sit. Qualificata autem ad hunc effectum censetur, quando non præcisè ex malitioso Sacerdotis affectu, sed ex pravo ejus sensu in rebus fidei provenit, ut si is negaret, Pœnitentiam esse Sacramentum, vel huic annexam silentii obligationem; si verbo, aut facto ostenderet, eam obligationem esse parvi pendendam; si crimen istud admisisset sæpius, aut aliàs esset improbæ, & de Hæresi suspectæ conversationis &c. DD. *citt.*

83 Dub. 8. quando Judex adversùs Sacerdotem Sigilli violati reum possit procedere? *Certum est*, procedere adversùs eundem posse, si licentiam ad hoc ipsi concedat pœnitens, cujus peccatum, in Sacro Tribunali cognitum, sacrilegè proditum est; aliàs enim tolleretur omnis processus Judicialis circa hoc crimen, & pœnæ adversùs istud statutæ, utpote per sententiam infligendæ, locum non haberent, nisi in eo, qui ultro confiteretur hoc crimen à se commissum.

84 *Controversia* est, an adversùs violatorem Sacri Sigilli procedere Judex Ecclesiasticus possit etiam sine pœnitentis licentiâ? In negativam inclinat P. Gobat *tr. 5. Quinar. à n. 182.* & *in Append. ad hunc n. 182. & seqq.* & videtur sequi ex *n. 63.* ubi dixi, omnes illos obligati Sigillo Sacramentali, ad quos notitia peccati, à Confessario præsumptuosè revelati, pervenit, ita, ut sine pœnitentis, cujus peccatum revelatum est, licentiâ non possit uti illâ notitiâ, uteretur autem istâ notitiâ delator, qui denuntiaret hoc crimen, testes, qui de Sigillo fracto deponerent, Judex deferentem examinans, ipse Sacerdos sponte, vel ad interrogationem Judicis delictum suum confessus &c. ergo &c.

85 Sed etsi sententia ista verisimilis sit, vera tamen videtur affirmativa, quam sequitur Stoz *Trib. Pœnit. l. 2. q. 4. à n. 288.* Wiestner *hic n. 128.* Reiffenstuel *ibid. n. 11.* Ratio est 1. quia necessitas licentiæ à pœnitente obtentæ ad instituendum Processum neque ex institutione Divina, neque ex definitione Ecclesiæ, vel traditione PP. probatur, imò eam licentiam non requiri, satis constat ex *can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6.* & *c. omnis 12. V. caveat h. tit.* ubi pœna Depositionis, & perpetuæ Pœnitentiæ statuitur, absque ulla mentione de pœnitentium licentia requirenda. 2. B. Petro, & Successoribus à Christo tradita est omnis potestas necessaria, & valde conducens ad rectam fidelium in utroque foro gubernationem, ac proinde etiam facultas independens à licenta cujuscunque privati, procedendi adversùs criminosos, delictorum publicè scandalosorum, Spirituali animarum bono, & Sacramentorum reverentiæ adversantium reos. tale delictum autem est violatio Sigilli Sacri, ergo &c. 3. violatio Sigilli est crimen publicum, utpote Sacrilegium, cons. infert non tantùm injuriam privatam pœnitenti, sed publicam Sacramento, & Ecclesiæ. atqui privatus, licèt injuriam sibi illatam possit remittere, non tamen potest impedire voluntate sua Judicium, & punitionem publicam. ergo &c. 4. per delationem, inquisitionem, & processum adversùs reum violati Sigilli promovetur potiùs reverentia Sacramenti, & observantia illius, tanquam per medium aptissimum ad finem hunc obtinendum. atqui nulla Lex excludit media, quibus ferè unicè obtineri observantia ipsius potest, vel illorum mediorum usum in arbitrium subditorum refert. 5. denique si opus esset licentiâ pœnitentis ad instituendum processum adversùs violatorem Sigilli, sequeretur impunem, tutúmque fore ab omni pœna illum, qui defuncti alicujus peccata, quantumcunque gravissima, à se in Confes-

sione rescita, coram pluribus, & tota communitate propalaret; nam tali casu adversùs ipsum ex defectu licentiæ, à pœnitente non ampliùs obtinibilis, nullus ampliùs institui posset processus, vel quæstio. Sequela ista per se videtur absurda esse. ergo &c.

86 Ex quo patet ad Argumentum contrarium; dicendum enim, quòd dogmatis illius generalitas non comprehendat casum, quo notitia, ex Sacramentalis Sigilli fractione profecta, unicè adhibetur, tanquam medium ad tuitionem reverentiæ Sacramento debitæ, & ad conservationem illius, ac redintegrationem, atque ad potestatem Ecclesiæ in violatores pro aliorum exemplo necessarium, & ordinarium.

87 Dub. 9. an, & qualis probatio sit necessaria, ut procedi possit adversùs violatorem Sigilli? R. si Sacerdos delictum hoc suum ultro confitetur in Judicio, Denuntiator, vel Accusator relevatur à probandi onere *arg. l. generaliter 13. C. de non num. pecun.* & dictum est *Lib. 2. Tit. 18. n. 20.* Si verò Sacerdos id negat, probatio incumbit accusanti, vel denuntianti: quæ propter Sacrilegii istius, naturâ suâ ferè secreti, enormitatem, fieri potest etiam per testes singulares, ita, ut sufficienter probatum intelligatur, si unus testis deponat, hoc tempore, vel loco peccatum, aliquod à Confessario revelatum, alius alio, aut si unus dicat, ab ipso revelatum hoc peccatum, alius aliud. Tann. *tom. 4. D. 6. q. 9. n. 122.* Stoz *Trib. Pœn. l. 2. q. 4. n. 281.* Wiestner *hic n. 133.* Reiffenstuel *ibid n. 18.* Cons. si per hujusmodi testes, vel aliter probatum sit crimen istud, & reus pro sui defensione nihil opposuerit, perinde ut confessus, obnoxius erit pœnis violati Sigilli. Wiestner *n. 130.*

88 Dixi, *si nihil opposuerit*; nam si Exceptionem aliquam Sacerdos, de crimine hoc incusatus fecerit, spectanda est qualitas hujus Exceptionis; potest enim pro sui defensione allegare, sibi peccatum hoc in Confessione non apertum, sed aliâ viâ innotuisse, & potest dicere, se revelationem istam feciſſe cum pœnitentis licentia. *Si primum*, Sacerdos incusatus tenetur ostendere, quâ viâ, & modo id cognoverit; in qua probatione si defecerit, ob revelationis, quæ explorata est, temere factæ præsumptionem, quæ tali casu contra ipsum militat, plectendus erit, sed quia de Sacrilegio non est convictus, extraordinariâ duntaxat pœnâ. Abb. *in c. omnis 12. h. tit. n. 26.* Sylv. *V. Confessio 3. n. 5.* Palao *tr. 23. D. un. p. 19. §. 1. n. 11.* Lugo *D. 23. n. 151.* Pignatell. *tom. 7. consult. 54. n. 12.* Wiestner *n. 131.* Reiffenstuel *n. 7. & 13.*

89 *Si secundum*, cum Lug. *l. cit.* Wiestner *n. 132.* Reiffenstuel *n. 14. & 15.* distinguendum est, an accusator sit ipse pœnitens, vel alius tertius. *Si ipse pœnitens*, licentiam ab hoc sibi datam probare debet Confessarius; quia est facti quæstio, quæ ab allegante probari debet: unde hoc casu ad licentiæ sibi datæ probationem, suique purgationem Confessario deferendum Juramentum, & huic præstito acquiescendum est: imò, ut Dian. *p. 5. tr. 11. res. 52.* Wiestner *n. 132. v. non malè*, Reiffenstuel *n. 16.* notant, si revelatio pœnitenti, aut ejus complici parum, aut nihil damni afferat, & Confessarius sit vir prudens, vitæque, & famæ integræ, standum est ejus assertioni simplici, & non juratæ, contra inficiationem pœnitentis. Secus, si pœnitens sit probatæ vitæ, eique, vel tertio revelatio graviter damnosa sit. Wiestner, Reiffenstuel *l. citt.* Cæteris tamen paribus in dubio potiùs Confessario, quàm pœnitenti credendum; quia in factis, quæ ad Officium ejus spectant, & aliter sciri non possunt, præsumptio est pro Judice. Wiestner *l. cit.* Reiffenstuel *n. 17.* la Croix *tom. 7. n. 1989.*

90 *Si verò accuset aliquis tertius*, accusatori incumbit probare, licentiam non esse datam à pœnitente, propter præsumptionem militantem pro Confessario, qui tamdiu præsumitur vir bonus, & nihil deliquisse contra Sigillum, quamdiu contrarium non probatur *c. un. de Scrutin. c. fin. de Præsumpt.* & *l. meritò 51. ff. pro Socio.*

§. II.

§. II.

De Pœnitentia, prout est Satisfactio pro peccato.

SUMMARIUM.

91. *Pœnitentia alia est Publica, alia Privata.*
92. *Publica alia Solennis, alia non solennis.*
93. *Differentia inter istas.*
94. &c. *Qualis Pœnitentia imponenda sit pro peccatis publicis?*
98. &c. *Quæ pœna plectatur occisor Presbyteri?*
101. &c. *Quæ sit pœna Medici, non monentis ægrotum de Confessione facienda?*
103. &c. *Quid sentiendum de muliere, quæ prolem ex adulterio susceptit, vel alienum partum insciο marito supposuit?*
108. &c. *An ista crimen manifestare teneatur, saltem proli spuriæ, vel suppositiliæ?*
112. &c. *Ad quid teneatur adulter?*

91 QUæritur 1. quotuplex sit Pœnitentia hoc sensu accepta? R. duplex est, Publica, & Privata. *Publica* est, quæ imponitur, & peragitur pro manifestis peccatis juxta *c. manifesta 1. h. tit.* *Privata* est, quæ imponitur peccatis arcanis in actu Sacramentalis Confessionis, & privatim etiam peragitur.

92 Publica alia est Solennis, alia non solennis. *Publica, & solennis* est, quæ olim injuncta fuit initio Quadragesimæ, servatis certis ritibus, & solennitatibus, quæ exprimuntur *can. in capite 64. dist. 50.* *Non solennis* dicitur illa, quæ fit publicè, & in facie Ecclesiæ, non tamen cum prædictis solennitatibus Jure præscriptis, veluti cùm injungitur alicui peregrinatio cum pera, & baculo benedictis. Prior non amplius in usu est hodie; sed nec olim imponi poterat Clericis, nisi depositis, & quidem sine spe restitutionis *can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6.* & *ibi* Gloss *V. peregrinando*, *can. confirmandum 65. dist. 50. can. Presbyter 12. dist. 81.*

93 Differunt inter se Pœnitentia publica solennis, & non solennis. 1. quia solennis tantùm ob graviora peccata, quæ Communitati, & Reip. toti scandalosa, & pernicioſa erant, imponebatur *can. placuit 68. dist. 50.* non solennis imponebatur pro peccatis gravioribus quidem publicè admissis, sed talibus tamen, ex quibus non ita grave scandalum ortum fuerat *can. de pœnitentibus 17. de Consecr. dist. 3.* 2. Pœnitentiam Solennem tantùm Episcopus injungere poterat *c. accedentibus 15. de Privil.* non solennem verò etiam simplex Sacerdos *c. ministerium 2. de Offic. Archipresbyt.* 3. Solennis, ut dictum est *n. præc.* initio solùm Quadragesimæ, non solennis quovis anni tempore fiebat. 4. prior semel tantum in vita peragi poterat *can. fiquis 61. dist. 50.* ad non solennem verò sæpius quis admittebatur. 5. non solennis indistinctè Laicis omnibus imponi poterat; solennis verò conjugatis non nisi consensu conjugis *can. fin. caus. 33. q. 4.* 6. solenniter pœnitentes fiebant infames; non ita fiebant infames, qui publicam, sed non solennem agebant pœnitentiam. Porro hæc infamia incurrebatur non ratione pœnitentiæ, quæ infamiæ causa esse non poterat, sed ratione propalati, & promulgati criminis. Et hujus Infamiæ effectus erat, ut sic pœnitentes nec ad Ordines promoveri, nec in susceptis ministrare potuerint *can. illud 66. dist. 50.*

94 Quæritur 2. qualis Pœnitentia imponenda sit pro peccatis manifestis, & publicis? Publicam imponi præcipit *c. manifesta 1. h. tit.* ibi, *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Ex altera verò parte non videtur hoc bene statutum in universali; nam peccatorum correctio ex eorum gravitate, non autem ex eo est æstimanda, an publicè, an privatim commissa sint; sic enim pro peccatis venialibus, etsi palam admissis, nunquam tamen Pœnitentia publica imponitur: & sæpe gravius crimen est, quod occultè committitur. igitur videtur non rectè in præsenti statutum esse absolutè, ut peccata manifesta sine discrimine corrigantur per pœnitentiam publicam.

95 Sed defendenda tamen est assertio *c. manifesta cit.* & dicendum, extra Confessionem Sacramentalem saltem, si publica peccata corrigenda occurrant, imponendam pro ijs Pœnitentiam publicam. Probant assertionem hanc etiam alii textus Juris Canonici *can. si peccaverit 19. caus. 2. q. 1. can. fiquis 31. caus. 23. q. 4. can. fin. caus. 15. q. 5. can. ego 42. de Consecr. dist. 2.* Confirmant etiam complura Concilia, Rhemens. 2. *can. 31.* Arelat. 2. *can. 26.* Carth. *can. 46.* & maximè Trid. *sess. 24. c. 8. de Reform.* Assentiuntur DD. Covar. *l. 2. var. c. 10.* Bellarmin. *tom. 2. contr. l. 1. de Pœnit. c. 21. & 22.* Cellotius *l. 2. de Hierarch. c. 18.* Gonzal. *in c. manifesta cit. n. 2.* Pirhing *hic n. 2.* Engl *ibid. n. 1.*

Nec

Nec ratione caret decisio ; nam præcipuus finis pœnarum est , ut ipsi rei emendentur , & alii exemplo terreantur. ad hunc finem autem plurimum conducit Pœnitentia publica , si peccatum fuit publico omnibus scandalo. igitur rectè statuitur, ut peccata publica publicâ correctione emendentur , ut ita populus , qui ob peccatum scandalum passus est , videat illud non impunitum manere, & in eo, in quo scandalum passus est , pœnitentiæ agnoscat exemplum.

96 Dixi autem in Responsione , *Extra Confessionem Sacramentalem saltem ;* nam pro peccatis , in Confessione Sacramentali auditis , etiam publicis , nisi pœnitens tacitè , vel expressè consentiat , non potest injungi à Confessario Pœnitentia publica. Ita Navar. *in can. 2. de Pœnit. dist. 6. n. 87. & seq. & in Man. c. 8. n. 10.* Ratio est, quia tali facto Confessarius significaret , pœnitentem sibi gravia peccata confessum esse , & sic indirectè revelaret confessionem. Unde cùm *c. manifesta cit.* & in *Trid.* dicitur , manifestis peccatis publicam Pœnitentiam imponendam , id intelligendum est non de Sacramentali Pœnitentia , sed de ea , quæ in foro externo imponitur. Interim tamen Confessarius etiam in foro conscientiæ obligare potest , & debet publicum peccatorem , ut etiam publicè se ostendat emendatum: imò aliquando oportebit , absolutionem eò usque differre , ut ita tollatur scandalum. Porro quæ in hoc foro Conscientiæ imponenda sit Pœnitentia ; quæ ejus imponendæ obligatio in Confessario, exequendæ in pœnitente , item quis sit ejus effectus , à quo , & quomodo commutari possit , ad alia properans , Theologis tractandum relinquo.

97 *Ad Rationem dubitandi* allatam *n. 94.* licèt atrocitas , & gravitas delicti attendatur ad pœnam injungendam, tamen quoad modum Pœnitentiæ publicæ , seu privatæ tantùm inspicitur scandalum , seu notorietas peccati : unde primis Ecclesiæ temporibus non tantùm , qui graviora peccata commiserant , verùm etiam , qui minora fecerant , si publica illa erant , Pœnitentiam publicam peragebant , ut testis est Cyprian. *Epist. 47.* Quod de peccatis venialibus additur , nihil obest ; semper enim Ecclesia ea peccata ut levia excutiebat , & ita ob illa Pœnitentiam publicam nunquam indixit.

98 Quæritur 3. quâ pœnâ plectatur occisor Presbyteri ? R. hæc præscribitur *c. qui Presbyterum 2. h. tit.* & est triplex. 1. ut pœnitentiam agat duodecim annis v. g. jejunando certis diebus in hebdomada , peregrinando , vel aliud opus Pœnitentiæ exercendo arbitrio prudentis Confessarii.

99 2. Ut privetur in perpetuum cingulo militari : quibus verbis Sanch. *l. 7. de Matr. D. 6.* Gibalin. *de Censur. in Synops. V. Homicidium,* & alii putant , significari , occidenti Presbyterum juberi , ut arma non ferat, nec inter milites numeretur. Gonzalez verò *in c. qui Presbyterum cit. n. 3.* putat, majorem pœnam his verbis contineri , & hujusmodi Homicidæ non tantùm prohiberi delationem armorum , sed potiùs , ne ulla deinceps munera Reip. seu Sæcularia obeat : & dat rationem ; quia militare in SS. Canonibus sæpe pro negotio , curationeque Reip. usurpatur , & militiæ cingulum suscipere , vel deponere significat munera seu officia Reip. suscipere , vel deferere.

100 3. Præterea is , qui occidit Presbyterum , privabatur facultate contrahendi Matrimonium , & cogebatur ducere vitam solitariam , ut sic ne nomen quidem suum per hæredes , & sobolem à se susceptam ad posteritatem transmitteret. Sed hoc impedimentum Matrimonii , & tota pœna ista jam consuetudine abrogata est : cui nunc successit Excommunicatio major , & Irregularitas , quæ per ejusmodi occisionem facto ipso incurritur. Imò etiam , cùm adhuc vigebat hic pœnitentiæ modus , Sacerdos , ut Vivian. *in c. manifesta cit.* notat , mitigare pœnam hanc poterat , & imponere leviorem , vel si peccatoris contritio tanta fuisset , eundem absolvere absque injunctione alicujus Pœnitentiæ exterioris.

101 Quæritur 4. quæ sit pœna Medici, non monentis ægrotum de Confessione facienda ? Medicis corporum præcipitur *c. cùm infirmitas 13. h. tit.* ut cùm ad infirmos in lecto jacentes vocantur , ante omnia ipsos moneant , & inducant , ut Medicos animarum advocent , iisque confiteantur : & ibidem sancitur, ut siquis Medicus hanc Constitutionem post publicationem illius transgressus fuerit , tamdiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur , donec satisfecerit competenter. Decretum hoc innovavit *S. Pius V. Mot. propr.* incipit *Super Gregem Dominicum edito 8. Mart. 1566.* & addidit , ne Medicus ultra tertium diem ægros visitet , nisi Confessarius ex justa causa longius tempus concedendum infirmo judicet. 2. ad infirmum non redeat , nisi eidem per fidem Confessarii in scriptis factam constiterit , infirmum peccata sua confessum fuisse. 3. præcipit idem Pontifex Universitatibus , & Collegiis , ut cum licentiam medendi alicui concesserint , aut ad Doctoris Gradum promoverint , exigant ab eo Juramentum hæc servandi ; alioquin perpetuam infamiam incurrant , & è Medicorum Collegio ejiciantur , Gradúque Doctoratûs priventur , additâ pœnâ arbitrariâ à Judice imponenda. Verùm hæc Bulla in

Pro-

Provinciis nostris vel nunquam fuit usu recepta, vel jam per desuetudinem est abolita, ut notant Wagnereck *Exeg. c. cùm infirmitas cit.* Wiestn. *n. 13. hic, & alij.*

101 Ubi viget Constitutio hæc, notandum 1. locum illam habere solùm, quando morbus est periculosus, vel ubi dubium est, ne sit periculum mortis. Navar. *Man. c. 25. n. 61.* Neque obest, quòd *c. cùm infirmitas cit.* morbi in genere, non periculosi tantùm mentionem faciat; nam etsi fortè explicatio hæc textui sit conformior, tamen, ut Pirhing *hic n. 17.* advertit, contrarium receptum in praxi est. 2. monitio hæc fieri debet vel per ipsum Medicum, antequam medicinas applicet, vel per alium e. g. Parochum, aut aliquem ex domesticis, aut qui ei inservit: & ita Constitutionem illam receptam, & observatam esse testatur Navar. *l. cit.* 3. si infirmus post monitionem factam confiteri nolit, non ideo deserendus est à Medico; quia videtur esse contra ordinem Charitatis, non subvenire ægro in ea necessitate, qui fortè desperans obibit, vel si Medicus eum non deserat, fortè convalescet, & respiscet, obstinatione deposita.

103 Quæritur 5. quid sentiendum de muliere, quæ prolem ex adulterio suscepit, vel alienum partum insciο marito sibi supposuit? De hac celebris est decisio Innocentii III. *c. officii 9. h. tit.* ubi Legato suo consulenti rescribit, tali mulieri, etsi factum hoc ex metu gravis mali, quod à marito sibi imminet, manifesta e nolit. Pœnitentiam tamen non esse denegandam. *Sed hinc oritur dubium.* an ergo uxor teneatur marito manifestare, quòd prolem ex adulterio susceperit, vel alienam per fraudem supposuerit? *Ratio dubitandi* est, quia nisi factum manifestet, proles spuria, vel supposititia, simul cum veris proli-bus adibit hæreditatem patris putatitii, sicque pars, quæ huic cederet, decedet reliquis. Atqui istud ne fiat, cavere uxor tenetur; alias censebitur ad damnum eorum concurrisse. igitur tenebitur prodere. 2. si esset aliqua ratio, ob quam excusaretur ejusmodi uxor à manifestanda fraude sua, vel delicto, esset, quia timeretur scandalum inde oriturum. atqui, ut *reg. 3. de R. J.* dicitur, *utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* 3. testis, qui falsum deposuit adversus innocentem, juxta communem DD. tenetur retractare mendacium, & famam innocenti restituere, etsi hoc facto periculum gravissimæ infamiæ, imò etiam Talionis incurrat, si aliter famam alterius reparare nequeat. ergo nec mulierem hanc excusabit infamiæ, & vitæ periculum.

104 Sed his non obstantibus, dicendum, quòd ejusmodi uxor regulariter non teneatur ad manifestandam prolem spuriam, vel suppositiam, cum vitæ, aut etiam infamiæ gravis periculo. Ita Scot. *in 4. dist. 15. q. 2.* Sylv. *V. adulterium n. 2.* Abb. *in c. officii 9. h. tit. n. 5.* Navar. *Man. c. 17. à n. 88.* Covar. *reg. peccatum p. 1. pr. n. 3. & 6.* Gutier *qq. can. l. 1. c. 38. n. 9.* Molin. *D. 102. n. 9.* Vivian. *in c. officii cit.* Fagnan. *ibid. n. 7. & 8.* Pirhing *hic n. 21.* Wiestner *ibid. n. 137.* Sumitur ex *c. officii cit.* ubi Innocentius III. mulieri, adulteriam, vel suppositiam pro mariti prole alenti, pœnitentiam, & absolutionem Sacramentalem non denegat ex eo, quòd viro suo crimen suum recuset detegere, licèt eo non detecto, marito in bonis aliena proles succedat. debuisset autem ipsi negari absolutio, si obligaretur ad criminis sui revelationem cum vitæ, aut famæ gravi periculo faciendam; nam ei, qui facere renuit, ad quod in conscientia tenetur, tanquam non rite dispositο, Sacramentalis absolutio impertienda non est. ergo &c.

Ratio autem est 1. quia ex duobus malis minus est eligendum *can. duo 1. dist. 13.* atqui non revelando minus caustatur malum, quàm revelando scelus, & fraudem; quodsi enim fileat, & non manifestet, liberi legitimi patiuntur periculum rerum, si revelet, ipsa subit periculum aut vitæ, aut famæ, quod utrumque est nobilius bonis externis. ergo &c. 2. si quis habeat rem alienam, & hanc restituere nequeat, nisi cum damno, vel periculo bonorum ordinis superioris, non tenetur restituere, ut habet communis doctrina, & teste Gutier. *l. cit. c. 38. n. 10.* passim recepta. atqui bonum famæ, & vitæ sunt bona superioris ordinis, quàm sint bona fortunæ juxta illud: *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Prov. 22. ergo cum periculo famæ, aut vitæ non tenetur uxor manifestare fraudem, & sic damnum arcere ab aliis. 3. in extrema necessitate vitæ constitutus, pro ejus conservatione potest retinere, imò & accipere, & absumere alienum; nam in tali casu necessitas facit omnia communia. atqui eadem est ratio famæ, quæ vitæ, cùm ignominiæ metus major, quàm mortis sit *l. ifti 8. §. quodsi 2. ff. quod met. caus.* igitur & mulier hæc jactura, & periculum fortunarum alienarum permittere poterit, neque cum gravissimo aut vitæ, aut famæ periculo manifestare tenebitur crimen, aut fraudem suam. 4. obligatio manifestandi crimen hoc, vel fraudem esset nimis difficilis, & valde noxia; nam adultera incurreret gravissimum odium apud maritũ suum, & infamaret non tantùm se, sed etiam adulterum, & ipsam prolem, quæ publicè habetur pro legitima; igitur prudenter creditur obligatio ejusmodi non esse imposita. 5. manifestatio 105

hæc, præter hoc, quòd causa esset ad perpetuas vexationes, exprobrationes, dissensiones, rixas, domesticorum odia, aliáque incommoda, quæ sæpe faciunt vitam morte ipsa acerbiorem, ferè nihil afferret commodi; quia non facilè uxori etiam hoc asserenti crederetur, cùm præsumptio Matrimonii stet pro filio *l. filium 6. ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.*

106 Dixi *Regulariter*; quia non desunt casus, quibus obligatur ad manifestationem criminis. 1. si uxor aliàs sit malæ famæ, & de adulteriis graviter infamata; tunc enim, si sine periculo corporis, aut vitæ manifestare crimen potest, tenebitur illud manifestare. Gutier. *l. cit. n. 28.* Less. *l. 2. de Just. c. 10. n. 57.* Wiestner *hic n. 139.* & alii post Innoc. *in c. officii cit.* 2. si maritus sit vir prudens, & probus, ut ab eo delicti venia facilè impetranda prævideretur. Gutier. *n. 26.* Less *n. 58.* Wiestn. *l. cit.* 3. si ageretur de successione in Regno, vel Ducatu, cui spuria, vel supposititia proles propter Hæresin, vel perditos mores grave damnum allatura meritò timeretur: tunc enim uxor crimen suum, si fidem illius possit facere, manifestare tenebitur etiam cum periculo famæ, aut vitæ suæ; quia horum jactura est damnum privatum, quod cedere bono communi debet. Less. *n. 54.* Molin. *tr. 3. de Just. D. 101.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 14. n. 1.* cùm aliis. 4. quandocunque damna, quæ ex adulterio, vel partûs suppositione legitimus mariti hæres est accepturus, prudentis arbitrio multò majora sunt iis, quæ ex criminis detectione uxorem manerent, v. g. si hæredi maximæ æstimationis patrimonium, aut majoratus ex suppositione, vel adulterio, ex istorum autem manifestatione uxori solius famæ, non etiam vitæ jactura timenda esset: nam tali casu ad criminis sui revelationem tenebitur, si fidem ejusdem legitimè possit facere; quia licèt fama sit altioris ordinis bonum, quàm res fortunæ, seu temporales, jactura tamen maximæ æstimationis bonorum temporalium in communi hominum æstimatione multò gravior, & acerbior est, quàm famæ, quæ ex adulterii manifestatione uxorem manet, sicut gravior est jactura maximæ quantitatis argenti, quàm exigua auri, etsi aurum secundùm se multò pretiosius sit argento. Covar. *l. cit. n. 6. § sed fi.* Sot. *l. 4. de Just. q. 7. art. 2.* Molin. *n. 12.* Contrarium tamen hoc casu sustinet Navar. *Man. c. 27. n. 89.* Gutier. *l. cit. n. 27.* tum propter *c. officij cit.* indistinctè loquentis generalitatem, tum propter rationes allatas pro sententia communi.

107 Sic limitatæ assertioni non obstant argumenta *n. 103.* opposita. *Ad 1.* non tenetur uxor successionem prolis spuriæ, aut supposititiæ impedire cum tanto suo damno; nam damnum vitæ; & famæ, ut dictum est, est bonum altioris ordinis. *Ad 2.* Regula *ibi* allegata intelligenda est de scandalo passivo, præsertim Pharisaico, h. e. non dato, sed accepto ex opere bono, quod potiùs permittendum est, quàm relinquatur veritas. Deinde non procedit de omni veritate, sed de ea tantùm, quæ est necessaria ad salutem, qualis respectu uxoris non est revelatio criminis occulti. Potest etiam, ut bene ex *Innoc.* explicat Pirhing *n. 21.* intelligi de veritate Justitiæ; nam Judex, vel testis in Judicio, ad quos pertinet veritatem dicere, propter nullum scandalum possunt illam dimittere, ita, ut non rectè Judex judicet, & testis juret. atqui ex ejusmodi taciturnitate adulterii, vel suppositionis non periret veritas Justitiæ; nam talis mulier solùm esset accusatrix vel denuntiatrix criminis, non autem Judex, vel testis: constat autem aliunde, quòd cum gravi suo damno nemo teneatur ad accusandum, vel denuntiandum. *Ad 3.* non est paritas cum teste, quia huic retractatio non graviorem, nec in altioris ordinis bonis constitutam jacturam affert, quàm falsa depositio innocenti.

108 Quæritur 6. an crimen adultera, vel quæ partum alienum suppositit, manifestare debeat saltem proli spuriæ, vel suppositiæ? *Ratio dubitandi est*, quia tenetur compensare, aut impedire damnum, quod inde maritus, & hæredes illius legitimi patiuntur, si hoc compensare, vel impedire absque graviori, & majori bonorum suorum jactura possit, atqui potest, si in secreto proli spuriæ, vel suppositiæ manifestet, eique suadeat, ut à putatitii patris hæreditate abstineat, & hoc quidem potest absque periculo vitæ, aut famæ suæ; nam proles spuria crimen maternum, eò, quòd illud in suam etiam infamiam redundet, potiùs silentio celatura, quàm vulgatura creditur, ergo &c.

109 Sed distinguendum est: Vel enim uxor hujusmodi habet bona propria, ex quibus marito, & aliis ejus liberis, vel hæredibus damnum compensare valet, vel non habet talia bona, quæ ad damni compensationem sufficient. *Si primum*, eo casu sufficiet, si tantùm de suo legitimis hæredibus donet, vel relinquat, quantum spuriæ, vel suppositiæ proli ex bonis mariti accedit, nec tenebitur revelare suum crimen Fagnan. *in c. officij cit. n. 28.* Wiestn. *hic n. 141.* Ratio est, quia si manifestare suum crimen teneretur, teneretur ob eum finem, ut impediret damnum mariti, vel hæredum illius. atqui tantum dando, vel relinquendo jam sufficienter cavetur horum indemnitati. ergo &c. Casu au-

autem, quo marito mortuo, filius Spurius, aut Supposititius jam adiit hæreditatem patris putatitii, & adultera nescit, ad quem bona mariti aliàs fuissent perventura, eò, quòd filios maritus ex ea non susceperit, ipsa tantundem debitor erogare in pauperes, quantum Spurius, vel suppositititius ex hæreditate accepit; quia tunc sunt bona incerta ex delicto, quæ secundùm communem in pauperes, vel alias causas pias erogari debent. Pirhing *n. 21.*

110 *Si secundum*, videndum, an possit proli spuriæ, aut suppositititiæ probare suum crimen, & speret, se ab hac obtenturam fidem, & secretum, an verò non. *Si prius*, tenetur proli spuriæ, vel suppositititiæ crimen aperire, & suadere, ut hæreditati renuntiet, vel Clericalem, aut Religiosum, præsertim Mendicantium Statum suscipiat; hoc enim suadet ratio *suprà* allata, & ex communi docet Less. *c. 10. cit. n. 47.* Fagnan. *n. 27.* Wiestner *n. 141. Excipe*, si revelatio hujusmodi sine gravi periculo revelantis fieri non possit; nam si timerentur inde oritura gravia scandala, & damna corporis, vel animæ, tacere deberet, & procederet ratio *suprà* allata, quòd ex duobus malis minus sit eligendum.

111 *Si posterius*, & mulieri nec facultates suppetant, ex quibus damnum compensare occultè possit, nec argumenta habeat, quibus Spurio, aut suppositititio crimen suum satis probare possit, vel si probare id quidem eidem possit, sed ab hoc sperare secretum nequeat, rectiùs silebit, & dolebit de peccato cum proposito satisfaciendi, cùm primùm poterit: & ratio est, quia tali casu frustra crimen revelaret, cùm ei, præsertim turpitudinem suam allegenti, filius credere, & hæreditate abstinere non teneatur, utpote existens in possessione filiationis tamdiu, donec ipsi probetur contrarium *c. per tuas 10. de Probat.* Neque fidem mater faciet, etiamsi crimen Juramento testetur filio, nisi alia simul argumenta afferat, quæ dubium tollant; quia nemo unius tantùm, etiam fide digni, & minimè suspecti testimonio, etiam jurato, in sui præjudicium tenetur credere. Accedit, quia si simplex, aut etiam jurata matris assertio liberos posset à possessione filiationis dejicere, periculum foret, ne subinde ob amorem in unam, & odium in aliam prolem proles etiam legitimè procreata arceretur à successione. Abb. *in c. per tuas cit. n. 9.* Felin. *n 16.* Gonzal. *n. 8.* Wiestner *n. 142.* Unde etiam sequitur, quòd si ejusmodi fœmina, aliunde ad Sacramentum Pœnitentiæ rite dispositа, accederet Confessionale, & confiteretur hoc crimen, absolvi debeat, imposita ei competente Satisfactione, seu Pœnitentiâ, etiamsi crimen marito, aut filio revelare nollet; nam ita decernitur *c. officii cit.* & docent Host. *hic V. tenetur*, Navar. *c. 16. n. 47.* Fagn. *n. 17.* Pirhing *n. 22.* Suadebit tamen eo casu Confessarius ejusmodi fœminæ, ut emolumenta mariti, & filiorum legitimorum, quibus modis potest, promoveat, sumptus consuetos minuat, labori, si talis conditionis sit, ut labore manuum vitam toleret, instet vigilantiùs &c.

Quæritur 7. ad quid teneatur 112
adulter? R. cum distinctione: Vel enim hic ex assertione adulteræ, aliisque sufficientibus argumentis rationabiliter persuadet sibi, aut persuadere debet, prolem ex se esse genitam, vel in utramque partem probabiliter dubius est, utrum ex se sit genita, vel ex marito adulteræ. *Si primum*, in conscientia obligatur ex Justitia, cùm hoc possit, restitutionem imprimis facere patri putatitio pro expensis, quas ille fecit ad alendam, vel dotandam prolem non suam: deinde compensare tenetur damnum, quod per hoc factum est reliquis ejusdem Liberis, aut hæredibus legitimis per intrusi illegitimi successionem. Sylv. *V. adulterium n. 7.* Navar. *c. 16 cit. n 43.* Less. *l. 2. de Just. c. 10. n. 42. & 45.* Molin. *tr. 3. D. 10. n. 3.* Laym. *libr. 3. tr. 3 p. 3. c. 14. n. 2.* Gutier. *c. 38. n. 38.* Wiestn. *n. 146.* Ratio est, quia adulter damnorum istorum causa moralis fuit eo ipso, quòd voluntariè exercuerit actum, ex quo suapte naturâ prolis generatio sequi solet, ut plurimùm conjuncta cum damno mariti, & legitimorum ejusdem Liberorum. Rectè tamen monet Laym. *l. cit.* adulterum sæpe excusari ab obligatione ista compensationis damnorum, & 1. quidem, si deficiant ipsi media ad compensandum *l. nam is 6. ff. de dol. mal.* 2. si compensatio ab eo fieri nequeat sine gravi aut vitæ, aut famæ periculo. 3. si facta sit compensatio ab adultera, aut credatur facienda &c.

Si secundum sit, & adulter dubitet, 113
an proles ex se, an ex marito sit genita, variant DD. Sot. *l. 4. de Just. q. 7. art. 2.* Navar. *c. 16. cit. n. 49.* Less. *c. 10. n. 19.* Gutier. *n. 36*, eo casu absolvunt adulterum ab obligatione aliquid restituendi, vel compensandi. *Rationem* dant, quia nemo tenetur solvere, & re sua se spoliare, priusquam ostendatur debitor. *Confirmat* doctrinam hanc Sententia Medicorum, qui testantur, casu, quo concurrunt diversa semina, generationem fieri ex semine consueto, atque adeò ex mariti. *Contrarium* defendunt Molin. *D. 103. cit.* Laym. *n. 3.* & alii, qui putant, saltem pro ratione dubii resarciendum damnum esse: & probant ex naturali æquitate, quæ suadet, ut cùm dubium sit inter maritum adulteræ, & adulterum, uter eorum sit pater prolis, uterque contribuat secundùm

proportionem probabilitatis, & non unus eorum omnia alimenta præstare teneatur, & alter nihil. *Conf.* quia si constet delictum admissum esse, & dubium sit, an damnum, quod postea ortum est, secutum sit ex delicto, vel non, præsumptio esse solet contra nocentem, seu delinquentem, ita, ut ipsi incumbat probatio, quòd ex actione sua damnum non sit secutum, si actio illa talis fuit, ut sequi ex illa damnum tale consueverit: & ratio est, quia in dubia causa potiùs favendum est innocenti, quàm nocenti.

114 Ego judico, utramque sententiam in praxi esse probabilem: probabilior, sistendo saltem in foro conscientiæ, videtur altera ex allatis rationibus. Dixi, *sistendo in foro conscientiæ*; nam in foro externo, nisi probari legitimè possit, quòd proles sit suscepta ex adulterio, præsumitur legitima, & hoc in favorem prolis, & Matrimonii: atque hinc eo casu adulter ad alimenta præstanda hujusmodi proli cogi non potest à Judice.

Ad Argumentum contrariæ sententiæ dici potest, neminem teneri spoliare se re sua, & debitum solvere, si ipse sit in possessione immunitatis à solutione; non verò si adversùs ipsum sit præsumptio, ita, ut eidem incumbat onus probandi, se immunem esse, uti contingit in casu nostro. *Ad Conf.* testimonium Medicorum solùm probat, quòd filius in dubio se legitimum reputare possit, non autem, quòd etiam adulter ab obligatione compensandi saltem ex parte damnum se possit excipere; nam innocentia, & favor filii omni jure id meretur, ut legitimus censeatur, donec demonstretur esse illegitimus, ac proinde à possessione legitimatis ob dubium dejici non debet *arg. Reg. 65. in 6.* at verò adulterum constat causam injustam fuisse, ut maritus alimenta præbeat filio, tanquam certo, & indubitato, qui tamen reipsa dubius est: quod damnum, cùm pretio æstimabile sit, marito compensari debet. 115

§. III.

De Indulgentiis.

SUMMARIUM.

116. *Definitio Indulgentiæ.*
117. &c. *Varietas.*
120. *Quis concedere eas possit?*
121. *Vel non possit?*
122. *Quomodo concedi possint à Pontifice.*
123. &c. *Quomodo ab Episcopis, Archiepiscopis &c.*
126. &c. *An facultas concedendi Indulgentias possit obtineri consuetudine?*
129. &c. *An ad eas concedendas requiratur causa justa, & rationabilis?*
132. *Quid requiratur ad lucrandas Indulgentias?*
133. *An opera præscripta debeant fieri cum intentione lucrandi Indulgentias?*
134. 135. *Quamdiu durent Indulgentiæ?*
136. *Quando incipiant, & cessent datæ ad certum diem, vel annos?*

INdulgentiæ ad *Remissiones* pertinent, de quibus altera Rubricæ pars; nam duplex Remissionum genus in Ecclesia est, unum culpæ, quod maximè fit per Absolutionem Sacramentalem; alterum pœnæ, quod extra Sacramentum fit per Indulgentias. De priori extra ea, quæ hactenus dicta sunt, nihil attinet ulteriùs addere: de posteriori.

116 Quæritur 1. quid sint Indulgentiæ, & quàm antiquus earum usus? R. *Indulgentia*, ut hoc loco, & ex communi fidelium usu nomen istud accipitur, est *relaxatio pœnæ temporalis, pro peccatis actualibus remissis debitæ, per applicationem meritorum Christi, & Sanctorum.* Læl. Zecch. *tr. de Indulg. c. 1. n. 7.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 1. n. 1.* Pirhing *hic n. 37.* König *n. 22.* Wiestner *ibid. n. 147.* la Croix *tom. 6. n. 1301. Resp. 1.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 274.* Usus Indulgentiarum in Ecclesia antiquissimus est prout Bonifacius VIII. *Extr. 1. in c. comm. h. tit.* & Conc. Trid. *sess. 25. in Decret. de Indulg.* declarat, & ex traditione, ac continuo usu Ecclesiæ, priscorúmque PP. & Conciliorum testimoniis ostendunt Bellarm. *l. 4. de Pœnit. c. 3.* Suar. *D 49. sect. 2. de Pœnit. &c.* Imò indulgentiarum usum ab ipsis Apostolis derivatum verisimiliter colligit idem Suar. *l. cit. n. 3.* ex *2. Corinth. 2. v. 10.* ubi Apostolus incestuosum, quem corpore quidem absens, præsens autem Spiritu *1. Corinth. 5. v. 3.* excommunicatum pœnis Ecclesiasticis subjecerat, Spirituali clavium potestate absolvit, pœnâ etiam temporali, quæ remanserat remissâ, prout indicant verba, ibi, *Sufficit illi, qui hujusmodi est, objurgatio hæc*, & infrà, *Nam & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, ubi *Chrysost. Theophylact. Theodoret. Oecumen. Ambros.* & alii expositores advertunt,

tunt, Paulum usum fuisse verbo significante liberalem remissionem, & condonationem, hâncque veram, Indulgentiam & per potestatem à Christo datam fuisse, Suarez colligit ex verbis, *In persona Christi.*

117 Quæritur 2. quotuplex sit Indulgentia? ℟. variæ sunt ejus partitiones. 1. enim ratione effectûs dividitur in Totalem, & Partialem. *Totalis*, quæ etiam *Plenaria* dicitur, est per quam simpliciter tota pœna, in Purgatorio pro peccatis luenda, remittitur. *Partialis*, seu *non plena*, per quam solùm remittitur aliqua pars pœnæ in hac, vel in altera vita exsolvendæ. Palao *tr. 24. D. un. p. 3. n. 1.* Engl *hic n. 13.* König *n. 23.* Wiestn. *n. 151.* la Croix *tom. 6. n. 1391.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 281. Posterior*, seu *Partialis* alia est indeterminata, alia determinata. *Indeterminata* est, quando conceditur remissio tertiæ, vel quartæ partis pœnarum debitarum; nam cùm in diversis subjectis debita sint inæqualia, pro qualitate istorum effectus remissionis inæqualis erit, & respectu unius major, respectu alterius minor. *Determinata* verò, quando conceditur remissio pœnæ in determinata aliqua quantitate, e. g. decem, aut centum annorum, unius, aut plurium Carenarum, Quadragenarum &c. Dicitur autem *Carena* à *Carentia*, & erat olim pœnitentia sustinenda per jejunium in pane, & aqua per 40. dies; *Quadragena* autem erat pœna, quæ per Quadragesimam subiri debebat: unde, quando in Bullis Pontificum dicitur, quòd detur Indulgentia Carenæ, Quadragenæ &c. sensus est, remitti tantam pœnam, quanta deletur per pœnitentiam 40. dierum &c. Palao *l. cit. n. 2.*

118 2. Dividitur Indulgentia ratione eorum, pro quibus Indulgentiæ conceduntur; nam aliæ dantur *pro vivis*, & per modum absolutionis, aliæ *pro Defunctis*, & per modum suffragii, seu solutionis. Nam Papa, cùm in animas Defunctorum Jurisdictionem non habeat, non potest dare illis Indulgentias per modum Jurisdictionis eas absolvendo à pœnis; sed solùm hæ ipsis applicantur per modum Suffragii, dum ab alio vivo præstantur opera pro Indulgentia requisita, & hæc offeruntur DEO tanquam solutio pretii adjunctis precibus, ut illam misericorditer acceptet, & pœnam temporalem animabus, in Purgatorio detentis, remittat. Suar. *D. 53. sect. 2. n. 4.* & *sect. 3. n. 15.* Coninck *D. 12. dub. 10.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 7. n. 3.* Palao *l. cit. p. 10. n. 2.* Vallensi. *hic §. 20. n. 1.* ℣. *longè.* Wiestner *ibid. n. 154.* la Croix *tom. 6. n. 1315.* Magnif. P. Schmier *c. 3. cit. n. 283. Quærunt* hic aliqui, an Indulgentiæ, pro defunctis concessæ, habeant effectum certum, & infallibilem, an verò tantùm prosint secundùm liberalem, & congruam DEI acceptantis voluntatem? Infallibilem esse negant *Richard. Durand. Cojet. Cordub. Can. Petr. de Sot. Henriq. Laym. Bonacin. &c.* Affirmant *S. Thom. Dom. Sot. Navar. Suar. Valent. Coninck, Benzon.* quorum sententiam veriorem existimat Palao *l. cit. n. 4.* & deducitur ex Bulla *Leonis X. ad Cajetan.* in qua æqualiter, & absolutè tum vivis, tum defunctis promitti videtur liberatio à pœnis.

119 3. Dividitur Indulgentia in Personalem, Localem, & Realem. *Personalis est*, quæ per se, ac directè personis conceditur sine determinatione ad certum locum, vel rem materialem. *Localis*, quæ certo loco affixa est v. g. Ecclesiæ, Altari &c. *Realis*, quæ rei certæ, ut rosario, numismati, crucibus &c. Palao *l. cit. p. 3. n. 13.* König *hic n. 25.* Wiestner *n. 152.* la Croix *n. 1313.* Schmier *n. 282.* cum aliis.

4. Dividitur in Perpetuam, & Temporalem. *Prior* durat, donec revocetur, vel intereat res, aut sine spe reædificationis destruatur locus, cui directè concessa est. *Posterior* datur ad certum tempus, eóque exacto finitur. Wiestner *n. 153.* Schmier *n. 284.*

120 Quæritur 3. quis possit concedere Indulgentias? ℟. 1. ex plenitudine potestatis *Summus Pontifex* concedere potest Indulgentias cujuscunque generis *Extrav. unigenitus 2. int. comm. b. tit.* nam à Christo generalem accepit potestatem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ. Palao *tr. 24. D. un. p. 5. n. 1.* Vallensi. *hic §. 21. n. 1.* Engl *n. 16.* König *n. 27.* Wiestner *n. 150.* & *156.* la Croix *tom. 6. n. 1317.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 277.* 2. *S. R. E. Cardinales* concedere Indulgentias in Ecclesiis sui Tituli possunt ad 100. dies: sed hoc non Jure communi, sed speciali, scilicet ex privilegio, ut Bolognet. *de Indulg. n 21.* vel ex Jure non scripto, & consuetudinario, ut Zœs. *hic n. 10.* Gobat *de Indulg. n. 55.* la Croix *n. 1321.* advertunt. 3. *Legati Sedis Apostolicæ*: quanta verò circa hoc potestas iisdem competat, quia Jure communi expressum non est, ex usu, & commissione, sive Litteris Legationis desumi debet. Communiter dare possunt Indulgentias ad 100. dies. Vallensi. §. *21. n. 3.* König *n. 27.* Wiestner *n. 158.* ℣. *non minorem*, la Croix *n. 1322.* 4. *Episcopi* in sua Diœcesi: & quidem isti in Dedicationibus Ecclesiarum possunt dare Indulgentias unius anni, in earum anniversariis 40. dierum *c. cùm ex eo 14. h. tit.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 88. n. 14.* Vallensi. *l. cit. n. 2.* Engl *n. 16.* König *n. 27.* Wiestner *n. 157.* Schmier *n. 278.* & *279.* Et hæc Indulgentias concedendi potestas competit Episcopis etiam non consecratis, mo-

dò confirmati sint ; quia Indulgentiarum concessio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis. Vallens. *n. 4.* Engl *n. 19.* §. *Archiepiscopi* tam pro sua Diœcesi (quia in hac possunt, quod Episcopi) quàm pro sua Provincia, seu pro Ecclesiis Suffraganeorum suorum, etiam extra visitationis tempus, & dum extra Diœceses ipsorum existunt; (quia Indulgentiarum datio est actus Jurisdictionis voluntariæ) & quidem in his concedere possint 40. alios dies præter concessos à proprio Episcopo, ita, ut Ecclesias has visitantes 80. dierum Indulgentias simul lucrentur. Suar. *D. 55 sect. 3. n. 7.* Palao *p. 5. cit. n. 8.* Wiestner *n. 158.* la Croix *n. 1321.*

121 *Contrà* exploratum est, quòd Indulgentias dare non possint, 1. *Parochi*; quia carent Jurisdictione fori externi. 2. *Capitulum Cathedrale, Sede vacante*; quia ad hoc tantùm devolvitur Jurisdictio necessaria. 3. *Vicarius Generalis* Episcopi, vel Capituli, Sede vacante; quia Indulgentiarum concessio reservatur Dignitati Episcopali. 4. Prælati Sæculares inferiores Episcopo, nisi ex speciali privilegio, consuetudine, vel præscriptione hæc potestas sit ipsis concessa; quia de Jure communi potestas hæc ipsis concessa nusquam probari potest. 5 Prælati, Abbates, & alii Superiores Regulares, nisi similiter privilegio à Papa concesso muniti sint: quale tamen privilegium permulti illorum habent respectu subditorum suorum, ex cujus proin tenore, quanta cujusque potestas sit, desumendum est. Navar. *de Indulg. notab. 30. n. 14.* Palao *tr. 24. D. un. p. 6. n. 4.* Wiestner *n. 159.*

122 Quæritur 4. quomodo Indulgentiæ concedi possint? & Summus Pontifex habet quoad hoc potestatem prorsus illimitatam: unde valebunt Indulgentiæ ab ipso concessæ, cujuscunque generis illæ sint, & quibuscunque concessæ, modò ex causa justa, & rationabili concessæ sint; nam sine hac concessæ non valent, prout dicetur *infrà n. 130.* Præterea publicari non debent primò sine licentia, & approbatione Ordinarii, ut habet *textus*, & *Declarat. Cardd. in Trid. sess. 21. c. 9. de reform.* Dixi *primò*; nam Indulgentias, jam olim sibi concessas à Summo Pont. publicare Religiosi, & alii, quibus concessæ sunt, possunt, nullo verbo cum Ordinariis facto. Joan. Gallemart *ad Trid. l. cit. V. Indulgentias.*

123 Episcopis verò, & Archiepiscopis variè potestas hæc limitata est. Et 1. quidem quoad quantitatem Indulgentiæ; nullus enim inferior Pontifice, seclusa Papæ delegatione, dare potest Indulgentias plenarias, sed tantùm partiales, & limitatas ad certum tempus, e.g. 100. aut 40. dierum. Estque concessio, si ultra limites statutos sit, ipso Jure nulla quoad excessum *c. Romana 1. & c. fin. h. tit. in 6.* Dixi *quoad excessum*; nam quoad eam partem, quæ numerum præscriptum non excedit, valet concessio: & ratio ducitur ex Regula universali, quòd utile per inutile vitiari non debeat *Reg. 37. in 6.* quando parsutilis separari potest ab inutili, ut in proposito nostro est numerus dierum. Accedit, quia concessio Indulgentiarum est quædam liberalis donatio, quæ tenet pro parte, quæ quantitatem Lege statutam non excedit, licèt quoad excessum invalida sit. Gloss. *in c. fin. cit. V. non obtineant*, Joan. Andr. *ibid.* Navar. *de Indulg. notab. 31. n. 16.* Azor *p. 2. c. 55. q. 6.* Henriq. *l. 7. c. 33. n. 4.* Suar. *D. 55 sect. 3. n. 14.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 88. n. 22.* Laym. *l. 5 tr. 7. c. 4. n. 2. fin.* Bonac. *D. 6. de Indulg. q. 1. p. 3. n. 4.* Palao *tr. 24. D. un. p. 5 n. 13.* Wiestner *hic n. 157.* la Croix *tom. 6. n. 1310.*

124 2. Quoad personam, quibus concedere Episcopus Indulgentias potest; nam concedere illas tantùm subditis suis possunt, Sumitur ex *c. quod autem 4. h. tit.* Ratio est, quia *ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*, ut dicitur *reg. 26. in 6.* atqui dare Indulgentias spectat ad officium proprii Episcopi; nam fungitur ibi Episcopus officio Judicis absolventis à pœna. atqui sicut ligari, ita, & absolvi nullus valet à Judice non suo, ut *c. quod autem cit.* memorat, ergo &c. *Ex quo sequitur 1.* quòd Indulgentias in Ecclesiarum Dedicationibus &c. ab Episcopis concessas non possint lucrari extranei, qui in Diœcesi Episcopi dantis Indulgentias nec domicilium, nec quasi domicilium habent, nisi proprius Episcopus specialiter consentiat. Abb. *in c. cit. n. 7.* Navar. *de Indulg. notab. 31. n. 12.* Barbos. *alleg. cit. n. 25.* Vallens. *hic §. 21. n. 4.* Engl *n. 17.* König *n. 28.* Wiestner *n. 162.* Possunt tamen eas lucrari Exempti, qui intra Diœcesim Episcopi Indulgentias concedentis habitant, ne Exemptio, quæ in favorem illorum est introducta, in eorum odium, & dispendium detorqueatur, contra *reg. 61. in 6.* & *l. quod favore 6. C. de LL.* Navar. *l. cit. n. 13.* Cockier *de Jurisd. in Exempt. q. 58. n. 5.* Palao *p. 3. n. 14.* Barbos. *l. cit. n. 27.* Pirhing *n. 47.* Engl *n. 18.* König *n. 28.* Wiestner *n. 164. Sequitur 2.* nullum Episcopum, vel alium Ordinis Episcopalis Prælatum potestate ordinaria, & quæ eidem ratione Dignitatis competit, concedere Indulgentias posse pro Defunctis. Navar. *not. 23. n. 4.* Suar. *D. 55. sect. 3. n. 9.* Barbos. *n. 24.* Palao *p. 5. n. 9.* Vallens. *n. 3.* Wiestner *n. 157. V. ex Papæ*, la Croix *tom. 6. n. 1320.*

&c.

&c. & sumitur ex *c. quod autem cit.* ubi solùm conceditur Episcopis quasdam Indulgentias dare subditis suis degentibus in hac vita, igitur ad defunctos hæc facultas non debet extendi. *Sequi videtur 3.* quòd Indulgentias non possit lucrari is ipse, qui eas concessit; quia Jurisdictionem nemo in seipsum exercere potest. *Sed contrarium* est verissimum. S. Thom. *adddit. ad 3. p. q. 27. art. 4.* Suar. *l. 6. de LL. c. 12. n. 8.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 27. n. 31.* Barbos. *alleg. 88. n. 28.* Wiestn. *n. 163.* & hoc teste communiter DD. Ratio est, quia concedens Indulgentias deterioris conditionis esse non debet, quàm subditi ipsius fideles. *Conf.* nam etiam Voti relaxatio est actus Jurisdictionis, & tamen qui dispensare cum aliis in Voto potest, potest etiam secum ipso: & ratio utriusque est, quia actus Jurisdictionis voluntariæ non semper exigit distinctionem personarum.

125 3. Eadem potestas concedendi Indulgentias Episcopis, & Archiepiscopis limitata est quoad locum; nam Episcopus dare Indulgentias solùm potest pro sua Diœcesi, Archiepiscopus per totam suam Provinciam, Sumitur *ex c. nostro 15. h. tit.* Et ratio est, quia licèt Metropolitanus non habeat Jurisdictionem contentiosam in Subditos Suffraganeorum suorum, habet tamen ea, quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ, inter quæ etiam est concessio Indulgentiarum. Idque verum est, etiamsi actu non visitet Provinciam, modò statutum *Concil. Lateran.* quoad numerum dierum pro Indulgentiis concedendarum non excedat, ut dictum est *n. 120. fin.* Ex eadem ratione potest Episcopus concedere Indulgentias pro sua Diœcesi, etiamsi in hac non actu existat; quia actus Jurisdictionis voluntariæ exerceri possunt etiam ab existente extra territorium suum. Palao *p. 5. n. 17.* Patriarcha, vel Primas, licèt in Episcopatu, & Archiepiscopatu, cui ipse præsidet ut Episcopus vel Archiepiscopus, possit ea, quæ possunt Episcopi, & Archiepiscopi alii, Indulgentias tamen pro toto Regno, cui ipse ut Primas, vel Patriarcha præest, non potest concedere; quia extra Diœcesim, & Provinciam suam in subditos cœterarum Diœcesium extra casum Appellationis Jurisdictionem non habet. *Conf.* ex *c. nostro cit.* ubi pro solo Archiepiscopatu legitur concessio facta.

126 Quæritur *5.* an facultas concedendi Indulgentias possit obtineri consuetudine. Negant Turrecr. *in §. item in Levitico post can. qui aliquando 87. dist. 1. de Pœnit.* Navar. *de Indulg. notab. 31. n. 7.* Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Cordub. *de Indulg. q. 10. propos. 11. dub. 1.* Suar. *D. 55. sect. 4. n. 3. Rationem* dant, quia cùm potestas hæc se extendat ad tollendas pœnas DEO debitas, acquiri nequit sine voluntate ipsius DEI aut supremi ejusdem in terris Vicarii. vel igitur Summus Pontifex scit, & tacitè approbat, ejusmodi consuetudinem; & tunc non ex vi consuetudinis tantùm, sed potius ex vi taciti consensûs potestas illa acquiritur: vel nescit Papa; & tunc actualiter consentire non potest, cùm ignorantis nullus sit consensus. *Conf.* à paritate cum consuetudine, quâ à subdito acquiratur libera electio Confessarii sine licentia proprii Episcopi, quæ consuetudo reprobatur *c. si Episcopus 2. h. tit. in 6.*

127 Sed melius affirmativam tenent Gloss. *fin. in c. accedentibus 12. de Excess. Prælat.* Abb. *ibid. n. 2.* Palud. *in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. concl. 4.* Sanch. *l. 4. mor. c. 38. n. 21.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 4. n. 4.* Palao *tr. 24. D. un. p. 6. n. 6.* Gobat *de Indulg. n 79.* Wiestn. *hic. n. 160.* Nam & potestas dispensandi in Votis, ac Juramentis per consuetudinem ab inferioribus Prælatis acquiri potest, cùm tamen Dispensatio ista etiam solvat animas in foro DEI, ac proin competere possit nemini sine voluntate Christi, aut ejus in terris Vicarii.

128 *Neque obstat*, quòd Papa nesciat in specie, & in particulari talem consuetudinem; quia sufficit, quòd id velit, & consentiat vi generalis Legis, per quam approbantur consuetudines bona fide præscriptæ. *Ad Conf.* illatio ad diversa non est legitima, præsertim quando ratio est diversa, prout est in proposito; nam facultate eligendi Confessarium sine licentia Episcopi frangitur, aut relaxatur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, & subditus subtrahitur obedientiæ sui Pastoris: quod non fit potestate concedendi Indulgentias.

129 Quæritur *6.* an ad Indulgentias concedendas requiratur causa justa, & rationabilis? *Certum* est causam justam requiri saltem ad honestatem concessionis. Patet ex *Extrav. Unigenitus 2. int. comm. h. tit, ℣. quem quidem* ibi, *Ex propriis & rationabilibus causis.* An verò justa causa requiratur etiam ad valorem concessionis, dubitari potest. Et *ratio dubitandi* est, quia multa prohibentur, quæ tamen si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem *c. ad Apostolicam 16. de Regular.* *Conf.* paritate cum dispensatione in Lege Jejunii, absolutione ab Excommunicatione, & remissione aliarum pœnarum, quæ si factæ sint sine justa, & rationabili causa, licèt illicitè, & validè tamen fiunt.

130 *Sed dicendum*, esse invalidam concessionem Indulgentiæ sine causa factam etiam à Papa. Ita contra Palud. *in 4. dist. 21. q. 4. art. 1.* ferè omnes DD. & inter hos S. Thom. *in Supplem. q. 23. art. 2.* S. Bonav. *in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. q. 6.* Sot. *dist. 21. q. 2. art. 2.* Cajet. *de Indulg. tr. 9. q. 1.*

q. 1. & tr. 15. c. 4. q. 1. Navar. *de Indulg. notab. 15. n. 17.* Valent. *tom. 4. D. 7. q. 20. p. 4. pr.* Suar. *D. 54. sect. 2. n. 3.* Coninck. *D. 12. dub. 6.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 5. n. 1.* Bonac. *D. 6. de Indulg. q. 1. p. 4. n. 1.* Palao *tr. 24. D. un. p. 7. n. 1.* Vallenſ. *hic* §. *23. n. 1.* la Croix *tom. 6. n. 1316.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 286. & 287.* Ratio eſt, quia Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator theſauri Eccleſiæ, unde ſumuntur Indulgentiæ, diſpenſator autem non poteſt ſine cauſa diſponere de rebus domini; aliàs eſſet diſſipator. *Conf.* ex *c. cum ex eo 14. h. tit.* ubi Innocentius III. reprobat Indulgentias *indiſcretas, & ſuperfluas.* Ex quo patet ad *Rationem dubitandi*, & *Confirmationem* adjectam, nam Diſpenſatio in jejunio &c. eſt relaxatio obligationis, vel pœnæ pendentis à voluntate Papæ.

131 Porro cauſa hæc debet eſſe à generali illa liberationis à pœna temporali diſtincta; nam aliàs ſemper adeſſet cauſa ſufficiens concedendi quasvis Indulgentias, cuivis, & quovis momento, quod communi fidelium, & Orthodoxorum DD. ſenſui adverſatur. Palao *l. cit. n. 1. §. quodſi dicas* la Croix *tom. 6. n. 1305. Reſp. 2.* In ſpecie cauſæ dandi Indulgentias ſunt exaltatio Eccleſiæ, converſio infidelium, Hæreſum extirpatio, propagatio Fidei Chriſtianæ, Concordia Principum Chriſtianorum, reformatio vitæ, morúmque emendatio, excitatio ad ſtudium devotionis, & virtutis obſequiorum & meritorum remuneratio, Spirituale ſolatium animarum, & ſimiles aliæ, non ſolùm publicum, ſed privatum etiam bonum ſpectantes. Palao *n. 8.* Debet autem hæc cauſa eſſe proportionata Indulgentiæ juxta prudentis arbitrium; aliàs ex ea parte, quâ Indulgentia cauſam excedit, conceſſio cenſeretur facta absque cauſa rationabili, & ſic ipſa Indulgentia quoad exceſſum evaderet indiſcreta, & ſuperflua. Cajet. *de Indulg. q. 1. & 2.* Bellarm. *l. 1. de Indulg. c. 12.* Suar. *D. 54. ſect. 3. n. 5.* Coninck *D. 12. dub. 6. concl. 2. n. 31.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 5. n. 1.* Palao *n. 3.* Wieſtner *n. 166.* la Croix *l. cit.* & *n. 1316.*

132 Quæritur 7. quid requiratur ad lucrandas Indulgentias? R. 1. requiritur, ut lucrans ſit baptizatus. Suar. *D. 52. ſect. 2. pr.* Coninck *D. 12. dub. 7. pr.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 6. n. 1.* Bonac. *D. 6. q. 1. p. 5. n. 1. & 2.* Palao *tr. 24. D. un. p. 8. n. 1.* Vallenſ. *hic* §. *24. n. 1.* la Croix *tom. 6. n. 1301. Reſp. 3.* & hinc earum capax etiam non eſt Catechumenus ante Baptiſmum ſuſceptum. *Ratio eſt*, quia Indulgentiarum conceſſio, ſi concedantur per modum abſolutionis, eſt actus Jurisdictionis, conſ. requiritur, ut is, cui conceduntur, ſit ſubjectus poteſti Spirituali Eccleſiæ, non ita autem ſubjiciuntur, qui Eccleſiam per Baptiſmum nunquam ingreſſi ſunt. ergo &c. 2. ut non ſit ligatus Excommunicatione majori; quia hæc privat hominem communicatione bonorum Eccleſiæ ſpiritualium *can. omnis Chriſtianus 32. can. canonica 107. &c. cauſ. 11. q. 3.* Suar. *D. 52. ſect. 2. n. 3. & de Cenſur. D. 12. ſect. 3. n. 7.* Laym. *c. 6. cit. n. 2.* Palao *n. 5.* Wieſtner *n. 167.* 3. ut in gratia DEI ſit conſtitutus tempore conſecutionis; quia Indulgentiæ auferunt ſolum reatum pœnæ, & hic non auferitur ſine reatu culpæ. Porro licèt conſultum ſit omnia opera in gratia DEI peragere, per ſe tamen loquendo, & niſi aliud conſtet de mente Indulgentias concedentis, ſufficit, ſi opera præſcripta in ſtatu gratiæ compleantur; quia ſtatus hic potiùs exigitur propter Indulgentiæ effectum, quàm propter opus præſcriptum. Navar. *de Indulg. notab. 19. n. 17. & not. 32. n. 47.* Suar. *ſect. 2. cit. n. 7.* Laym. *n. 3.* Palao *n. 3.* Gobat *n. 152.* Wieſtner *n. 168.* la Croix *n. 1319. 4.* ut impleatur totum opus, pro Indulgentiis lucrandis præſcriptum: hinc non omnia præſcripta implens, easdem non lucrabitur; quia non ſervat formam, nec implet conditionem, ſub qua conceſſæ ſunt. Navar. *not. 19. n. 17.* Coninck *D. 12. dub. 7. n. 38.* Suar. *ſect. 3. n. 3.* Laym. *n. 3.* Palao *p. 9. n. 1.* Vallenſ. §. *24. n. 3.* König *n. 30.* Wieſtn. *n. 169.* la Croix *l. cit.* Rectè tamen DD. *citt.* excipiunt caſum, quo Indulgentiæ conceſſæ ſunt implenti opus præſcriptum, in quantum poteſt, ſicut *Extr. Unigenitus 2. h. tit.* Jubilæi Indulgentiæ conceſſæ ſunt arripientibus iter ad viſitanda Limina Apoſtolorum, quamvis impediti eò nequeant pervenire.

An verò opera illa peragenda ſint 133
intentione lucrandi Indulgentias, diſſenſio eſt inter DD. Mihi ſatis certum eſt, & Eccleſiæ praxis docet, non exigi intentionem formalem; tum quia hanc requiri neque ex natura rei, neque ex voluntate Pontificis Indulgentiam concedentis conſtat; tum verò quia Indulgentiæ concedi moribundis animam agentibus, & omni ſenſu deſtitutis, iisdémque adminiſtrari Sacramentum Extremæ Unctionis ſolet. Palao *p. 9. cit. n. 8.* Wieſt. *n. 170.* Imò iidem DD. cum Suar. *D. 56. ſect. 1. n. 7.* Salas *D. 17. de LL. c. 5. pr.* Coninck *de Sacr. D. 83. n. 166.* Laym. *c. 6. cit. n. 5.* Card. de Lug. *de Sacram. D. 27. n. 82.* la Croix *n. 1325.* exiſtimant, ſi alia intentio ſpecialis non præſcribatur, ſufficere intentionem habitualem, & interpretativam, quam quilibet Chriſtianus de ſalutis ſuæ remediis habere, & generatim velle præſumitur, ut bona opera ſua proſint, quantum poſſunt. *Ratio eſt*, quia ſubrogatum ſapit naturam ejus, in

in cujus locum subrogatur. Indulgentia autem subrogatur operibus satisfactoriis, habentibus vim satisfaciendi, & solvendi debitum, licèt quis debitum illud solvere nec formaliter nec virtualiter intendat.

134 Quæritur 8. quamdiu durent Indulgentiæ? R. hac in re regulare, & perpetuum dogma est, quòd earum sicut concessio, & inchoatio, ita & duratio, ac cessatio à voluntate concedentis pendeat *arg. Reg. omnis 1. de R. J.* Et hinc 1. concessæ ad certum tempus, aut sub conditione, illo demum finito, & hac deficiente cessant. Navar. *de Indulg. notab. 31. n. 25.* Suar. *D. 57. sect. 2. n. 2.* Coninck *D. 12. dub. ult.* Palao *tr. 24. D. un. p. 11. n. 1.* Wiestn. *hic n. 872.* 2. concessæ *ad Beneplacitum* finiuntur morte concedentis; quia beneplacitum cum vita exspirat, *c. si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* Gobat *de Indulg. n. 643.* Wiest. *n. 173.* 3. annexæ certæ rei, vel loco cessant interitu rei cui annexæ, vel destructione loci, cui concessæ sunt, si destructio talis fiat sine spe reædificationis. Secus est, si cum spe reædificationis; nam tunc, maximè, si post destructionem non longum tempus reædificationis interceßit, eadem Indulgentia resurgit, quæ tempore destructionis suspensa est. Suar. *D. 52. sect. 1. n. 8. & 9.* Bonac. *D. 6. q. 1. p. ult. n. 4.* Palao *l. cit. n. 3.* la Croix *tom. 6. n. 1383.* 4. quæcunque Indulgentiæ cessant, si à concedente, hujus Successore, vel utriusque Superiore revocentur *Extr. quemadmodum 4. & seq. int. comm. b. tit.* & docet praxis Summorum Pontt. à quibus multæ sunt revocatæ. Sylv. *V. Indulgentia n. 17.* Suar. *D. 57. sect. 2. n. 8.* Bonac. *p. ult. cit. n. 8.* Palao *n. 2.* la Croix *n. 1382.* qui tamen notant, ex voluntate Papæ rationabiliter præsumpta Bullas Indulgentiarum revocatorias, publicatas Romæ, effectum in Provinciis non statim sortiri, neque Indulgentias cessare, antequam notitia revocationis factæ ad has moraliter potuerit pervenire; quia si ante ejusmodi notitiam cessarent, inde orirentur gravia incommoda, & fidelium deceptiones.

135 Extra hos modos nullus est alius, quo Indulgentiæ concessio propriè cesset, ut bene expendit Suar. *D. 52. sect. 2.* Palao *n. 4.* Cons. 1. Indulgentia simpliciter, & absolutè concessa non perit morte concedentis *c. si super gratia 9. de Offic. Deleg. in 6.* cùm sit gratia, & Beneficium Principis, quod decet esse mansurum. *Reg. 16. in 6. V.* Sylv. *Indulgentia n. 16.* Navar. *not. 31. n. 25.* Suar. *D. 57. sect. 2. n. 6.* Palao *n. 4. cit.* la Croix *n. 1301. Resp. 3. coroll 2. & n. 1386.* Wiest. *n. 174.* Et hoc verum est etiam de Indulgentiis datis ab Episcopo, Archiepiscopo, & Legato Apostolico; nam ab his datæ, etiam ipsis decedentibus, vel officio cedentibus, perseverant *arg. c. fin. de Offic. Legat.* & ratio est, quia potestas eorum in Indulgentiis concedendis à Jure restricta est non quoad durationem, sed solùm quoad quantitatem. Suar. *D 52. sect. 2. n. 4.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 12. n. 38.* Palao *p. 11. n. 4.* 2. non cessat Indulgentia, cessante causa, ob quam concessa est, modò hæc à principio proportionata fuerit concessioni; quia Indulgentiæ durato non pendet ex duratione causæ, sed propter causam temporalem Indulgentia perpetua concedi potest, sicuti Indulgentia unius anni conceditur propter Dedicationem Ecclesiæ, quæ uno die finitur. Palao *n. 4. cit. V. denique.* 3. non cessat Indulgentia, ex eo, quòd eidem loco similis concessa fuerit, nulla mentione prioris facta in impetratione; quia ob hunc defectum posterior concessio nullius est valoris juxta *Reg. 57. Cancell.* prior verò concessio perseverat salva. Suar. *n. 12.* Palao *l. cit. V. neque etiam.*

Quæritur 9. quando incipiant, & cessent Indulgentiæ concessæ ad certum diem, vel certos annos, e. g. ad septennium? R. 1. si datæ sunt pro aliqua Festivitate, ex hodierno Stylo Curiæ Apostolicæ, incipiunt à primis Vesperis, & durant usque ad occasum Solis, seu donec Sol sub Horizonte abditus planè occubuerit. Gobat *de Indulg. n. 655.* Wiestn. *hic n. 178.* 2. pro die non festo, seu feria aliqua datas idem Gobat *n. 658.* existimat incipere ab in tempesta, & media nocte usque ad mediam noctem alteram; nam ita dies accipitur usu populi, & in Legibus etiam Romanis *l. more 8. ff. de Feriis.* & *c. consuluit 24. de Offic. Deleg.* 3. ad certos annos v. g. viceannium, aut septennium concessis idem *n. 662.* ait inchoari à die publicationis in loco factæ, quantumvis publicatio ex justa causa ad unum, vel alterum annum post Apostolicum Breve exhibitum differatur; nisi tamen in isto exprimatur, Indulgentias ad septennium e. g. proximum valituras; tales enim ipso, quo Breve exhibitum est, anno inchoari, atque etiam, ne unus, vel alter annus intereat, publicandas monuit idem Gobat *n. 667.*

136

§. IV.

De Jubilæo.

SUMMARIUM.

137. *Jubilæi origo.*
138. *Tempus, quo celebratur.*
139. *Definitio.*
140. &c. *Facultates tempore Jubilæi concedi solitæ.*
143. *Ordinarium conceditur à solo Pont. in anno Sancto.*
144. *Et incipit à Vigilia, Nativitatis, durátque usque ad eandem Vigiliam anni sequentis.*
145. *Impediti Romam accedere lucrari possunt Indulgentias, si peragant opera præscripta.*
146. *Quod etiam fit in extensione Jubilæi.*
147. &c. *Quænam opera præscripta sint?*
153. &c. *An Indulgentias Jubilæi sæpius lucretur, qui præscripta opera sæpius repetit?*
156. &c. *An hæc peragenda sint omnia in una, eademque hebdomada?*
159. &c. *An qui primâ hebdomadâ omnia opera præscripta rite peregit, si in secunda commisit peccatum reservatum, aut Votum aliquod edidit, in hac secunda hebdomada ab illo absolvi, & in hoc dispensari possit?*
162. &c. *An absolvi à reservatis, & in Votis dispensari possit ille, qui opera præscripta in Jubilæo nondum peregit?*
166. &c. *Quæ Indulgentiæ, suspendantur tempore Jubilæi?*
172. &c. *Quæ aliæ facultates?*
174. *Quando incipiat, & quamdiu duret hæc Indulgentiarum, & facultatum suspensio?*
175. *Quid consulendum illi, qui Jubilæo ferè transacto, nondum peregit opera omnia?*

137 QUæritur 1. quid sit *Jubilæum*? R. *Jubilæi*, sive *Jobolæi* nomine Hebræi denotabant annum quinquagesimum remissionis, quo in Lege veteri populus vacabat ab agricultura, & possessiones, seu prædia, agri, vineæ venditæ, Hypothecæ subjectæ &c. ad pristinos dominos sine pretio revertebantur, remittebantur debita, & delicta, exules in patriam, & servi in pristinam libertatem sine pretio redibant. *Lev. 15. à v. 10.* & *Num. 36. v. 4.* In nova Lege ad veteris imitationem eo significatur annus gratiæ, visitantibus Limina Apostolorum Petri, & Pauli concessus cum plenissima peccatorum, & Pœnæ pro his promeritæ remissione, aliisque favoribus. Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 1. n. 1.* Wiestner *hic n. 177.*

138 Olim Jubilæum concedebatur centesimo quoque anno *Extrav. antiquorum 1. int. comm. b. tit.* Clemens VI. autem *Extr. 2. eod.* revocavit ad annum quinquagesimum; & denique Paulus II, ac post illum Sixtus IV. *Extrav. quemadmodum 4. eod.* reduxit ad annum vigesimum quintum: atque ita hodie servatur, ita, ut recurrente quovis anno vigesimo quinto à primis Vesperis Nativitatis Christi usque ad Vesperas primas ejusdem Festi anni sequentis per totum annum Romæ celebretur Jubilæum, omnibúsque Romam ad Limina Apostolorum venientibus tribuatur plenissima remissio omnium pœnarum Divinæ Justitiæ debitarum. Atque ut affluxus iste ad Urbem fidelis populi major sit, eo anno, quo Romæ durat Jubilæum, suspenduntur omnes Indulgentiæ plenariæ per totum Orbem, ut constat ex *Extr. quemadmodum cit. Const. Greg. XIII.* incipit *Quoniam Sancti* apud Navar. *de Indulg. notab. 33.* & *Const. Innoc. X.* incipit *Cùm nos nuper editâ pridie Non. Maji 1649.* apud Gobat *de Jubil. in Præfat.*

139 Definiri Jubilæum cum Lezan. *Summ. QQ. Regul. tom. 1. V. Jubilæum n. 1.* Wiestner *hic n. 178.* la Croix *tom. 6. n. 1393.* & aliis potest, quòd sit Indulgentia plenaria, à Summo Pont. concessa visitantibus certas Ecclesias, vel certa pia opera peragentibus cum facultate absolvendi à casibus reservatis, & à Censuris, vota commutandi &c. In quo differt ab aliis Indulgentiis; nam ultra remissionem pœnæ pro peccatis debitæ continet alias præterea gratias, scilicet facultatem eligendi Confessarium, approbatum ab Episcopo quemcunque, dispensandi in Votis, absolvendi à Censuris &c. Navar. *notab. 8. & 10.* Suar. *D. 50. sect. 4. n. 8.* Palao §. *1. cit. n. 3.* Wiestner *n. 178. cit.*

140 Quæritur 2. quænam facultates concedi tempore Jubilæi soleant Confessario à pœnitente electo? R. 1. potest absolvere à Censuris, & peccatis omnibus, etiam Ordinario, & ipsi Papæ reservatis. *Excipitur* 1. si is, qui absolutionem petit, sit excommunicatus à Judice. 2. si sit Excommunicatus, suspensus, aut interdictus publicè, & nominatim denuntiatus. 3. si casus sit reservatus in Bulla Cœnæ; nam nisi in Bulla Jubilæi hoc exprimatur, potestas ab his absolvendi Confessario electo non competit, ut vult Gobat *de Jubil. n. 247.* quam-

quamvis verisimiliter eam ipsi competere cum aliis affirmet Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 2. n. 9.*

141 2. Potest commutare Vota, etiam Juramento roborata, in aliud opus bonum etiam valoris aliquanto minoris, quàm sit actio Voto promissa. *Excipi* solent quinque reservata Pontifici, Castitatis perpetuæ, Religionis, & trium peregrinationum, scilicet ad limina Apostolorum Petri, & Pauli Romam, Compostellam ad S. Jacobum, & in Terram Sanctam. 2. excipitur Votum in favorem alterius factum, & ab hoc acceptatum; quia potestas tale Votum relaxandi in generali concessione non venit, sed tacitè exceptum intelligitur. Suar. *de Vot. c. 15. n. 10.* Gobat *n. 290.* Wiestner *n. 179.*

142 3. Potest etiam opera, quæ in Jubilæo præscripta sunt, commutare in alia pia opera, saltem si hæc sint aliunde indebita, & æqualis valoris cum istis: non tamen respectu omnium, sed eorum duntaxat, qui claustro perpetuo, carcere, captivitate, infirmitate, aut alio quoque impedimento detinentur, & propterea ipsa opera in Jubilæi Bulla expressa, vel eorum aliquod peragere moraliter, h. e. sine notabili, aut magna difficultate non valent. Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 12.* Gobat *de Jubil. à n. 99.* Wiestn. *n. 179.*

143 Quæritur 3. quis concedere Jubilæum possit, & quo tempore concedi soleat? R. Jubilæum concedit solus Pontifex, prout constat tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, tum etiam inde, quia solus ipse concedere Indulgentias plenarias, ut dictum est *n. 123.* & cæteros favores de Jure largiri potest *c. dilectus 15. de temp. ordin.* Gloss. *ibid. V. permissa*, Innoc. *n. 2.* Abb. *n. 3.* Sanctarell. *de Jubil. c. 3. dub. 2.* Wiestner *n. 180.* Ordinariè concedi solet in anno Sancto; extraordinariè, & extra annum Sanctum ob graves & publicas causas, & plerumque non multo post evectionem ad apicem Summi Pontificatûs. Palao *p. 12. cit. §. 3. n. 1.* Wiestn. *n. 180.*

144 Jubilæum ordinarium, sive anni Sancti, ut *n. 138.* innui, inchoatur à Vigilia Nativitatis Domini, sive apertione Portæ Sanctæ, quæ eo die fit ad initium primarum ejus festi Vesperarum, & durat usque ad finem anni sequentis, sive ad Vigiliam, & primas Vesperas ejusdem Festivitatis anni sequentis, & ipsam Portæ Sanctæ reclusionem, quæ fit ad finem Vesperarum. Navar. *de Indulg. notab. 24.* Filliuc. *tr. 8. n. 250.* Wiestner *n. 181.* *Neque obstat*, quò in Bullis Apostolicis indictionis disertè asseratur, id duraturum usque ad finem anni; quia secundùm *Dionysium*, cognomento *Exiguum*, annus Ecclesiasticus non à Calendis Januariis, sed à Vigilia Nativitatis Domini inchoatur: quod etiam insinuatur in ipsa Bulla Indictionis, dum Vigilia Nativitatis, quæ Jubilæum sequitur, dicitur Vigilia anni proximè venturi. Baron. *Martyrol. cal. Jan.* Navar. *not. cit.* Gobat. *n. 17.* Wiestn. *n. 181.* *Ex quo sequitur*, eum, qui Confessionem, & Communionem, pro lucrando Jubilæo requisitam, differret usque ad reclusionem Portæ Sanctæ, non ampliùs id lucraturum. Wiestner *l. cit.*

145 Quia verò multi, ut maximè valent, justa causa impediente ad Limina BB. Apostolorum non possunt accedere, ut sunt Sanctimoniales, Anachoretæ, Eremitæ, carcerati, infirmi, idcirco Pontifex, ipsorum etiam animabus paternè consulere volens, iisdem, qui seclusis, & cessantibus his impedimentis, eò accessuri essent, concedere solet, ut & ipsi participes fieri possint Indulgentiarum Jubilæi, & cæterarum gratiarum, juxta *Bullam Innoc. X. 12. Febr. 1650.* apud Gobat *à n. 29.* si verè pœnitentes, & confessi pia opera cujusvis statui, & conditioni cum Romæ injunctis proportionata, Romæ à Vicario de Urbe, extra eam à locorum Ordinariis, & Superioribus Regularibus præscribenda peragant.

146 Extra Urbem pro lucrandis Indulgentiis Jubilæi tempus determinari solet ab Ordinariis post annum Jubilæi lapsum, pro quo aliquando dantur duo menses, aliquando tres, aliquando unus, communiter, præsertim in Jubilæis extraordinariis, duæ hebdomadæ, h. e. quatuordecim, imò quindecim dies, ut notant Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 7.* Cottonius *l. 2. contr. 14. à n. 16.* Wiestn. *n. 183.*

147 Quæritur 4. quæ opera requirantur pro lucrandis Indulgentiis Jubilæi? R. in Jubilæi Bullis communiter præscribuntur sex. 1. Visitatio Ecclesiarum præscriptarum: Romæ quidem pro hac visitatione designantur Basilica S. Petri, S. Pauli, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris: & quidem Romani Cives, & incolæ, per longum tempus, v. g. per annum ibi degentes, visitare templa ista debent per dies 30. continuos, vel interpolatos; forenses autem, & peregrini, per breve tempus ibi moraturi, per dies quindecim. Extra Urbem visitandæ sunt Ecclesiæ, vel Capellæ quatuor, vel tres, aut etiam una, si Papæ mens, & tenor Bullæ hoc patiatur: & hæ designantur ab Ordinario, qui si plures, quàm quatuor præscripserit, non sunt visitandæ necessariò omnes, sed tot obire sufficit, quot præscriptæ sunt Romanis; quia locorum Ordinarii conditionibus, pro lucrando Jubilæo à Papa præscriptis, non possunt aliàs addere, Gobat *n. 186.*

Wieſtner *n. 184.* la Croix *tom. 6. n. 1407.*

148 2. Oratio Vocalis, & devota ad intentionem Papæ v. g. pro exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, extirpatione Hæreſum, concordia Principum Chriſtianorum, pro ſalute populi Chriſtiani, pro impetranda Summo Pontifici gratia ad rectè gubernandam Eccleſiam univerſalem. Dian. *p. 1. tr. 11. reſol. 33.* Card. de Lugo *de Pœnit. D. 27. n. 85.* Wieſtner *n. 185.* cum aliis. Si exigatur in Bulla Oratio *per aliquod temporis ſpatium*, ſufficiunt quinquies Pater, & Ave; ſi præſcribatur omnino indeterminatè, brevior, imo minima, unius v. g. Pater, & Ave, ut volunt. Suar. *D. 52. ſect. 8. n. 5.* Gobat *de Jubil. n. 140.* Wieſtner *n. 185. cit.* quamvis meritò ſuadeant longiorem.

149 3. Confeſſio juxta *Extr. citt.* & *Bullas* alias, ibi *ſi fuerint vere pœnitentes, & confeſſi.* Ubi tamen eſt diſtinguendum, an qui lucrari vult Indulgentias, ſibi nullius peccati mortalis ſit conſcius, an verò talis peccati ſibi conſcius ſit. *Si primum*, absque Confeſſione lucrari easdem poterit; quia Eccleſia, cùm præſcribit Confeſſionem, eam exigere ſolet à conſciis peccati mortalis *c. omnis 12. h. tit.* Dian. *p. 3. tr. 4. reſ 126.* Averſ. *q. 10. ſect. 2.* Bellag. *p. 3. ſect. 7. q. 1.* Viva *q. 8. art. 3.* Wieſtner *n. 186.* & probabile ait la Croix *tom. 6. n. 1414.* quamvis addat contrariam tutiorem, & tenendam. *Si ſecundum*, ad lucrandas Indulgentias Jubilæi omnino neceſſaria eſt Confeſſio actualis, ita, ut non ſufficiat Contritio etiam Charitate perfecta. Navar. *not. 18.* Bellarm. *l. 1. de Indulg. c. 13.* Sanctarell. *de Jubil. c. 14. dub. 2.* Wieſtner *n. 186. cit.* & patet ex *Bullis Pontificiis*, ubi particula *Et* pœnitentiam cum Confeſſione conjungit, & utramque copulativè requirit. Sufficit tamen Confeſſio ſemel peracta in finem lucrandi Jubilæi: & hinc ſi ita confeſſus, antequam cætera opera perficiat, incidat iterum in peccatum mortale, Indulgentias Jubilæi lucrari poterit modò prævia Contritione perfecta, cætera opera compleat in Statu gratiæ Dei; quia Bulla Confeſſionem ùt Summum unam præſcribit. Lugo *l. cit. n. 100.* Gobat *n. 137.* Wieſtner *l. cit.*

150 4. Sacra Communio. Hæc neceſſaria eſt etiam ad lucrandas Indulgentias Jubilæi, quamvis in Bullis Jubilæi anni Sancti non exprimatur, ut poſt *Filliuc.* ſupponit Gobat *n. 178.* conf. qui propter periculum vomitûs, vel aliud impedimentum non poteſt Euchariſtiam ſumere, non poteſt Indulgentias iſtas lucrari, niſi hæc ſumptio Euchariſtiæ in aliud opus pium commutetur. Idem dicendum de pueris: & hinc iſti tempore Jubilæi facilius, quàm alio tempore ad S. Communionem admitti poſſunt, & debent. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 4. n. 3.* Wieſtner *n. 187.* Poteſt autem Sacra Communio obiri quavis die intra hebdomadas deſignatas, quamvis conſultum omnino ſit, ut illa præmittatur poſt alia opera jam perfecta, prævia Confeſſione, & in Statu Gratiæ. Wieſtn. *l. cit.*

151 5. Jejunium tribus diebus, videlicet feriâ 4. 6. & Sabbato eodem modo obeundum, quo exigi ſolet à fidelibus obſervatio jejuniorum præſcriptorum ab Eccleſia: unde ſi Jubilæi Indulgentias lucrari velint, etiam pueri, & alii, qui aliàs ab obſervatione Jejuniorum præſcriptorum ab Eccleſia quacunque ex cauſa liberati ſunt, triduanum iſtud jejunium obire debent: quamvis in aliud opus pium ex cauſa notabilis difficultatis, vel detrimenti mutari poſſit. Laym. *c. 8. cit. n. 12.* Lezan. *V. Jubilæum n. 12.* Gob. *n. 210.* Wieſtner *n. 188.* la Croix *n. 1424.*

152 6. Largitio Eleemoſynæ: quo nomine venit præſtatio cujuscunque operis ex ſeptem Miſericordiæ corporalis; cùm enim quodlibet ſit vera Eleemoſyna, & Bullæ Jubilæi Eleemoſynam generatim præſcribant, cujusvis illorum exhibitione conditioni de facienda Eleemoſyna ſatisfiet, ex mente S. Thom. 2. 2. *q. 32. art. 5.* Non refert autem, an Eleemoſynam ſuâ, vel alienâ manu quis eroget, dummodo eam eroget de ſuo, & is, cui danda committitur, revera eandem det; nam ſi famulus e. g. cui mandatum eſt, ut det Eleemoſynam heri nomine, eam non det, herus mandans Indulgentiam non lucratur, etiamſi ipſe in hoc vacet omni culpa. la Croix *tom. 6. n. 1301. reſp. 5. coroll. 13.* Circa quantitatem Eleemoſynæ attendenda ſunt verba Bullæ; nam ſi in hac Eleemoſyna ſimpliciter, vel *pro arbitrio*, aut *prout ſingulis charitas ſuggeſſerit*, præſcripta eſt, ſufficiet dare quamvis etiam minimam, utilem tamen *arg. c. ex parte 18. de Cenſib.* & *reg. in obſcuris 30. in 6.* Gobat *n. 219.* la Croix *n. 1427.* Quodſi verò Bulla exprimat, dandam *pro cujusque facultate*, danda erit pro cujusque conditione: ac proin largior dari debet à Principibus, Magiſtratibus, & divitibus, quàm à pauperibus, ſive iis, qui mendicando, aut propriis manibus laborando victum quærunt. Gobat, Wieſtner *l. citt.*

153 Quæritur 7. an Indulgentias Jubilæi ſæpius lucretur, qui præſcripta opera ſæpius repetit? Affirmant Henriq. *l. 6. de Pœnit. c. 16. n. 3.* & *l. 7. de Indulg. c. 11. pr.* Rodriq. *tom. 2. Summ. q. 184. n. 14.* quia ſunt beneficium Principis, ſine ullo cujusquam præjudicio Indulgentiam plenariam largientis ei, qui præſcripta ope-

operâ quovis menſe, vel hebdomada eſt peracturus : cujusmodi Beneficia cùm largiſſimam interpretationem admittant, ſequitur, toties quemvis Indulgentias lucrari poſſe, quoties præſcripta opera iteraverit.

154 Sed etſi fortè diſcurſus iſte locum habeat in Indulgentiis perpetuis, ſive abſolutè, & ſine temporis determinatione conceſſis, id tamen meritò negatur de Indulgentiis Jubilæi, & aliis Plenarijs temporaneis, ſive cum temporis, præſertim brevis, determinatione conceſſis. Navar. *de Indulg not. 31. n. 36.* Suar. *D. 57. ſect. 1. n. 7.* Sanch. *l. 4. de Vot. c. 54. n. 30.* Bonac. *D. 5. de Pœnit. q. 7. p. 5. §. 2. n. 17. & D. 6. de Indulg. q. 1. p. 5. n. 32.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 8.* Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 3. n. 4.* Wieſtner *n. 190.* Ratio eſt, quia ipſa certi hujusmodi temporis determinatione ſatis indicatur, Indulgentiam ſemel duntaxat concedi, & verba Bullæ ſatis insinuant, determinationem duorum, vel plurium menſium, aut hebdomadarum tantùm ſpectare commodum fidelium, ùt qui uno tempore præſcripta opera commodè non poſſunt peragere, ea implere alio poſſint; utitur enim in Bulla Pontifex verbis disjunctivis *in prima, vel ſequenti hebdomade.*

155 Ex quo cadit Argumentum contrarium. Interim tamen laudabiliter, & providè agunt, qui omnia præſcripta iterant, & menſe, vel hebdomade utrâque peragunt, non ut bis, ſed ut ſemel Indulgentiam certiùs conſequantur.

156 Quæritur 6. an præſcripta opera peragenda ſint omnia in una, eadémque hebdomada? Affirmant Henriq. *l. 7. c. 11. n. 2.* Sanctarell. *l. de Jubil. c. 7. dub. 1.* Lug. *D. 27. n. 205.* Gobat *n. 212.* Wieſtn. *n. 191.* cum aliis. Fundantur, quia conceſſio etiam liberalis Jure non prodeſt, niſi obſervetur forma, & impleatur conditio per eam requiſita *l. ſi cùm filius 2.* & *l. generaliter 3. ff. de Donat.* atqui Jubilæi Indulgentia diſertè concedítur omnia opera peragentibus unâ ex duabus hebdomadis aſſignatis, ut patet ex Bullis communiter edi ſolitis. *Confirmat* ſententiam iſtam conſuetudo, ſeu praxis fidelium, opera præſcripta ſollicitè omnia peragentium in una hebdomada, ita, ut credant, ſe aliter indulgentiam non lucraturos.

157 Verùm etſi ſecurius ſit, & conformius praxi, unâ hebdomadâ opera omnia abſolvere, probabilis tamen etiam eſt ſententia, quę cum Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 10.* Bonac. *de Indulg. D. 6. q. 1. p. 5. n. 34.* Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 3. n. 19.* Bellag. *p. 3. ſect. 3. q. 3.* & aliis apud la Croix *tom. 6. n. 1409.* dicit, quòd ex cauſa rationabili opera poſſint dividi, ita, ut unâ ſeptimanâ Indulgentiam lucrari volens viſitet Eccleſias, alterâ communicet, vel jejunet. De Confeſſione, & Communione certum eſt, illas, factis in hebdomada priori operibus cęteris, peragi poſſe in Dominica immediatè ſequente, ut declaravit *Gregorius XIII.* apud la Croix *n. 1417.* imò ſic conſultum eſt facere, ut ita opus ultimum ſit Communio, quæ cùm vim delendi peccata venialia habeat, hoc modo diſponit certiùs ad Indulgentiam plenariam conſequendam. Quòd verò etiam alia opera ſic dividi in duas hebdomadas poſſint, Palao *l. cit.* colligit ex modo, quo Romani obtinere Jubilęum ſolent, qui mos eſt norma cœteris partibus extra Urbem; nam Romanos Pontifex non adſtringit, ut in eadem hebdomada omnia opera præſtent, ergo idem poſſunt alii.

Quęritur 7. an omnia opera peragi debeant in uno, eodémque loco? 158 R. quamvis ſecurius agat, qui in loco domicilii ſui, vel alio publicati Jubilęi omnia opera exequitur, verius tamen eſt, etiam illum Indulgentias lucrari, qui operum partem e. g. viſitationem Eccleſiarum in tali loco peragit, reliqua implet in alio, ad quem negotiorum causâ ſe contulit. Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 11.* Palao §. *3. cit. n. 12.* Lugo *D. 27. n. 124.* Gob. *n. 89.* Wieſt. *n. 192.* Ratio eſt, quia per ipſam præſentiam in loco publicati Jubilęi quilibet in eo exiſtens, & ad eum veniens acquirit jus percipiendi Indulgentiam plenariam, hoc ipſo, quòd omnibus, qui Jubilęi durantis tempore præſentes ſunt, concedatur: quo jure ſemel quæſito non privatur per egreſſum, ſed id ſecùm fert *arg. reg. privilegium 7. in 6.* dummodo tamen in loco Jubilęi publicati viſitet Eccleſias deſignatas, vel ſi ad eas accedere nequeat, & in loco, ad quem tranſiit, nullę ſint deſignatæ, à Confeſſario petat commutationem Viſitationis in aliud pium opus.

Quæritur 8. an is, qui in prima hebdomada omnia opera præſcripta rite peregit, ſi in ſecunda commiſit peccatum reſervatum, aut Votum aliquod edidit, in hac ſecunda hebdomada ab illo abſolvi, & in hoc diſpenſari poſſit? Negant Suar. *D. 57. ſect. 1. n. 7.* Sanch. *l. 4. de Vot. c. 64. n. 28.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 8.* Bonac. *D. 5. q. 7. p. 5. §. 2. n. 17. & D. 6. de Indulg. q. 1. p. 5. n. 32.* ex ratione, quia reſpectu talis Jubilæum finitum, & Indulgentia obtenta jam eſt; conſ. reſpectu ejusdem etiam ceſſat facultas abſolvendi à peccatis, & diſpenſandi in Votis, occaſione Jubilæi indulta. 159

Sed reſpondendum eſt affirmativè. 160 Ita tenent omnes, qui putant poſſe aliquem bis, vel pluries lucrari easdem Indulgentias, & conſentiunt ex cœteris Pa-

lao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 3. n. 6.* Vallenſ. *hic §. 26. n. 4.* Wieſtner *hic n. 193.* la Croix *tom. 6. n. 1450.* Rationem dant, quia licèt facultas hæc occaſione Indulgentiæ conceſſa ſit, non tamen reſtricta ad illam eſt, imò non erat expediens ad hanc eam reſtringi, quòd Indulgentiæ conſecutio ſoli DEO ſit nota, ac propterea ob incertitudinem iſtam præſcripta opera in ſecunda hebdomada rectè repetantur.

161 Imò Henriq. *l. 7. de Indulg. c. 11. n. 4.* Sà *V. Indulgentia n. 14.* Sayr. *Clav. Reg. l. 6. c. 12. n. 17.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 15. n. 17. & l. 4. de Vot. c. 54. n. 19.* Palao *§. 3. cit. n. 9.* Gobat *à n. 263. & 308.* Wieſtn. *n. 194.* docent, eum, qui tempore Jubilæi peregit præſcripta opera animo lucrandi Indulgentias, poſſe abſolvi à reſervatis, & diſpenſationem à Votis à Confeſſario à ſe electo impetrare, etiam poſt tempus Jubilæi exactum; quia determinatio temporis tantùm ſtatuta eſt executioni operum præſcriptorum, non verò etiam gratiarum perceptioni, utpote ad quas conſequendas exequenti opera præſcripta intra tempus præfixum ſine temporis mentione indulta eſt.

162 Quæritur 9. an à reſervatis abſolvi, & in Votis diſpenſari poſſit ille, qui opera præſcripta in Jubilæo nondum peregit? R. ſi habeat animum lucrandi Indulgentias Jubilæi, poſſe. Suar. *tom. 2. de Relig. l. 6. de Vot. c. 16. n. 6.* Sanch. *l. 4. de Vot. c. 54. n. 42.* Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 3. n. 10.* éſtque hoc teſte certa ſententia. *Difficultas* eſt, ſi ita abſolutus, vel diſpenſatus poſtea intentionem mutet, & Indulgentias non curet lucrari. In quo iterum certum eſt, non redire poſſe peccata ſemel remiſſa; quia in peccatis conditionatæ remiſſioni locus non eſt. Palao. *l. cit. n. 11.*

163 *Dubium* eſt de eo, qui habet peccatum reſervatum nondum ſubjectum clavibus, quia dum tempore Jubilæi confeſſus eſt, ejusdem recordatus non eſt? Sed etiam hunc, transacto Jubilæo, à Sacerdote, qui aliàs Jurisdictionem abſolvendi eum à mortalibus habet, abſolvi poſſe, quin teneatur ſe Superiori ſiſtere, modò Confeſſionem fecerit animo lucrandi Jubilæum, docet Sanch. *c. 54. cit. n. 45.* & Palao *l. cit. n. 11.* quia Sacerdos virtute Jubilæi abſolvens, intendit abſolvere, quantùm poteſt, poteſt autem quoad peccata invincibiliter ignorata abſolvere ab illorum reſervatione; hæc enim abſolutio non pendet ex abſolutione directa quoad culpam. ergo &c. Aliud eſt, ſi habens peccatum reſervatum invincibiliter ignoratum, Confeſſionem tempore Jubilæi non feciſſet; nam talis, ſi Jubilæum neglexit acquirere, non acquiſivit jus eligendi Confeſſarium, qui ipſum abſolvat ab hoc reſervato, ut bene advertit Palao *l. cit.* Rationem dat, quia reſervatio non tollitur ipſo facto per Jubilæum, ſed per abſolutionem Sacramentalem.

Similiter ſiquis tempore Jubilæi ab- 164
ſolutus eſt à Cenſuris, per hoc non reincidit in illas, quòd deinde mutata intentione negligat acquirere Jubilæum; nam licèt redire Cenſuræ poſſint, quando earum abſolutio conceſſa eſt ad reincidentiam, quia tamen is modus concedendi abſolutionem in Bullis Jubilæi non exprimitur, nullum eſt fundamentum aſſerendi talem reincidentiam. Navar. *Miſcell. de Orat. 93. n. 2.* Henriq. *l. 6. de Pœnit. c. 19. n. 6. & l. 7. de Indulg. c. 11. n. 4.* Suar. *de Pœnit. D. 11. ſect. 4. n. 5.* Sanch. *l. 4. de Vot. c. 54. n. 44.* Palao *§. 3. cit. n. 11.*

Idem ferè dicendum de eo, cui 165
Confeſſarius tempore Jubilæi Vota ſua commutavit; nam horum obligatio non reviviſcit, etiamſi poſtmodum, mutata intentione pœnitens Indulgentias Jubilæi non curet conſequi. Henriq. *l. cit.* Sà *V. abſolutio n. 19.* Suar. *l. 6. de Vot. c. 16. n. 9.* Sanch. *l. cit. n. 49. & 50.* Palao *n. 11. cit. ¥. quoad Votorum commutationem.* Ratio eſt, quia eſto, potuerit Confeſſarius vota commutare ea conditione, ut commutatio vim obtineat, peractis operibus pro Jubilæo præſcriptis, & non aliter; at ex vi privilegii non cogitur hoc modo commutationem facere, imò nec expedit, cenſebitur ergo abſolutè eam feciſſe, & ſine conditione, ut reviviſcant, ſi opera illa non fuerint peracta.

Quæritur 10. quænam Indulgen- 166
tiæ ſuſpendantur tempore Jubilæi? R. tempore Jubilæi ſuſpenduntur tantùm Indulgentiæ Plenariæ; non autem Partiales, prout liquet ex *Extrav. quemadmodum 4. int. comm. b. tit.* & aliis Veteribus Bullis. *Neque obſtat*, quòd in Bullis recentioribus dicantur ſuſpendi *Indulgentiæ omnes, & ſingulæ*; quia intelligendæ ſunt ad ſenſum veterum Bullarum, ex generali principio, juxta quod, quidquid in poſteriori Lege non fuit expreſſum ſpecialiter, id veterum Legum, Conſtitutionúmque Regulis relictum intelligitur *l. præcipimus 32. fin.* C. *de Appellat.* Sanctarell. *c. 5. dub. 7.* Lezan. *V. Jubilæum n. 5.* Wieſtner *hic n. 195.* la Croix *tom. 6. n. 1391. Reſp. 2. & n. 1401.*

Ex Plenariis excipiuntur, & non ſunt 167
ſuſpenſæ. 1. Indulgentiæ conceſſæ Eccleſiis, & Baſilicis Urbis Romanæ, etiam extra illius mœnia ſitis; quia in his ceſſat finis intentus per Suſpenſionem, ne ſcilicet fideles à peregrinatione Romana retrahantur, ſi Indulgentias Romæ propoſitas conſequi poſſent domi: ubi notandum, hoc non procedere de Eccleſiis, extra Romam

mam existentibus, & habentibus communicationem Indulgentiarum, indultarum uni, vel pluribus Ecclesiis Romanis, nam respectu istarum finis Suspensionis manet Zerol. *prax. Episc. V. annus Sanctus n. 3.* Gobat *n. 41.* Wiestner *n. 195.*

168 2. Indulgentiæ S. Domus Lauretanæ. la Croix *tom. 6. n. 1401.* & secundùm *Gobat* B. V. Einsidlensis, Item Compostellæ, ut habet Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 1. n. 8,* & Portiunculæ assisij. Suspenditur tamen Indulgentia Portiunculæ alibi per Orbem. Viva *de Jubil. q. 4. art. 1.* la Croix *l. cit.*

169 3. Indulgentię concessę per Bullam Cruciatę; quia istius privilegia dantur per modum Contractûs, cùm pro iis pendi debeant duo Regales, privilegia autem ita concessa revocata non intelliguntur per clausulam generalem, nec revocari valent, nisi facta aliqua compensatione Lezan. *V. Jubilæum n. 5.* Palao §. *1. cit. n. 10.* Dian. *p. 1. tr. 11. res. 97.* Wiestner *n. 195. v. secundò* la Croix *l. cit.*

170 4. Indulgentię concessę pro defunctis, saltem quę extra Jubileum applicari nequeunt vivis. An verò etiam illę, quę vivis applicari possunt, uti sunt, quę proponuntur in Communione Generali Menstrua in Templis Societatis JESU, suspensę intelligantur, dubitatum est sępius. Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 3.* Palao §. *1. cit. n. 7.* Gobat *n. 47.* putârunt eas non suspendi; sed contrarium patuit in Jubileo, quod egimus initio præsentis sęculi, ubi etiam istas suspensas declaravit Innocentius XII.

171 5. Concessæ in articulo mortis; nam licèt aliqui dicant, etiam has suspendi, verius tamen negant Gobat *n. 44.* Wiest. *n. 195.* la Croix *n. 1401.* tum propter declarationem duorum Summorum Pontt. tum verò, quòd Suspensionis ratio, ac finis in moribundis omnino cesset. Et procedit hoc non tantùm de articulo mortis vero, sed etiam de probabili, & prudenter præsumpto, licèt mors non consequatur. la Croix *l. cit.*

172 Quæritur 11. quęnam alię facultates revocentur tempore Jubilei? R. revocantur, seu suspenduntur omnes facultates, & indulta quęcunque, quę causâ indulgentię plenarię quærendę concessa sunt: qualia reputantur illa tantùm quorum mentio fit in *Extr. Quemadmodum 4. int. comm. h. tit.* scilicet facultas eligendi Confessarium cum potestate absolvendi à reservatis, censuris, & alijs pœnis commutandi Vota, & in eis dispensandi, remittendi, seu componendi malè ablata; hęc enim frequenter concedi solent gratiâ consequendi Jubilæum, & ut fideles ad Indulgentias illius lucrandas magis invitentur. Palao *tr. 24. D. un. p. 12. §. 1. n. 9.*

Contrà non censentur suspensæ fa- 173
cultates eligendi Confessarium absque qualitate absolvendi à reservatis, vel etiam cum hac qualitate, si illa non à Pontifice, sed ab Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, ordinaria potestate utentibus concessa sit; aut si talis facultas absolvendi à reservatis, commutandi, & dispensandi in Votis concessa quidem sit à Pontifice, non tamen intuitu Indulgentiarum consequendarum, qualem habent Regulares, & alii per privilegia Apostolica; nam his facultatibus etiam tempore Anni Sancti Romæ durantis uti possunt, ùt ex communi DD. sententia docent Lugo *D. 20. n. 145* Palao *l. cit.* Wiestner *n. 196.* la Croix *n. 1403.*

Quæritur 12. quando incipiat, & 174
quamdiu duret hæc Indulgentiarum, & facultatum suspensio? R. inchoatur ab ipsa apertione Portæ Sanctæ, & durat usque ad ejus reclusionem, quarum illa initio, ista in fine Vesperarum primarum Vigiliæ Nativitatis Domini fit: qua proinde reclusione facta, Indulgentiæ, quæ erant suspensæ, omnes statim, & sine ulla Papæ innovatione, vel confirmatione reviviscunt, ut contrà Navar. *notab. 28. à n. 27.* & *notab. 33. fin.* Zerol. *V. Annus Sanctus §. ad 9.* Rodriq. *in Explic. Cruciat. §. 10. dub. 6.* melius, & verius docent Laym. *l. 5. tr. 7. c. 8. n. 2.* Palao *tr. 24. D un. p. 12. §. 1. n. 13.* Gobat *de Jubil. n. 50. & seqq.* König *hic n. 24.* Wiestner *ibid. n. 197.* la Croix *n. 1404.* & monstrat praxis, usúsque receptus publicandi Indulgentias finito anno absque ulla Pontificis renovatione, quod nullatenus facerent viri alioquin Religiosi, & docti, si crederent suspensionem perseverare.

Quæritur 13. quid consulendum illi, 175
qui Jubilæo ferè transacto, ex mera ignorantia opera facienda omisit, nec tantum ampliùs temporis habet, ut Jubilæo durante ea peragat omnia? R. is posset confiteri ultimo die, & communicare; reliqua verò opera, quæ durante Jubilæo non potest perficere, posset ipsi Confessarius prorogare in sequentem septimanam post Jubilæum transactum; quia talis haberetur pro impedito. Similiter siquis opera omnia explêsset præter Communionem, & ultimo die, quo ad S. Synaxin accedere cogitabat, inadvertenter aliquid cibi assumeret, posset illi Communio commutari in aliud opus pium, vel differri in proximum diem, & sic ille lucrari Indulgentias.

TITU-

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

SUpersunt Pœnæ Medicinales fori Ecclesiastici externi, sive Censuræ: de quibus antequam agamus in specie, aliqua de illis sunt præmittenda in genere.

§. I.

De Censuris in genere.

SUMMARIUM.

1. *Censuræ Definitio.*
2. &c. *Explicatio Definitionis.*
6. &c. *Divisio.*
12. *Potestas ferendi Censuras est penes Ecclesiam.*
13. *Quinam censurare possint potestate Ordinaria?*
14. *Qui delegata?*
15. &c. *Utrum potestas ipsa delegari etiam fœminæ possit?*
18. &c. *An competat Parocho?*
21. *Utrum acquiri consuetudine possit?*
22. &c. *Conditiones ad ferendam Censuram requisitæ &c.*
27. &c. *An & qualis monitio præcedere debeat?*
30. &c. *Quando speciali monitione non sit opus?*
35. &c. *In quos Censura ferri possit, vel non possit?*
41. &c. *An etiam in impuberes?*
44. &c. *Vel in integram communitatem?*
47. &c. *Utrum Episcopus Censuram ferre possit in peregrinum?*
49. &c. *Vel in subditum extra Diœcesim ipsius commorantem?*
51. &c. *An possit aliquis affici duplici Censura?*
56. &c. *An etiam ob culpam venialem?*
61. &c. *Aut ob actum merè internum?*
66. &c. *Vel ob peccatum merè præteritum?*
69. &c. *An Censura imposita contra facientes comprehendat etiam mandantes, & consulentes?*
72. &c. *An casu, quo expresè contra mandantes, consulentes &c. lata est, eam incurrat etiam, qui mandatum, vel consilium revocavit?*
75. &c. *Quæ causæ excusent ab incurrenda Censura?*
85. &c. *Quis absolvere possit à Censura?*
98. &c. *Quâ formâ, ritu, & conditionibus absolutio Censuræ sit concedenda?*
103. &c. *Quot modis contingat absolutionem à Censura fieri?*
107. &c. *An Censura semel incursa non possit aliâ viâ tolli, quàm absolutione?*

1 QUæritur 1. quid sit *Censura*? 2. *Censura* à *censendo* dicta, in Rep. Rom. Veteri denotabat Officium, & Dignitatem Censorum, quæ morum correctionem, & coërcitionem, spectabat, juxta illud Plinii *l. 14 c. 4. Catonum ille primus triumpho, & Censurâ super cætera insignis.* Aliquando significabat ipsam correctionem, & Decreta illam spectantia, juxta illud Juvenalis: *Vexat Censura Columbas. Satyr. 2.* Hodie dupliciter accipitur: primò *latiùs*, in quo sensu quamcunque pœnam, imò quodcunque judicium, sive sententiam Ecclesiæ correctoriam, quin etiam approbationem significat. Secundò *strictè*, & *propriè*: & tunc Censuræ nomine tantùm veniunt pœnæ Ecclesiæ spirituales, & medicinales. Definitur in isto sensu *Censura*, quòd sit *Pœna spiritualis, seu Ecclesiastica, qua potestas Ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes, & contumaces bonorum quorundam Spiritualium usu privat ad eorum correctionem.* Ita quod sensum plerique DD. & in his Suar. *D. 1. de Censur. sect. 1. n. 5.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 1. n. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 2.* Engl *n. 1.* Pirhing *n. 1.* Kön g *n. 1. & 2.* Wiestn. *n. 2.* Reffenst. *n. 2. & 3.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 1.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 83.*

Dicitur 1. *Pœna*; quia est privatio 2
pœnalis bonorum spiritualium, quorum, seclusâ Censurâ, fidelis particeps erat. Sunt autem Bona, in quibus fideles communicant inter se, triplicis generis. Et quædam quidem *Interna* sunt, ut Fides, Charitas, Gratia, per quam ipsi inter se, & cum Christo mysticè copulantur juxta Apostolum *1. Corinth. 12. v. 11.* & *Ephes. 4. v. 2. &c.* Alia *merè externa*, sive *Civilia*, & *Politica*, quæ in convictu colloquiis, & salutationibus, in contractibus, commerciis, Judiciis &c. consistunt. Alia *Mixta*, quæ consistunt in actionibus, & ceremoniis exterioribus interiorem, & spiritualem fructum ex sua institutione operantibus, ut sunt communia Ecclesiæ Sacramenta,

menta, Sacrificia, & Officia Divina, Ecclesiæ Suffragia, Satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro per Indulgentias fidelibus justis applicantur. Covar. *in c. alma pr. n. 2.* Suar. *l. 1. cit. n. 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. n. 2.* Pirhing *n. 4.* Wiest. *n. 30.* Reiffenst. *n. 54. &c.*

3 Dicitur 2. *Spiritualis, & Ecclesiastica*: Hinc solùm à potestate Ecclesiastica provenire Censura potest, & nullo modo à Laicali *can. cùm ad verum 6. dist. 96. c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ 10. de Constit. c. sollicitæ 6. de major.* *Excipitur*, nisi potestatem censurandi Summus Pontifex deleget Laico; nam ex delegatione Pontificis communicari Laico potestas hæc potest, sicut delegatione ejusdem Pontificis cognoscere potest de causis Spiritualibus: ita omnium sententia teste Palao *D. 1. cit. p. 4. n. 3.*

4 Dicitur 3 *Bonorum quorundam Spiritualium*; nam quamvis Censura etiam bonis temporalibus quandoque privet, ut patet in Excommunicatione, quæ privat Politico, & Civili Contractu; & in Suspensione à Beneficio, quæ privat Beneficiorum fructibus: primariò tamen semper Censura privat actionibus Spiritualibus, secundariò verò solùm, & indirectè usu corporalium, & temporalium. Avil. *p. 1. de Censur. dub. 4. n. 2.* Suar. *D. 1. sect. 1. n. 5.* Palao *D. 1. cit. p. 1. n. 2.* Laym. *tr. 5. cit. p. 1. c. 1. n. 1.* Vallens. *§. 1. n. 2.* Pirhing *n. 1.* Wiestn. *n. 2.* la Croix *l. cit.* Magnit. P. Schmier *c. 3. cit. n. 84.* Porro ex bonis cæteris, quæ *n. 2.* retuli, solùm Censura fidelem privat Bonis ultimo loco positis, nempe *Mixtis*; nam donis Gratiæ, & Virtutibus infusis, cùm Ecclesiæ Jurisdictioni non subdantur, neminem privat Ecclesia. Laym. *l. cit. n. 2.* Engl *n. 16.* König *n. 20.* Schmier *n. 92.* cum *citt.*

5 Dixi 4. *ad eorum correctionem*: hinc fit, ut emendatione posita, statim Censura sit auferenda, ut cum Suar. Coninck, Avila, & aliis notat Palao *n. 2 cit.* Neque tamen hinc sequitur, in neminem ferri eandem posse, nisi in eum, qui reputatur corrigendus; quia esto, finis eiusdem sit principaliter emendare delicta, simul tamen per eam Ecclesia intendit punire: unde cessante uno fine correctionis, non cessat hoc ipso finis punitionis. Coninck *D. 13. dub. 1. n. 11.*

6 Quæritur 2. quotuplex sit Censura? R. ex omnium sententia Censura triplex est, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Constat ex *c. quærenti 20. de V. S. c. cùm Medicinalis 1. c. statutum 13. & c. is cui 20. h. tit. in 6.* His Sot. *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. pr.* addit Cessationem à Divinis, & Irregularitatem, quæ ex Delicto oritur; alii insuper adjungunt Depositionem, & Degradationem. *Sed dicendum*, tantùm esse tres species Censuræ, quas enarravi. Ita Navar. *Man c. 27. n. 1.* Ugolin. *de Censur. tab. 1. c. 26.* Suar. *D. 1. sect. 3. n. 1.* Avil. *p. 1. de Censur. dub. 5.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 13. n. 2.* Coninck *D. 13. dub. 1. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 2. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 1. n. 4.* Vallens. *§. 1. hic n. 3.* Engl *n. 26.* Wiestner *n. 28.* Reiffenstuel *n. 44.* & colligitur manifestè ex *c. quærenti cit.* ubi Pontifex interrogatus de Censuris, tres tantùm species enumeravit: quod manifestè indicat, alias non esse, cùm illa responsio, utpote in materia doctrinali, æquivaleat universali.

Ratio est, quia nulli alteri speciei, præ- 7
ter tres assignatas, Definitio Censuræ convenit. Nam imprimis *Cessatio à Divinis* non est prohibitio usûs Divinorum, ut Censuræ, sed potiùs illorum omissio: deinde non fertur in contumaciam, ut Censuræ, sed in signum tristitiæ, & mœroris Ecclesiæ, ex injuria gravissima ibi illata concepti: item transgressio Censuræ inducit Irregularitatem; hanc non inducit celebratio Divinorum contra Cessationem indictam: denique Censura sæpe fertur à Jure; Cessatio à Divinis semper ab homine. Similiter à Censura essentialiter differunt *Depositio*, *Degradatio*, & *Irregularitas*; nam 1. Censuræ, ut dictum est, sunt Pœnæ Medicinales, & delinquente emendato, atque à contumacia recedente, auferri debent; contrà Depositio, Degradatio, & Irregularitas, si ex delicto descendat, sunt pœnæ Vindicativæ, & ex se perpetuæ. 2. Depositio, Degradatio, Irregularitas dispensatione tolluntur; Censuræ absolutione. 3. denique Irregularitas sæpe ex defectu descendit, & propterea pœna omnino non est, cùm tamen Censura semper sit pœna.

Porro Censura sic explicata, & in 8
species suas divisa subdividitur diversimodè. Et 1. in validam, justam, & injustam. *Valida*, & *Justa* est, quæ nullo laborat defectu. *Injusta valida*, quæ laborat defectu aliquo accidentali, e. g. si ad eam procederet Judex ex odio, aut in propria causa, & verbotenus, nec præmissa Canonica monitione, ubi ista præmitti debet. *Censura injusta*, & *invalida* verò, quæ substantialem defectum habet, videlicet si eam inferens non habeat potestatem sufficientem, si ferat ob causam non legitimam, si non servato ordine judiciario &c.

2. Alia dicitur à Jure, alia ab homine 9
inflicta. *A Jure* quidem inflicta dicitur illa, quæ per SS. Canones, Constitutiones, & Statuta Ecclesiastica fertur; ab homine autem, quæ à Judice, vel Prælato fertur per modum mandati, vel Sententiæ Judicialis. Differunt à se invicem dupliciter; nam pri-

primò Censura, lata à Jure authore, qui eam tulit, mortuo, perseverat; quia nomine DEI, seu Communitatis nunquam deficientis fertur: lata autem ab homine cùm ab hujus Jurisdictione, & authoritate pendeat, & hæc cessent eo mortuo, vel ab officio remoto, etiam ipsa cessat: quod intellige, antequam incurratur, ad effectum, ut non ampliùs incurratur; nam postquam incursa est, perseverat. Laym. *c. 2. cit. n. 2.* Palao *p. 2. n. 2.* Wiestner *hic n. 24. Alterum* discrimen est, quia Censura lata à Jure nunquam ferri potest pro peccatis præteritis, sed semper pro futuris; Censura verò lata ab homine non solùm pro futuris, sed etiam pro præteritis in eorum satisfactionem, & emendationem fertur. Palao *l. cit.*

10 3. Alia dicitur ferendæ, alia latæ Sententiæ. *Ferendæ Sententiæ* Censura est, quæ licèt Jure statuta sit, à delinquente tamen non facto ipso statim incurritur, sed per Sententiam à Judice est infligenda: cujusmodi Censura ferè denotatur per verba habentia significationem futuri temporis v. g. *Excommunicabitur, suspendetur;* vel *excommunicetur, prohibemus sub Excommunicatione, sub pœna Excommunicationis, volumus excommunicari &c. Latæ sententiæ* autem, quam delinquens ipso facto, sive criminis perpetratione sine alia Sententia condemnatoria incurrit: & hinc *c. Pastoralis 53. §. verùm de Appell.* dicitur secum trahere executionem. Ista denotatur per verba habentia significationem præteriti, vel etiam præsentis temporis, v. g. *Excommunicamus, Anathematizamus, Suspendimus, Qui hoc fecerit, se noverit excommunicatum, Excommunicationi subjaceat*, vel *in eam incidat, prohibemus sub Excommunicatione ipso Jure, vel facto, aut sine alia Sententia incurrenda &c.* Sylv. *V. Excommunicatio 1. n. 22.* Castro *de Leg. Pœnal. l. 2. c. 1.* Suar. *D. 3 de Censur. sect. 3. à n. 1.* Laym. *c. 2. cit. n. 3.* Vallens. *hic §. 2. n. 4.* Engl *n. 18.* König *n. 5.* Wiestn. *n. 25.* Reiffenstuel *n. 79. & seqq.* la Croix *l. 7. n. 9.*

11 *Dubitatur*, qualis censeatur esse Censura, quando dubitatur, an ferendæ, aut latæ sententiæ sit? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. fiquem 59. b. tit.* ubi Gregorius IX. declarat, sub nomine Excommunicationis simpliciter prolato, nisi contextus aliud suadeat, semper intelligi Majorem, nunquam verò Minorem. igitur à pari sub eodem nomine simpliciter prolato in dubio veniet latæ, non ferendæ sententiæ Censura. *Sed dicendum*, in dubio censeri decretam esse Censuram ferendæ, non latæ sententiæ. Sylv. *V. cit. n. 21.* Suar. *sect. 3. cit. n. 6.* Avil. *p. 2. D. un. dub. 2.* Laym. *c. 2. n. 3.* König *hic n. 5.* Wiestner *ibid. n. 26.* & hoc teste communis aliorum sententia. *Ratio est*, quia in dubiis, & in pœnis præsertim benignior interpretatio facienda est juxta *Reg. 155. § fin. ff.* & *Reg. 49. in 6. Ad Argumentum contrarium* dico, Constitutionem *c. fiquem cit.* esse correctoriam Juris antiqui, juxta quod sub nomine Excommunicationis simpliciter prolato aliquando intellecta fuit Excommunicatio minor, teste Palao *tr. 29. D. 2. p. 2. n. 2.* igitur extensionem non admittit.

12 Quæritur 3. penes quem sit potestas ferendi Censuras? *R.* datur in Ecclesia potestas ferendi Censuras. Ita Catholici omnes, constátque ex *Concil. Constant. sess. 8. error. 30.* & *sess. 15. error. 19.* Confirmat hoc ipsum usus, & praxis totius Ecclesiæ. Colligitur ex verbis *Matth. 16.* & *18.* ubi generaliter Christus Petro, ejúsque Successoribus concedit potestatem ligandi, atque solvendi. ligat autem Ecclesia per Censuras. *Ratio est*, quia in omni bene constituta Rep. debet esse potestas quosdam sibi noxios excludendi à suo corpore, alios malè administrantes suspendendi à quibusdam Officiis, aliis interdicendi certos actus, & functiones. ergo id etiam debet esse in Ecclesia: hæc autem est ipsa potestas ferendi Censuras, nempe Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti. ergo &c. Usus potestate ista est *S. Petrus* adversùs Simonem Magum per verba, *Non est tibi pars, vel sors in sermone.* Act. *8. v. 21.* & *S. Paulus*, dum *1. Corinth. 5. v. 5.* hominem incestuosum, & *Timoth. 1. v. 20.* Hymenæum, & Alexandrum, circa Fidem naufragantes, Sathanæ tradidit; nam hac traditione eos excommunicatos fuisse cum *S. Chrysostomo*, & *Theophylacto* observat *Cornelius.* Potéstque potestas ista esse vel ordinaria, vel delegata. Hinc

13 Dub. 1. penes quos sit potestas ordinaria ferendi Censuras? *R.* potestate ordinaria ferre Censuras potest. 1. Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, ut fatentur omnes Catholici, & patet ex *Extr. unam Sanctam 1. de major. int. comm.* 2. Episcopus, & Archiepiscopus in sua Diœcesi quoad sibi subditos *c. pernicioſa 1. c. conquerente 16. de Offic. Ordin. c. cùm Episcopus 7. eod. in 6.* & *c. à nobis 21. h. tit.* 3. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli *c. his, quæ 11. de Major.* & *ibi* DD. communiter. 4. Legati à Latere in Provincia suæ Legationis *c. novit 7. de Offic. Legat.* & *c. Legatos 2. eod. in 6.* 5. Capitulum Sede Episcopali vacante, hujúsque, vel Episcopi, aut Archiepiscopi Vicarius Generalis *arg. c. un. de major. in 6. c. venerabilibus 7. h. tit. in 6. c. non putamus 2. de Consuet. in 6.* ac Trid. *sess. 24. c. 16. de Reform.* 6. Prælati, & Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, &

& alii obtinentes Jurisdictionem in foro Ecclesiæ externo *c. quærenti 20. de V.S.* & *c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* 7. Abbates, Priores, & similes Præpositi, ac Superiores Regularium, non solùm Generales, & Provinciales sed etiam Locales, ex Privilegio Pontificis Officio, & muneri eorum perpetuò annexo *c. cùm in Ecclesiis 10. de Major. c. fin. de Stat. Monach.* & *c. sicut tuis 33.* junct. Gloss. *V. Anathematis de Simon.* 8. Concilia Generalia, & Provincialia in sua Provincia, aut Natione, uti & Congregationes, & Capitula, Generalia, ac Provincialia quarundam Religionum. Navar. *Man. c. 27. n. 5.* Suar. *D. 2. de Censur. sect. 2. per totam*, Palao *tr. 29. D. 1. p. 4. n. 2.* Engl *hic n. 13.* König *n. 8.* Pirhing *n. 24.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 7.* la Croix *tom. 8. lib. 7. n. 17.*

14 Dub. 2. quinam Censuram ferre possint ex potestate Delegata? R. potestate Delegata Censuras ferre possunt omnes illi, quibus prædicti *n. præc.* potestatem Ordinariam habentes illud commiserint; quia Potestas Ordinaria, hoc ipso, quòd Ordinaria est, delegari potest, ut constat ex *tot. tit. de Offic. Ord.* & *c. cùm Episcopus 7. eod. in 6.* Ut verò delegari alicui potestas hæc possit, debet is, cui hæc mandatur Jurisdictio, capax illius existere. Et quidem 1. debet habere usum rationis, cùm illam accipit; aliàs nulla erit acceptatio, quæ ad accipiendam Jurisdictionem requiritur ex communi sententia. 2. debet esse baptizatus; quia non potest exercere munera Ecclesiæ, qui intra illam nondum existit. 3. debet esse insignis saltem primâ tonsurâ; nam Laicus hujus Jurisdictionis est incapax, quæ proin ab alio, quàm Summo Pont. delegari eidem non potest, ut dictum est *n. 3. 4.* non debet esse conjugatus; nam etsi iste, si Minores Ordines habeat, habitum deferat, & alicui Ecclesiæ deserviat, privilegio Canonis, & Fori gaudeat, Ecclesiasticæ tamen Jurisdictionis existit incapax, ut proin ab alio, quàm Pont. de plenitudine potestatis committi illa ipsi non possit *c. un. de Cler. conjug. in 6.* nisi separatus ab uxore vivat, edito utrinque voto Castitatis. la Croix *tom. 8. l. 7. n. 26.*

15 Dub. 3. utrum potestas ferendi Censuras saltem de plenitudine potestatis Pontificiæ possit delegari fœminæ. Negat Engl *hic n. 15.* cum *Avila, Coninck &c.* quia putant fœminas hujus Jurisdictionis esse incapaces Jure Divino, quòd Christus claves Ecclesiæ nulli fœminæ, sed soli Petro, Apostolis, & eorum Successoribus concesserit. *Conf. 1.* ex illo Apostoli *1. Corinth. 14. v. 34.* ubi prohibetur mulieribus, ne in Ecclesia doceant; quia id indecens est. ergo à fortiori indecens erit eas uti Jurisdictione Ecclesiastica, & superiores se Clericis ostendere. *Conf. 2.* si fœminæ Jure Divino non essent incapaces hujus potestatis, aliquando illis à Pontifice fuisset commissa. nunquam autem commissa legitur, ergo &c.

16 Sed probabiliùs fœmina potestatis istius solùm incapax est Jure positivo humano: cons. Pontifex ex plenitudine Jurisdictionis suæ Papalis posset ei potestatem concedere ferendi Censuras. Sayr. *l. 1. de Censur. c. 5.* Suar. *D. 2. de Censur. sect. 3. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 4. n. 5.* Pirhing *hic n. 24.* la Croix *tom. 8. libr. 7. n. 19.* Ratio est, quia potestas hæc ferendi Censuras, etsi Spiritualis sit, non tamen est potestas Ordinis, sed Jurisdictionis tantùm: & hinc, ut *n. 3.* dictum, absolutè etiam Laico conferri potest. atqui fœmina non videtur Jure Divino esse incapax Jurisdictionis Spiritualis; quia ex privilegio Pontificis potest conferre Beneficia Clericis, in Ecclesia illos instituere, ac tandem præcepta ponere, ut decidit *c. dilecta 12. de major.* quæ omnia sunt munera Jurisdictionis Spiritualis.

17 Atque hinc patet ad argumentum oppositum; fateor enim claves Ecclesiæ, prout potestatem Ordinis, & Jurisdictionis continent, non posse communicari fœminis, imò nec clavem Jurisdictionis per se, & directè, bene tamen indirectè, & per accidens, in uno, vel alio casu. *Neque obstat*, quòd fœminæ non sint successores Apostolorum; nam etiam Laicus, dum extra Clerum existit, Successor Apostolorum non est, & tamen ipsi à Pontifice committi potestas ferendi Censuras pro una, vel altera vice potest. *Ad Conf. 1.* concedo non posse fœminæ ob indecentiam per se, & communiter committi potestatem ferendi Censuras, sicut nec potestatem docendi: at sicut urgente aliqua gravi causa potest Pontifex fœminæ aliàs eruditæ permittere docere populum, ita potest eidem permittere, ut ferat Censuras. *Ad Conf. 2.* eo argumento solùm probatur, rarò, vel nunquam posse evenire casum, qui Pontificis concessionem honestet, ideóque Pontifices ab ea concessione abstinent.

18 Dub. 4. utrum Potestas censuradi competat Parocho? *Affirmativa* videtur supponi *can. nemo 11. caus. 2. q. 1.* ubi asseritur cognitio causæ præmittenda Excommunicationi ab Episcopis, & Presbyteris. *Conf.* ex *c. si Sacerdos 2. de Offic. Ordin.* ubi potestas excommunicandi clarè tribuitur Sacerdoti; & *c. cùm ab Ecclesiarum 3. eod.* ubi sententia Excommunicationis, & Interdicti, à Plebano S. Pancratii lata in suos subditos habetur pro rata, & jubetur inviolabiliter observari.

19 Sed dicendum, potestatem censurandi Parocho non competere. Navar. *Man. c. 27. n. 5.* Suar. *D. 2. de Censur. sect. 2. n. 8.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 4. n. 2.* Vallens. *hic* §. *5. n. 4.* König *n. 8.* Wiest. *n. 5.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 21.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 102.* Ratio est, quia Censura ferri nequit, nisi ab habente Jurisdictionem fori externi, ut colligitur ex *c. quærenti 20. de V. S.* & *c. cùm medicinalis 1. h tit. in 6.* Parochus autem jurisdictionem fori externi, nisi specialiter hæc ipsi committatur, nullam exercet *can. de persona 38.* junct. Gloss. *V. non ab alio caus. 11. q. 1.* ergo &c.

20 Ad *can. nemo* in contrarium allegatum, Presbyter, de quo ibi est sermo, Jurisdictionem fori externi privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta obtinuit. *Ad Conf.* is, qui sententiam Excommunicationis, & Interdicti in textibus *citt.* tulit, non fuit simplex Plebanus, sed in priori quidem casu Episcopus, in posteriori Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ, ut notat Avil. *p. 2. c. 3. dub. 2.* vel si hoc negas, pariter dicendum, ipsos potestatem hanc obtinuisse viâ præscriptionis, vel consuetudinis, ut notant Abb. *in c. 3. cit. n. 3.* Barbos. *n. 2.* Gonzal. *n. 2.*

21 Dub. 5. utrum potestas censurandi acquiri possit consuetudine, vel præscriptione? R. affirmativè. Ita communiter DD. & constat de consuetudine ex *c. dudum 54. v. sed cùm in Jure de Elect.* de Præscriptione ex *c. auditis 15.* & *c. cùm olim 18. de Præscript.* Ratio est, quia potestas censurandi potest acquiri privilegio Summi Pontificis, ergo etiam præscriptione, vel consuetudine modò persona præscribens sit capax possessionis.

22 Quæritur 4. quæ conditiones requirantur ex parte ferentis Censuram, ut ferre eandem possit? R. 1. requiritur potestas Ordinaria, vel Delegata: unde si tempore, quo delinquens Censurâ ligandus erat, tu careas potestate, nulla erit Censuræ impositio. Palao *tr. 29. D. 1. p. 5. n. 1.* Estque perinde, sive Jurisdictio ex parte ferentis Censuram cesset per remotionem ejus ab officio, sive alio modo. Ita cessat potestas Judicis primæ instantiæ in causa, in qua legitimè appellatum est; tunc enim ea causa, in qua legitimè appellatum est, à Judice, à quo est appellatum, eximitur, & ad Superiorem illius devolvitur, ita ut si ante incursionem Censuræ appelletur, Judex *à quo* Censurâ ligare appellantem non amplius possit. Ut tamen Appellatio ita suspendere Jurisdictionem Judicis *à quo* possit, duo requiruntur. 1. ut sit legitima, seu ex causa rationabili facta. 2. ut incursionem præcedat; nam Censura incursa sola absolutione tolli potest. Palao *D. 1. cit. p. 8. n. 4.* Engl *hic n. 104.* Reiffenst. *ibid. n. 36.*

23 2. Requiritur, ut Censura imponatur voluntariè, & humano modo *c. cùm voluntate 54. h. tit.* quæ voluntas aut verbis, aut signis aliis indicari debet. Dixi *voluntariè*; nam, an voluntas ista debeat esse libera, ita, ut interveniente gravi metu, nulla sit, difficultate non caret. *Ratio dubitandi* est, quia absolutio à Censura, ex hujusmodi metu facta, irrita, & nulla est, ut expressè deciditur *c. un. de his, quæ vi, metúsve causa &c.* atqui idem est judicium faciendum de impositione Censuræ, quod de absolutione *can. verbum 51. de Pœnit. dist. 1.* ibi: *Dominus par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.* ergo &c. *Sed dicendum*, quòd metus non impediat valorem Censuræ. Abb. *in c. 2. de his, quæ vi metúsve causâ &c. n. 11.* Hurtad. *de Censur. difficult. 6. n. 24.* Coninck *D. 13. dub. 5. n. 36.* Palao *p. 5. cit. n. 2.* Ratio est, quia gesta per metum jure naturæ valida sunt, nisi aliunde Jure positivo irritentur; metus enim, etsi minuat, non tamen tollit voluntarium. atqui Jure positivo latio Censuræ metu facta non reperitur irritata. ergo &c. *Ad Rationem dubitandi* nego paritatem; nam absolutio Censuræ, ex metu concessa, declaratur irrita ob favorem Ecclesiasticæ potestatis, ne scilicet Prælati vexarentur. at impositionem Censuræ irritam esse, non est favor Ecclesiasticæ potestatis, sed ejus, in quem fertur. Accedit, quòd non tam frequenter timeri potest, vexandos Prælatos, ut Censuras imponant, quàm ut ab iis absolvant. ergo irritatio absolutionis non est extendenda ad Censuræ impositionem. Quod additur ex *can. Verbum cit.* intelligendum est per se, & nisi per accidens impediatur; fit autem sæpe, ut habeat Prælatus potestatem ferendi Censuram, & impeditus sit ab absolutione concedenda, prout patet in Incendiario, quem si Episcopus nominatim excommunicavit, non tamen potest absolvere, sed solus Papa.

24 3. Ferens Censuram debet existere intra proprium territorium; nam extra illud existens etiam sibi aliàs subditum Censurâ ligare non potest. Abb, *in c. novit 7. n. 3. de Offic. Legat.* Navar. *Man. c. 27. n. 6.* Sayr. *l. 1. c. 14. n. 4.* Hurtad. *de Censur. d. ffic. 6. n. 25.* Coninck *D. 13. dub. 5. n. 39.* Palao *p. 5. cit. n. 3.* Vallens. *hic* §. *5. n. 2.* Pirhing *ibid. n. 28.* & colligitur ex *can. Episcopum 7. caus. 9. q. 2. & Clem. un. de for. compet.* Ratio est, quia extra territorium nemini datum est Jurisdictionem contentiosam exercere, ne Judici illius loci injuriam inferat *c. novit. cit. & l. omnes 2. ff. de Offic. Proconf.* at ferre Cen-

Censuram est actus Jurisdictionis contentiosæ, utpote quæ feruntur in invitum, & cum cognitione causæ, ergo &c. *Excipitur 1.* si notoria, & manifesta sit contumacia, ita, ut fieri sententia Excommunicationis possit absque cognitione causæ; vel si præmissa jam sit cognitio causæ in territorio proprio: tunc enim ferri Censura potest extra territorium proprium. Sayr. *l. cit. n 6.* Palao *n. 3.* *Excipitur 2.* si Episcopus à suis expulsus sit; quia eo casu, petitâ licentiâ à loci Ordinario, licèt non obtentâ, poterit in sibi subditos Censuram ferre, ut habetur *Clem. un. cit.* & tradunt *Navar. Hurt. Coninck Pal. & alij suprà.*

25 4. Ut justè & licitè quis ferat Censuras, non debet esse ligatus Censurâ la Croix *tom. 8. l. 7. n. 27.* neque debet aliqua Lege, aut Superioris præcepto esse interdictus. Palao *n. 4.* Item non debet ex pravo affectu odij, aut vindictæ duci. Palao *l. cit.* & hoc teste omnes. Et hinc nemo potest Censuram per modum Judicij ferre in causa propria; quia judicans in causa propria præsumitur siniſtro affectu duci la Croix *l. cit. n. 20.* Dixi *per modum judicij*; nam per modum justæ defensionis ferri Censura potest in causa propria, ut cum *Diana* advertit la Croix *l. cit.* sicut enim vis vi repelli potest, ita licitum est injustum invasorem per Censuram ab injuria arcere. Imò si causa est ita manifesta, ut nec negari posset, nec opus esset examinari, in causa propria Censura ferri possset etiam per modum Judicij. la Croix *l. cit.*

26 5. Censuram debet præcedere monitio, saltem quoad ligamen. Ita de Censura Excommunicationis expressè traditur. *c. sacro 48. h. tit. c. cùm medicinalis 1.* & *c. constitutionem 9. eod in 6.* de Suspensione *c. reprehensibilis 26. de Appellat.* de Interdicto *c. statutum 13. h. tit. in 6.* & universaliter pro omnibus ex omnium sententia tradunt Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. concl. 4.* & *5.* Navar. *Man. c. 27. n. 10.* Suar. *D. 3. de Censur. sect. 8. n. 2.* Coninck *D. 10. dub. 9. concl. 3. n. 82.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 6.* Palao *p. 5. cit. n. 5.* Pirhing *n. 34.* & *37. hic.* Ratio est, quia Censura fertur ob contumaciam, & inobedientiam actualem, at, qui monitus non est à ferente Censuram, non est illi rebellis, & inobediens. ergo &c.

27 Dub. 1. qualis debeat esse ista monitio, ut licitè feratur censura? R. non sufficit, ut sit qualiscunque, sed 1. debet esse trina, vel una tribus æquivalens, sive complectens intervalla temporis, inter tres monitiones interponi solita, *nisi facti necessitas aliter suaserit*, ut loquitur Gregorius IX. *c. constitutionem cit.* Ex defectu tamen trinæ monitionis (modò monitio adsit) Censura non redditur nulla; sed injusta, prout colligitur ex *c. Romana 5. h. tit. in 6.* ubi cavetur, ne Judices ferant Sententiam Excommunicationis, vel Suspensionis *absque competenti monitione præmissa, & si contrà præsumpserint, injustas noverint esse illas:* ubi *Glossa* ponderat dictionem *injustas*, & advertit non dixisse *nullas.* *Excipitur*, nisi lata sit contra participantes, & communicantes cum excommunicato ab eodem Judice; hæc enim, ut valida sit, requirit trinam monitionem, ut expressè cavetur *c. statuimus 3.* & *c. statutum 13. h. tit. in 6.* Vallens. *hic §. 2. n. 3.* Engl *n. 111.* Pirhing *n. 35. not. 2.* & *n. 135. not. 1.* König *n. 16.* Reiffenstuel *n. 24.*

28 2. Hæc monitio debet fieri in scriptis, quæ continere debent causam, pro qua censura imponitur, & tradi reo, cui illa imponitur: quodsi verò Judex (nisi fuerit Episcopus) absque urgenti causa solo verbo, & non scripto Excommunicationem intulerit, ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis ipso Jure suspenditur per mensem, & si illo tempore se Divinis ingesserit, sit Irregularis, prout habetur *c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* Palao *p. 5. cit. n 9.* Vallens. §. *2. n. 5.* Wiestner *n. 23.* Reiffenstuel *n. 25.* cum aliis. Dixi, *Nisi fuerit Episcopus*; nam Episcopus sub prædicto Decreto non continetur, cùm illius non fuerit mentio expressè facta, juxta textum *c. quia periculosum 4. h. tit. in 6.* Vallens. *l. cit.* Addidi *absque urgente causa*; nam ea stante, non solùm validè, sed etiam licitè verbotenus Excommunicatio proferri potest, ut colligitur ex *c. cùm medicinalis cit.* quod requirit temeritatem, atqui si justa adsit causa, abest temeritas. ergo &c. Imò etsi scriptura omittatur absque legitima causa, & prolatio censuræ verbotenus fiat, propterea tamen probabiliùs valorem suum non perdet, ut contra Sayr. *l. 1. Thesaur. c. 7. n. 16.* docent Coninck *D. 13. dub. 9. concl. 5. n. 89.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 6. n. 1.* Palao *l. cit. n. 10.* Ratio est, quia Jure naturæ Scriptura non est necessaria; Jure autem positivo, etsi scriptura requiratur *c. cùm medicinalis cit.* non tamen sic necessariò requiritur, ut aliter prolata censura irritetur.

29 3. Fieri monitio debet coram testibus, qui de illa testari possint, ut traditur *c. sacro 48. pr. h. tit.* ibi, *personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio*: item fieri debet ad Rei personam, nisi iste malitiosè latitet; tunc enim citatio ejus fieri posset ad ejus domum, aut valvas Ecclesiæ, vel in alio loco publico, ex quo in Rei notitiam venire possit *c. quoniam 5. §. porro. Ut lit. non*

conteſt. Clem. cauſam 3. de Elect. & docent Covar. *in c. alma p. 1. §. 9. n. 4.* Suar. *D. 3. de Cenſur. ſect. 11. n. 2.* Coninck. *D. 13. dub. 9. concl. 1.* Laym. *p. 1. cit. c. 5. n. 4. fin.* Palaon. *11.* Vallenſ. *hìc §. 2. n. 3.* Pirhing *n. 35. not. 3.* König *n. 16.* Wieſtner *n. 23.* Reiffenſtuel *n. 25.*

30 Dub. 2. quando ad Cenſuræ legitimam prolationem exigatur monitio prævia? Rſp. tunc ſolùm exigitur, quando infligitur per ſententiam ſpecialem, & ut vera cenſura. Atque hinc 1. monitione prævia opus non eſt, quando non infligitur, ut vera cenſura, ſed magis ut pœna vindicativa, ſicut infligitur *c. cùm in cunctis 7. §. fin. de Elect. c. ſacro cit. pr. c. cum medicinalis. 1. ℣. Exemplum h. tit. in 6.* Palao *tr. 5. cit. n. 5.* Wieſtner *n. 20.* Reiffenſtuel *n. 28.* Porro ſuſpenſio, & Interdictum aliquando ſic infliguntur, ut patet ex textibus *citt.* Excommunicatio autem nunquam infligitur, niſi ut vera cenſura: ac proinde cùm ab homine per ſententiam ſpecialem ferenda eſt, & cauſa ejus notoria non eſt, monitio ipſi præmitti debet *c. reprehenſibilis 26. de Appell.*

31 2. Non eſt opus monitione ſpeciali, quando cenſura à Jure, vel per ſententiam generalem pro futuris culpis lata eſt; tunc enim ipſo facto incurritur. *textus*, & Gloſſ. *in c. reprehenſibilis cit. V. ipſo ſuo genere.* Ratio eſt, quia ipſum Jus, ſeu Canon continua quædam admonitio eſt, & omnibus non ignorantibus loquitur, & inobedientibus pœnam minitari cenſetur; conſ. alia non eſt opus publicatione, vel monitione, quàm quæ ad conſtituendam Legem, vel Statutum requiritur. Covar. §. 9. *cit. n. 5.* Suar. *D. 3. ſect. 8. n. 3.* Laym. *c. 5. n. 5.* Palao *n. 11.* Pirh. *n. 36.* Wieſtner *n. 21.* Reiffenſt. *n. 21. Excipitur*, niſi aliam admonitionem accedere Jus ipſum in caſu aliquo particulari velit, ſicut voluiſſe videtur *Clem. 1. de Decim.* & *Clem. fin. ℣. fin. de Stat. Monach.*

32 3. Non requiritur monitio, ſi delictum, & ipſa etiam delinquentis non reſipiſcentis contumacia publica, & notoria foret; cùm enim exceſſus notorius excuſatione, examinatione, & probatione non indigeat *can. manifeſta 15. &c. cauſ. 2. q. 1. c. bonæ 23. ℣. porro de Elect. c. evidentia 9. de Accuſat.* caſu, quo delictum, & contumacia publica, & notoria eſt, ſententia Excommunicationis &c. præviam monitionem neceſſariò non expoſcit. Suar. *D. 3. ſect. 10. n. 18.* Laym. *c. 5. cit. n. 6. fin.* Palao *n. 12.* Wieſtner *n. 22.*

33 Dub. 3. an ſiquis commiſit delictum, cui ipſo Jure annexa cenſura eſt latæ ſententiæ, Judex eundem absque prævia monitione declarare, & denuntiare poſſit, tanquam ligatum Cenſurâ? Rſp. poſſe, modò delictum publicum ſit, & notorium, neque delinquens ejusdem pœnituerit. Ita Navar. *l. 5. conſ. 20. de Hæret. n. 5. edit 2.* Suar. *ſect. 10. cit. n. 18.* Laym. *n. 6.* Palao *n. 12.* colligitur ex *can. manifeſta c. bonæ*, & *c. evidentia citt.* & apertiùs ex *c. reprehenſibilis 26. de Appell.* ibi, *Præſenti Decreto ſtatuimus, ut nec Prælati, niſi Canonica monitione præmiſſa. ſuſpenſionis, vel Excommunicationis ſententiam ferant in ſubjectos, niſi fortè talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere Suſpenſionis, vel Excommunicationis pœnam inducat.* Ratio eſt manifeſta, quia denuntiatio non eſt novum vinculum, & Cenſura, ut dicitur *c. Paſtoralis 53. §. verùm de Appell.* ergo non adeſt cauſa, ob quam monitio prærequiratur.

Debet tamen delictum notorium 34
eſſe vel præſentiam, vel ipſo facto, ita, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, aut excuſationem admittere; aliàs ea declaratio illicita eſſet contra Jus naturæ, & Juridicum ordinem procedendi. Præterea requiritur, ut reus non pœnituerit; nam ſi abſolutionem à Cenſura poſtulaverit reus, vel ſatisfactionem obtulerit, non eſt denuntiandus, ſed potiùs abſolvendus juxta textum *c. qua fronte 21. de Appell.* cùm finis cenſuræ obtentus ſit, qui eſt delinquentis correctio & emendatio. Palao *n. 12. cit.*

Quæritur 5. in quos ferri Cenſura 35
poſſit? Rſp. ferri ſolùm poteſt in fideles baptizatos, rationis, & doli capaces, viatores, ſive deinde ſint Laici, ſive Clerici, modò ſubjecti ſint Jurisdictioni ferentis cenſuram. Atque hinc cenſuræ incapaces ſunt.

1. Creaturæ irrationales, utpote 36
quæ nec poteſtati Eccleſiaſticæ ſubduntur, nec culpam committere poſſunt, ob quam cenſura fertur. Neque refert, quòd aliquando hujusmodi creaturas irrationales, ſi fidelibus noceant, Eccleſia ſuis precibus anathematizet; quia Anathema illud non punitionem, quæ culpam ſupponit, ſed execrationem duntaxat, & deteſtationem quandam ſpectat Palao *tr. 29. D. 1. p. 6. n. 1.* Wieſtner *n. 6. hic ℣. primò.*

2. Pagani, & Judæi, etiamſi Ca- 37
techumeni jam ſint, juxta illud Apoſtoli: *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare 1. Corinth. 5. v. 12.* quia, ut Trid. *ſeſſ. 14. c. 2. de Pœn. Sacr.* ait, *Eccleſia in neminem Judicium exercet, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.* Secus eſt de Hæreticis Apoſtatis, & Schiſmaticis; quia hi per Baptiſmum, quem ſuſceperunt poteſtati Eccleſiæ ſubjecti ſunt, à qua per lapſum in crimen Hæreſis, vel Apoſtaſiæ eximuntur *can. de Judæis 5. diſt. 45. c. majores 3. §. item quæritur de Bapt.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 1.* Palao *p. 6. cit. n. 1. ℣. ſecundò.* Vallenſ. *hic §. 6. n. 1.*

Engl

Engl *n. 3.* Pirh. *n. 26.* König *n. 10.* Reiffenst. *15. & 16.*

38 3. Infantes, furiosi, & alij usu rationis carentes; quia sine isto neque delicti, & contumaciæ, neque correctionis, & emendationis capaces sunt. Quodsi tamen hujusmodi furiosus, vel amens, antequam in furorem, vel amentiam incidit, causam censuræ dedit, haud dubiè ligatus maneret censurâ etiam, postquam furiosus, vel amens effectus est; quia usus rationis, & libera voluntas solùm requiritur ad causam censuræ apponendam, non verò ad ipsam censuram contrahendam. Suar. *D. 5. de Censur. sect. 1. n. 20.* Laym. *c. 4. cit. n. 3.* Palao *n. 1. cit. §. quartò*, la Croix *tom. 8. l. 7. n. 39.* Si tamen amentia esset perpetua, à Censura antea contracta absolvi deberet, ut notat Suar. *sect. 1. cit. n. 21.* Laym. *n. 3. cit.* Palao *l. cit.* la Croix *n. 40. & seqq.* quia Censura est pœna medicinalis: & propterea non expedit eâ ligatum esse, qui per ipsam emendari non potest.

4. Mortui, ut contra Tabien. *V.* 39 *Excommunicatio n. 4.* notat Sylv. *V. eod. 1. n. 7.* Navar. *Man. c. 27. n. 13.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 11. n. 8.* Azor *p. 2. l. 5. c. 26. q. 2.* Suar. *sect. 1. cit. n. 3.* Laym. *n. 2.* Palao *l. cit. §. tertiò.* Vallens. §. *6. n. 3.* Engl *n. 3. & 4.* Pirhing *n. 26.* König *n. 10.* Wiestn. *n. 8.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 108.* & constat ex *can. de communione 1. can. legatur 2. can. nec quisquam 4. caus. 24. q. 2.* Ratio est, quia si ligari Censurâ mortui possent, hoc fieret, vel quoad animam, vel quoad corpus: non ratione corporis; quia est quid inanimatum incapax subjectionis: non ratione animæ; quia hæc est quid Spirituale, in invisibile, & subjici nequit Ecclesiæ visibili. *Conf.* vel enim hujusmodi mortui anima est in cœlo, vel in purgatorio, vel in inferno. Si in cœlo, vel in purgatorio, non est in eo statu, quo affici Censurâ possit, utpote grata DEO: si in inferno, corrigibilis non est. ergo &c. *Neque obstat*, quòd *can. fin. caus. & q. cit.* Hæretici etiam post mortem anathemate feriri, & *c. à nobis 28. b. tit.* excommunicati, qui cum signis Pœnitentiæ decesserunt, absolvi jubeantur. Nam quod Hæreticos attinet, ij post mortem non tam excommunicantur, quàm ùt tales declarantur, ad terrorem fidelibus incutiendum, ne cum mortuis in sepultura, vel precibus publicis communicent, quibus viventibus communicare non poterant. Absolutio verò, quæ impertitur Excommunicatis, qui cum pœnitentiæ signis decesserunt, directè non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus isti solvuntur obligatione, ne in Excommunicatione defuncti cadaver sepeliant in loco sacro.

5. Qui Jurisdictioni Ordinariæ, vel 40 Delegatæ ferentis Censuram subjecti non sunt *c. à nobis 21. h. tit.* & *c. cum inferior 16. de major.* quia Superior Jurisdictionem, & Superioritatem in alium, quàm sibi subditum exercere non potest. Palao *n. 3.* & hoc teste omnes. Et hinc Censurâ nullatenus ligari potest 1. Summus Pontifex; quia Superiorem in terris non habet, & Leges ab ipso latæ eundem quoad vim saltem coactivam non obligant. Laym. *c. 4. cit. n. 4.* Palao *p. 6. n. 3.* Pirhing *n. 26.* Wiestner *n. 9.* Reiffenstuel *n. 18.* *Excipitur*, si Papa deprehendatur devius à Fide; tunc enim Concilium posset eum per censuras cogere, ut pareat. *can. si Papa 6. dist. 40.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 22.* Videatur Bellarm. *de Pontifice l. 2. q. 30.* quæstionem istam fusè pertractans. 2. Archiepiscopus ferre censuram non potest in subditum Episcopi Suffraganei, nisi visitet actu, vel ad ipsum devolvatur causa per Appellationem *c. venerabilibus 7. h. tit. in 6.* la Croix *l. cit. n. 29.* 3. Episcopi ex speciali privilegio Juris non ligantur censurâ Suspensionis, & Interdicti generaliter lata, nisi mentio ipsorum expressa fiat *c. quia periculosum 4. h. tit. in 6.* ne, ut *ibidem* dicitur, impediantur in exercitio Officii sui. Wiestner *n. 9.* Reiffenstuel *n. 19.* Secus videtur dicendum de Censura Excommunicationis; quia de hac *in c. cit.* non fit mentio, nec in positivis valet Argumentum à pari. la Croix *n. 34.* & apud hunc *Suar. Dicast. Gibalin.* 4. Rex, & Imperator ob eorum supremam dignitatem hodie censurari non possunt ab Episcopis, sed id sibi reservat Summus Pontifex Avil. *p. 2. de Censur. c. 4. D. un. dub. 4.* Palao *p. 6. cit. n. 3.* Wiestner *n. 9. fin.* Reiffenstuel *n. 20.* la Croix *n. 33.* 5. nemo incurrit censuram â se latam; quia nemo tenetur suis Legibus. la Croix *n. 35.* Potest tamen quis occasione censuræ à se latæ incurrere censuram ab alio latam, ùt siquis conversetur cum alio à se excommunicato; nam talis incurret Excommunicationem minorem, à Papa in communicantes cum Excommunicato latam, sicut qui celebrat in Ecclesia à se interdicta, probabilìùs fit Irregularis. la Croix *l. cit.*

Dub. 1. an ultra usum rationis ad 41 incurrendam censuram etiam requiratur pubertas? Non conveniunt satis DD. Ugolin. *de Censur. c. 17. §. 3. n. 5.* affirmat requiri pubertatem, eò, quòd ante illam ætatem non satis percipiant Ordinem Judiciarium, neque impubes in Judicio admittatur ad se defendendum, vel agendum, juxta *c. fin. de Judic. in 6.*

Sed respondendum videtur cum di- 42 stinctione; nam censuræ latæ à Jure impuberes rationis compotes capaces sunt.

Suar.

Suar. *D. 5. de Censur. sect. 1. n. 17.* Coninck *D. 13. dub. 6. n. 45.* Hurtad. *de Censur. disp. 7. n. 30.* Palao *p. 6. cit. n. 2.* & hoc supponit *c. super eo 1.* & *c. fin. h. tit.* quoad Excommunicationem Canonis ob percussionem Clerici. Ratio est, quia nullo Jure eximuntur, & cùm culpam committere possint, cui annexa censura est, non est, cur à censura excusentur. Idem videtur dicendum de censura lata per Statutum, nisi contrarium constet ex consuetudine. Censuræ ab homine ferri quidem & ipsæ adversùs impuberem possunt, non tamen conveniens est in eos ferri: quod etiam usus, & consuetudo satìs recepta probat; nunquam enim directè Censura solet in impuberes ferri. Dixi *directè*; nam indirectè, & consequenter, non est dubium impuberes Censurâ ligari, ùt contingit in Interdicto generali populi, quod impuberes rationis usum habentes comprehendit.

43 Neque obstat ratio *Ugolini*; etsi enim impubes Ordinem Judiciarium ignoret, de illo tamen instrui potest, sicut alii puberes, Ordinem Judiciarium ignorantes, instruuntur. Accedit, quia respondere per Procuratorem potest.

44 Dub. 2. utrum tota aliqua Communitas Censurâ ligari possit? R. cum distinctione; nam Censurâ Excommunicationis Communitas ligari nequit, sed tantùm illi de Communitate, qui specialiter sunt culpabiles *c. Romana 5. §. in universitatem h. tit. in 6.* sunt enim plerumque in Communitate nonnulli, qui vel planè sunt innocentes, vel minùs, quàm cæteri, nocentes: ut adeò nimis asperum, & acerbum foret, si pœnam æqualem, & æquè severam cum nocentibus sustinere deberent *can. satìs perversum 7. dist. 56. can. si habes 1. caus. 24. q. 3.* Navar. *Man. c. 17. n. 13.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. n. 6.* Palao *p. 6. cit. n. 3.* Vallens. §. *6. n. 2.* Engl *n. 37.* Pirhing *n. 27.* Reiffenstuel *n. 89.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 113. Excipitur*, nisi constaret, omnes & singulas personas alicujus Collegii, aut Universitatis esse reas, aut participes alicujus delicti, & in eo contumaciter persistere; tunc enim omnes sive totum Collegium, aut Universitas excommunicari poterit. Pirhing *l. cit.*

45 Quoad Censuram Suspensionis dicendum, eam quidem in Communitatem ferri posse, & tenere, licèt in hac aliqui sint innocentes: quoad effectum tamen est distinguendum; nam talis Suspensio in Communitatem lata membra innocua quidem afficit quoad functiones & jura Communitati quà tali collectivè competentia, non verò quoad functiones, & jura, quæ singulis sigillatim competunt. Pal. *D. 4. p. 3. n. 3.* Wiest. *n. 11.* Magn. P. Schmier *l. cit. n. 115.*

Interdictum autem id habet singu- 46
lare, quòd integram Communitatem, & in hac etiam innocentes obstringat, si generale sit *c. si Civitas 17. h. tit. in 6.* Neque per hoc Censuram ferens ullius injustitiæ valet argui; quia per tale Interdictum innocentes propriè loquendo non puniuntur, sed Ecclesia justas ob causas sua beneficia, & officia subtrahit tam nocentibus, quàm innocentibus. P. Schmier *n. 116.*

Dub. 3. an Episcopus ferre pos- 47
sit Censuram in peregrinum, in sua Diœcesi commorantem? Lugo *l. 6. Respons. mor. D. 22.* & alii putant, non posse; quia non habet potestatem in personam, in quam deberet ferri sententia. Alij tamen cum Engl *n. 35.* & la Croix *tom. 8. l. 7. n. 32.* contradicunt; quia sicuti possunt ferri Leges, quibus obligantur peregrini, v. g. de non gestandis armis, ita illis Legibus potest addi Censura, & talis peregrinus ratione delicti fit subditus tali Episcopo *c. fin. de for. comp.*

Hinc ut idem la Croix *l. cit.* cum 48
Gibalino docet, & *Declaratione Cardd.* confirmat Pignat. *tom. 1. consult. 170. n. 8.* Episcopus potest ferre Censuram in alium Episcopum, imò etiam in Archiepiscopum in territorio sui Episcopi Suffraganei commorantem, & delinquentem; quia quamvis sint pares, aut etiam superiores Dignitate, tamen ratione delicti sint subditi illius territorii.

Dub. 4. an Censuram incurrat, qui 49
committit delictum extra Diœcesim, vel territorium Superioris sui statuentis Censuram? R. distinguendo; nam si prohibitio facta sit per Statutum territoriale, Censura in delinquentes lata non afficit existentem extra territorium statuentis Censuram, ut expressè deciditur *c. fin. de Const. in 6.* Secus est, si Episcopus per sententiam, vel speciale præceptum alicui sub tali Censura prohibuit delictum; hanc enim incurreret absens, quamvis contra eum extra Diœcesim non posset cum strepitu forensi institui actio. la Croix *tom. 8. l. 7. n. 43.*

Debet tamen ad hoc considerari non 50
tam præsentia physica, quàm moralis; contingit enim aliquando subditum esse corporaliter extra territorium Excommunicantis, & tamen delinquere in territorio excommunicantis, ut si lata esset Excommunicatio in Diœcesi Augustana adversùs Parochos ultra duos menses absentes à suis Parochiis: & hoc casu ligarentur Parochi dictæ diœcesis, etsi morarentur in alia Diœcesi; quia moraliter in Diœcesi Augustana reputantur existere, siquidem ibi committunt delictum non residendo, ut optimè no-

notant Coninck *D. 13. dub. 7. concl. 6. & 7. n. 6. & 62.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 3. n. 3.*

51 Dub. 5. an possit quis duplici Censurâ affici, quæ ejusdem sit rationis? *Ratio dubitandi* est, quia privatio non suscipit magis, & minus, igitur cùm quælibet ex his Censuris sit privatio Spiritualium borum, nequit, positâ unâ Censurâ, alia ejusdem rationis succedere, aliàs succederent duæ privationes ejusdem numero formæ in eodem subjecto, quod est impossibile.

52 Sed his non obstantibus, dicendum, ob diversas causas posse aliquem diversis Censuris ejusdem rationis ligari. Ita Sylv. *V. Excommunicatio 1. n. 10.* Sot. *in 4. dist. 22. q. 2. concl. 3.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 11. n. 13.* Suar. *D. 5. de Censur. sect. 3. n. 1. & seqq.* Molin. *tr. 3. D. 41. n. 3. & 7.* Grac. *p. 8. de Benefic. c. 3. n. 86.* Dicast. *D. 1. à n. 267.* Palao *D. 1. p. 6. n. 5.* Pellizar. *tr. 7. c. 1. n. 67.* Reiffenstuel *hic n. 85.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 87.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 117.* & colligitur ex *c. cùm pro causa 27. h. tit. Clem. gravis 2. eod.*

53 Ratio est, quia Excommunicatio, & quævis alia censura non tam est privatio, quàm vinculum morale causans privationem, atqui vinculum morale multiplicari potest, tametsi privatio non multiplicetur, uti manifestè patet in peccatis mortalibus, quorum quodlibet ita hominem privat gratiâ, ut etiam aliud, quantum est in se, privet. *Hinc cadit ratio dubitandi in oppositum*; quamvis enim privatio non suscipiat magis, & minus in se, bene tamen in ordine ad causam. Manifestum hoc etiam est in naturalibus; nam cubiculum privari luce potest ex multiplici ratione impediente, tametsi existat unica privatio lucis.

54 Imò probabile est, quòd possit aliquis ob eandem causam, & idem delictum ligari censurâ duplici ejusdem rationis, unâ à Jure, alterâ ab homine, item unâ ab hoc Superiore, vel Judice, alterâ ab alio, si adsit respectu cujuscunque Judicis specialis contumacia, & inobedientia. Suar. *D. 5. cit. sect. 2. n. 13.* Dicast. *n. 271.* Palao *n. 6.* la Croix *n. 88.* Ratio est, quia esto, quòd eadem sit causa materialis est tamen diversa causa formalis scilicet diversa contumacia, & inobedientia. Addit Palao *l. cit.* toties multiplicari censuras, quoties mulplicantur transgressiones, quibus annexa censura est.

55 Quæritur 6. quam ob causam ferri in aliquem censura possit? Satis conveniunt DD. 1. censuram non posse ferri, nisi ob culpam; quia est pœna medicinalis, quæ necessariò supponit culpam corrigendam. 2. hanc culpam debere esse proportionatam censuræ; aliàs committetur injustitia, ut colligitur ex *c. felicis 5. de Fœnis in 6.* ibi, *Judex pœnam metietur ex culpa.* 3. culpæ illi debere accedere contumaciam in Ecclesiam aliquid præcipientem, vel prohibentem sub censura; quia ad hanc maximè puniendam, & corrigendam infligitur *c. parte 23. de V. ex S. & c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* Hinc censuræ obnoxium non est peccatum, prohibitum solo Jure naturali, vel Divino. Abb. *in c. quæ fronte 25. de Appell. n. 10.* Suar. *D. 4. de Censur. sect. 5. n. 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 2.* Wiestner *hic n. 14.* Reiffenstuel *ibid. n. 11.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 47.* quia tale peccatum, nisi simul Lege Ecclesiastica prohibitum sit, inobedientiam, contemptum, aut contumaciam contra potestatem Ecclesiasticam nullam continet.

56 Dub. 1. an ob culpam venialem censura infligi possit? *Rationem dubitandi* faciunt textus aliqui, præsertim *can. siquis 22. dist. 23. c. siquis 4. de Vit. & honest.* quibus videtur ob causam levem, scilicet nutritionem comæ, ferri Excommunicatio, *Conf.* in casu vulgari devastatorum vineæ, in quos, licèt singuli quantitatem levem duntaxat diripuerint, neque unus *in* alterius damnificationem consenserit, Judices Ecclesiastici ad instantiam damnificati solent promulgare Excommunicationem, nisi damnum à se datum reparent, & ablatum restituant.

57 Sed dicendum, Excommunicationem majorem, Suspensionem, & Interdictum, prout communiter feruntur, ob culpam venialem injungi non posse. Ita ex omnium sententia tradunt Navar. *Man. c. 27. n. 9.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 9. n. 1.* Avil. *p. 2. de Censur. c. 5. D. 1. dub. 2.* Suar. *D. 4. de Censur. sect. 4. n. 2.* Sanch. *l. 6. mor. c. 4. n. 55.* Vasq. *tom. 2. D. 158. c. 5.* Hurtad. *de Censur. diffic. 10. n. 43.* Coninck *D. 13. dub. 8. concl. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 7. n. 2.* Engl *hic n. 6.* Pirh. *n. 30.* König *n. 12.* Wiestner *n. 10.* Reiffenst. *n. 8.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 47.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 123.* & colligitur ex *can. nemo 41. can. nullus 42. & c. cauſ. 11. q. 3.* & Trid. *sess. 25. c. 3. de Reform.* Ratio est, quia sunt pœnæ gravissimæ, ac proinde importionatæ ad culpam levem.

58 Atque hinc etiam sequitur, casu, quo quis per ignorantiam, inadvertentiam, vel aliam causam excusatur à culpa gravi, cui Excommunicatio, Suspensio, vel Interdictum annexum est, eum etiam excusari ab his pœnis, ne illas incurrat, ut bene advertit Laym. *n. 1. cit.* & Palao *n. 3.* consonum namque est non privare subsidiis Regni Cœlestis, qui per peccatum se non privavit, ut dixit S. Thom. *in addit. p. 3. q. 21. art. 3.*

Dixi,

59 Dixi, *Excommunicationem majorem, Suspensionem, & Interdictum, prout communiter feruntur*; nam Excommunicatio minor lata à Jure in omnium sententia propter peccatum veniale incurritur: & ratio est, quia etsi maximis bonis privet, scilicet Sacramentorum receptione, facile tamen tolli potest, cùm quilibet Sacerdos Jurisdictionem habens, ut *n. 205.* dicetur, ab ea possit absolvere. Palao *n. 7.* Eodem modo potest aliqua Suspensio, vel Interdictum personale purum à Judice generaliter ferri ob peccatum veniale, si talis Suspensio, vel Interdictum, quod in pœnam ejusdem fertur, reservatum non sit, & minoribus commodis privet, quàm Excommunicatio minor. Palao *l. cit.* König *n. 12.* Reiffenstuel *n. 9.* la Croix *n. 47.* Schmier *n. 126.*

60 Neque obstat Ratio dubitandi allata; nam etsi causa, in se spectata, sit levis, ex circumstantiis tamen potest fieri gravis, atque adeò capax harum pœnarum. *Ad Conf.* quamvis non pauci cum *Navar. Covar. Petr. Navar.* censeant Excommunicationem prædictam nullo modo ligare eos, qui solùm levem quantitatem restituere tenentur, communior tamen cum *Sot. Cordub. Sayr. Henriq. Less. Suar. Barbos. &c.* quos citat, & sequitur Palao *D. 2. de Censur. p. 3. n. 7.* docet, singulos obligari suam quantitatem levem restituere; alias Excommunicationem incursuros: in qua sententia respondendum, quod dictum est ad Rationem dubitandi; nam impossibile est damnum grave, domino vineæ minutis singulorum furtis illatum, reparare, nisi singuli ea minuta furta restituant. ergo singulorum restitutio, etsi levis quantitatis subreptæ, graviter conducit ad damni illati reparationem. at quoties finis præcepti gravis est, & res, quæ præcipitur, prædicti finis consecutioni est necessaria, gravis est obligatio illam exequendi; quia gravitas præcepti non desumitur tantùm ex gravitate materiæ in se spectata, sed ex gravi, vel levi convenientia, quam habet cum fine intento.

61 Dub. 2. an ad censuram incurrendam sufficiat actus internus? Affirmat Gloss. *in Clem. 1. de Hæret.* & alii apud Sanch. *l. 2. mor. c. 8. n. 2.* quibus novissimè accedit Magnif. P. Sehmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 134. & seqq.* Fundantur 1. *Clem. 1. cit.* ubi §. *verùm* excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore ducti aliquid contra muneris sui obligationem omittunt, vel faciunt. Sed hic est actus internus. ergo &c. 2. Judex obligatus defendere Clericum à percussione, si id nolit, incidit in Excommunicationem Canonis. at hæc nolitio internum quid est. ergo &c. 3. Ecclesia actus internos præmiare potest, concedendo v. g. Indulgentias Orationi mentali. ergo poterit iisdem etiam statuere pœnam per censuram. 4. si actus internos Ecclesia afficere censurâ non posset, id proveniret ex defectu Jurisdictionis, atqui Ecclesia habet Jurisdictionem in actus merè internos, cùm ejus potestas Spiritualis sit, ergo &c. 5. imò potestatem istam Ecclesia quoad actus internos defacto exercet; sic enim dispensat, & irritat Votum purè mentale, absolvit, & reservat peccata interiùs consummata, obligat ad actum Fidei supernaturalem, quando res Fidei proponit, aut de Fide quis examinatur &c. ergo potest etiam actus merè internos punire.

62 Sed verior videtur negativa, scilicet actum purè internum ad censuram incurrendam non sufficere. Ita Navar. *Man. c. 23. n. 38. & c. 27. n. 56.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. n. 7.* Suar. *D. 4. de Censur. sect. 2. n. 1.* Vasq. *1. 2. D. 160.* Coninck. *D. 13. dub. 8. concl. 4. n. 71.* Hurtad. *de Censur. Disp. 11. n. 49.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 7. n. 4.* Engl *hic n. 6.* Pirhing *n. 31.* König *n. 13.* Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *n. 25.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 47.* id desumentes ex *can. cogitationis 14. de Pœnit. dist. 1.* ubi Glossa dicit, cogitationis pœnam neminem pati ab homine, sed à DEO. *Ratio est*, quia Ecclesiæ potestas anterior, sicut præcipere, & prohibere, sic etiam judicare, & punire nequit actus merè internos, utpote non cadentes sub sensum, & cognitionem humanam *c. sicut 33. fin. & c. seq. ℣. fin. de Simon.*

63 *Neque dicas*, saltem ab Ecclesia posse censuram ferri in actus merè internos in forma Legis, aut Constitutionis, ita, ut qui actum prohibitum sola mente commiserint, ipso facto, & jure, citra Judicium, & processum, Censuram incurrant. *Nam contrà est*; quia ut S. Thom. *1. 2. q. 91. art. 4.* docet, de his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare. igitur cùm Ecclesia de actibus merè internis judicare nequeat, nec Legem ferre de iis potest. Confirmari hæc possunt ex dictis *Libr. 1. Tit. 1. n. 21.* ubi negavi, actus merè internos directè cadere sub Legem humanam posse.

64 Imò ut incurratur censura, peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundùm proprietatem verborum, quæ in præcepto, seu Lege infligente censuram continentur. Navar. *l. 5. cons. 37. n. 2. h tit.* Suar. *D. 4. sect. 3. n. 4.* Avil. *p. 1. dub. 11. & p. 2. c. 5. D. 3. dub. 5.* Sanch. *l. 3. de matr. D. 2. n. 5. sub fin.* Coninck. *D. 13. dub. 8. concl. 7.* Palao *p. 7. cit. n. 10.* Colligitur apertè ex *c. perpetuo 7. de Elect. in 6.* ubi dicitur eligentes indignum non incurrere Juris pœnas, *nisi adeò in eo perstiterint*,

terint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur. Ratio est, quia Leges pœnales strictè, & propriè accipiendæ sunt.

65 Neque obstant Argumenta *n. 16.* in contrarium allata. *Ad 1.* allegatus ibidem textus intelligi debet de amore, vel odio prodeunte in actum externum vitiosum, & indicem pravi affectûs interni. *Ad 2.* non defendere Clericum est omissio externa, & sensibus cognoscibilis. *Ad 3.* dum Ecclesia concessione Indulgentiarum præmiat actus internos, directè circa illos Jurisdictionem externam nullam exercet, sed eos solùm ponit pro conditione, quâ positâ indulgentias vult obtineri. *Ad 4.* etsi potestas exterior Ecclesiæ Spiritualis sit, quia tamen hominibus inest, qui corporales sunt, idcirco non extenditur ad res purè Spirituales, sed quatenus per corporales manifestantur. *Ad 5.* in exemplis allatis Ecclesia nulla utitur Jurisdictione in actus merè internos; nam *primò* dispensatio, & irritatio Voti propriè non versatur circa actum internum voti, qui transiit, sed circa obligationem moralem inde resultantem, & moraliter perseverantem, quam Ecclesia nunquam solvit, nisi postquam exteriùs manifestata eidem est. Similiter non solvit peccata interna, nisi manifestata in Confessione; dum verò illa reservat, non tam in ipsa, quàm in Confessarium, cui potestatem absolvendi restringit, Jurisdictionem exercet. Denique dum res Fidei proponit Ecclesia, non tam Ecclesia, quàm Lex Divina, & naturalis obligat ad actum Fidei, exercendum circa rem propositam ùt credendam.

66 Dub. 3. an censura ferri possit propter peccatum merè præteritum in ejus punitionem? *Rationem dubitandi* faciunt complures textus, in quibus videtur censura ferri pro peccato præterito. Nam 1. *can. quidam 2. caus. 5. q. 1.* Gregorius excommunicavit libelli cujusdam authorem, nisi se proderet, & malitiam fateretur, aut libelli veritatem probaret. 2. *can. inter querelas 27. caus. 23. q. 4.* idem Gregorius reprehendit quidem Episcopum, qui in sua Excommunicationis sententiam tulit pro vindicanda injuria sibi illata, non tamen censet, sententiam istam fuisse nullam. 3. *can. duo sunt 10. dist. 96.* refertur Innocentius excommunicâsse Arcadium, & Ambrosius Theodosium ob factum absolutè præteritum. 4. *can. Guillisarius 30. q. 4. cit.* Sylverius Papa anathematizavit eos, qui eum comprehenderunt, & miserunt in exilium. 5. *can. fin. caus. 2. q. 1.* Nicolaus Papa absque ulla monitione excommunicat duos Episcopos, eò quòd Lothario in suis sceleribus faverent.

Sed nihilominus dicendum, non 67 posse infligi censuram propter peccatum merè præteritum, sive quod omnino cessat, & cum inobedientia, vel contumacia præsente non est conjunctum. Ita Navar. *Man. c. 27. n. 9.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 9. n. 4.* & §. 10. *n. 1.* & *seqq.* Suar. *D. 4. sect. 5. n. 6.* Coninck *D. 13. dub. 9. n. 78.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 3.* Palao *D. 1. p. 7. n 8.* Pirhing *hic n. 32.* König *n. 15.* Wiestner *n. 15.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 47.* & sumitur ex *c. ex parte 23. de V. S. c. per tuas 40. c. sacro 48. h. tit. c. cùm medicinalis 1. c. Romana 5. ℣. porro c. constitutionem 9. eod. in 6.* Ratio est, quia censuræ, tanquam pœnæ medicinales, præcisè introductæ sunt, ut suæ gravitatis horrore à peccato committendo, & inobedientia continenda absterreant delinquentes. tales autem non forent, si in solius delicti perpetrati pœnam respiscenti, & satisfactionem debitam præstare parato infligerentur. ergo &c.

Neque obstant Argumenta proposi- 68 ta. *Ad 1.* Gregorius ibi non excommunicavit libelli authorem, sed usum Eucharistiæ sub Excommunicatione eidem interdixit, donec se manifestaret. *Ad 2.* Episcopus ille Excommunicationem tulit non pro injuria sibi facta, sed ut sibi fieret competens satisfactio: reprehenditur tamen à Pontifice; quia alienum est à Pastore Ecclesiæ in propria causa per modum sententiæ Censuram ferre. *Ad 3.* Innocentius Arcadium, & Ambrosius Theodosium excommunicârunt, nisi respiscerent, & pro tanto facinore satisfactionem exhiberent: hinc illâ positâ, sunt absoluti. *Ad 4.* Sylverius illos excommunicavit, quia in exilio ipsum detinebant, ut constat ex textu *can. cit.* *Ad 5.* Episcopi non excommunicantur illo textu, sed deponuntur ab Officio Sacerdotali: quod ob culpam præteritam fieri potest, cùm depositio censura non sit.

Dub. 4. an censura imposita contra 69 facientes, seu committentes aliquod delictum comprehendat etiam mandantes, & consulentes committi? Affirmant aliqui cum Sylv. *V. Excommunicatio 9. n. 79.* & Rosell. *V. eod. 1. cas. 43. n. ult.* Fundantur; quia mandans, & consulens delictum, etsi physicè illud non committant, committunt tamen illud moraliter, & secundùm communem æstimationem. *Conf.* variis textibus; nam 1. *c. mulieres 6. §. illi vero h. tit.* deciditur mandantes Clericum percutere eadem Excommunicatione ligari, quâ ligantur percutientes: & redditur ibi ratio; *cùm is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur.* 2. *c. nuper 29. ℣. in primo eod.* inquit textus: *Cùm facientem, & consentientem par pœna constringat:* & confirmatur ex

Reg. is damnum 169. ff. ibi, *is damnum dat, qui jubet dare.* 3. *l. nihil interest 15. ff. ad ad Leg. Corn. de Sicar.* ait textus: *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.* 4. *c. ita quorundam 6. de Judæis* excommunicantur deferentes prohibita ad Sarracenos, & *c. significavit 11. eod.* declarantur eandem Excommunicationem incurrere, sive propriâ personâ, sive per nuntios deferant. 5. *c. nuper 29.* & *c. si concubinæ 55. h. tit.* excommunicantur participantes in crimine criminoso cum excommunicato. at mandans, & consulens delictum, cui annexa est Excommunicatio, participat in crimine, ob quod Excommunicationem incurrit illud committens. ergo &c.

70 Sed longè probabilius est, censuram, quæ lata est adversùs committentem aliquod crimen, non afficere mandantem, vel consulentem, nisi in Lege, vel præcepto hoc exprimatur. Ita Armill. *V. Excommunicatio n. 2.* Tabien. *V. eod. 5. cas. 49. n. ult.* Cajet. *V. eod. paulò post pr.* Navar. *Man. c. 27. n. 51.* Sanchez *l. 3. de Matr. D. 49. n. 2.* Hurtad. *de Censur. Diffic. 14. n. 53.* Palao *p. 7. cit. n. 12.* Pignat. *tom. 9. consult. 11. n. 2.* Pirhing *hic n. 33.* König *ibid. n. 14.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 57.* Ratio est, quia Leges imponentes censuram, utpote odiosæ, & pœnales strictè sumendæ sunt. atqui mandans, & consulens delictum, propriè, & in rigore dici nequit illud delictum facere, ut docet Bartol. *in l. sed si unius. §. servus n. 2. ff. de Injur. Conf.* quia mandatum, & consilium præcedunt factum, & ad ipsum perpetrandum diriguntur, illiúsque causa moralis sunt, non igitur sub facto comprehendi debent. *Excipitur*, casus, quo Lex, nisi etiam mandantes, & consulentes comprehendantur sub censura, redderetur inutilis ferme, & frustratoria; tunc enim etiam ad hos extendi deberet, ut colligitur ex *c. si civitas 17. h. tit. in 6.*

71 Neque obstant Argumenta opposita; etsi enim mandans, & consulens absolutè dici possint delictum committere, non tamen in sensu proprio, & rigoroso; nam delictum committere in sensu rigoroso non moralem, sed physicam actionem significat, prout colligitur ex *c. fin. de Cler. pugn. in duell.* ubi pugil verè homicida dicitur, non autem mandans. Neque aliud probant textus allegati. *Ad 1.* etsi mandans committat in Legem, quæ percussionem prohibet, non tamen verè percutit: & hinc ut comprehenderetur sub Lege statuente percutientibus censuram, opus fuit nova Lege, & Decreto *c. mulieres cit. Ad 2.* id intelligendum est non de eadem pœna secundùm proprietatem, sed secundùm similitudinem, cùm consentientes verè delinquant in Legem. Idem respondendum ad *Reg. is damnum cit. Ad 3.* fit quidem delictum à mandante, & consulente moraliter, non autem physicè, & propriè, ùt dictum est. *Ad 4.* ibi extensio censuræ fit etiam ad eos, qui deferunt arma ad Sarracenos per interpositam personam, ne Lex pœnalis censuram irrogans frustratoria redderetur. *Ad 5.* excommunicantur, qui participant cum Excommunicato, postquam ùt talis denuntiatus est, non verò, qui cum eo participant, antequam Excommunicationem incurreret.

Dub. 5. an casu, quo expressè cen- 72
sura lata est etiam contra mandantes, consulentes &c. Excommunicationem incurrat mandans, consulens &c. si hic mandatum, vel consilium revocavit, antequam mandatarius, vel consiliarius illud exequatur? *Certum est 1.* si mandans, vel consulens mandatum, vel consilium suum revocavit efficaciter, ita, ut mandatum, vel consilium causa moralis operis prudenter præsumi nequeat, mandantem, & consulentem liberum à censura esse; quia non aliter mandatum, vel consilium punitur censurâ, quàm quia influit in delictum. *Certum est 2.* si mandans, vel consulens solùm fictè revocavit mandatum, aut consilium suum, eum censuram non effugere; quia verè adhuc in delictum influit.

Difficultas est, an incurrat censuram, 73
qui quidem revocat mandatum, vel consilium suum, quantùm potest, sed hanc revocationem mandatario, vel consiliario notam non potest facere, vel si ei notificat, rationes ad consilium à se datum revocandum inefficaces fuerunt? Affirmant Coninck *D. 14. dub. 15. concl. 3. n. 183.* Dicast. *D. 1. an. 190.* & *D. 2. n. 344.* & alii relati à Suar. *D. 44. de Censur. sect. 3. n. 7.* Moventur; quia hæ censuræ latæ sunt adversùs eos, quorum consilio, vel mandato facinus est perpetratum: quod in præsenti contingit. *Neque obest*, quòd mandati, vel consilii pœnituerit; quia pœnitentia efficaciam mandati, vel consilii non sustulit.

Sed melius contrarium docuerunt 74
Innoc. *in c. mulieres 6. h. tit.* Tabien. *V. Excommunicatio 5. cas. 1. n. 35.* Avil. *p. 2. de Censur. D. 3. dub. 7.* Hurtad. *de Censur. diffic. 15. n. 68.* Palao *p. 7. cit. n. 15.* Rationem dant, quia post revocationem consilii, vel mandati, si delictum sequitur, mandans, vel consulens illud solùm causat inculpabiliter, cùm culpa per pœnitentiam sit deleta. igitur non incurrit censuram, quæ, utpote pœna medicinalis, solùm afficere potest actu delinquentes, inobedientes, & rebelles, non verò eos, qui ab inobedientia, rebellione, & delicto recesserunt.

Quæ-

75 Quæritur 7. quæ causæ excusent ab incurrenda censura? *R. prima*, & præcipua, si ex parte ferentis censuram ante incursionem deficiat Jurisdictio, eo quòd e. g. remotus sit ab officio, vel à sententia ejus appellatum: de quo dictum est *n. 22. suprà.*

76 2. Si actus, sive peccatum, sub censura prohibitum, in suo genere consummatum, seu completum non sit; requiritur enim actus consummatus, sive peccatum in suo genere completum, ita, ut effectus lege, & præcepto prohibitus reipsa consequatur. Hinc si homicida excommunicetur, non incurrit censuram, qui solùm percussit, vel vulneravit; si vulnerans, non incurrit, qui conatus fuit percutere, sed erravit, vel impeditus fuit: quia qui non est perfecta causa illius actûs, propter quem decreta est Excommunicatio, non incurrit illam. Tann. *D. 6. q. 10. dub. 3. n. 55. Reg. 5.* Pirhing *hic n. 33.*

77 3. Si consentiat is, in cujus favorem lata censura est. E. g. lata in debitorem ad instantiam Creditoris est Excommunicatio, nisi intra tres dies debitum solvat: excusatur hoc casu à censurâ debitor, si Creditor ei proroget terminum. Henriq. *l. 13. c. 20.* Suar. *D. 3. sect. 6. n. 8.* Hurtad. *de Censur. diffic. 26.* Palao *D. 1. p. 8. n. 5.* neque eo casu opus est consensu Judicis. *Ratio est*, quia non censetur Judex eo casu habere voluntatem ligandi debitorem, creditore volente oppositum. Accedit, quia censuram in debitorem ferre Judex non potest, nisi quia debitor est in mora, atqui hoc casu non est in mora, nec differendo solutionem peccat, ergo ne censura dicatur contrahi absque omni peccato, dicendum est, eam incurri solùm, cùm transactus est terminus à creditore prorogatus.

78 4. Si ignorantiam censuræ habeat, modò hæc non fuerit crassa, & supina. Azor *p. 1. l. 1. c. 15. q. 3.* Suar. *D. 4. sect. 8. n. 20.* Sanch. *l. 9. de matr. D. 32. n. 9.* Palao *p. 8. cit. n. 7.* Engl *hic n. 10.* Reiffenstuel *ibid. n. 29. & seqq.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 47. & 93.* & habetur apertè *c. fin. de Const. in 6.* Ratio est, quia censuræ sunt pœnæ, quæ contemptum Legis virtualiter requirunt. Idem dicendum, quando dubitas, an censura adversùs aliquod delictum lata sit, vel an factum tale sub censura comprehendatur, & factâ aliquali diligentiâ, dubium vincere non potuisti; nam tunc dubitans est in possessione sui juris, quod per Baptismum acquisivit ad bona Spiritualia. Aliud dicendum, cùm quis dubitat, an à censura, quam incurrit, sit absolutus; tunc enim pro censura, seu ligamine est possessio, prout apertè colligitur ex *c. sicut 39. h. tit.*

79 5. Si rem sub censura prohibitam gravi metu inductus efficis; quia regulariter timor, & periculum gravis damni à præceptorum transgressione excusat. Suar. *D. 4. sect. 3. n. 14. & D. 6. sect. 3. n. 7.* Coninck *D. 13. dub. 12. n. 99.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. fin.* Palao *p. 8. cit. n. 10.* Pirh. *hic n. 47.* Wiest. *n. 16.* Reiffenst. *n. 33.* la Croix *n. 47. & 93.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 127. & seqq.* Ratio est partim, quòd sic delinquens haberi nequeat pro contumace, & Ecclesiasticæ potestatis contemptore, cùm naturæ potiùs infirmitate, quàm obstinatæ voluntatis malitiâ peccet; partim verò, quia ejusmodi metus plerumque excusat ab observatione Legis Ecclesiasticæ: cur non etiam à censura, Jure solùm Ecclesiastico introductâ? Neque obstat *c. satris 5. de bis, quæ vi, met. caus.* ubi Innocentius III. obnoxium Excommunicationi minori pronuntiat, qui Excommunicato vitando metu inductus communicat, & ab ista tantùm absolvit illum, qui illi communicat per coactionem, & invitus. Nam hoc procedit tum solùm, quando metus non excusat à peccato; tunc enim etiam non excusat à censura, ut explicant Coninck *n. 97.* Laym. *n. 9.* Gonzal. *in c. cit. n. 9. & 10.* Wiestner *n. 17.* Atque hinc 1. *excipitur*, nisi præceptum Ecclesiasticum tanti momenti sit, ut etiam cum periculo mortis observandum sit; nam eo casu non excusaris à censura tali delicto annexa, cùm non excuseris à peccato inobedientiæ, & contumaciæ. Reiffenstuel *n. 34. Excipitur* 2. si Ecclesia sub censura prohibeat, quod aliàs Jure naturali prohibitum est v. g. fornicationem, furtum, homicidium &c. tunc enim probabiliùs censuram contrahit, qui tale peccatum committit, etsi metu coactus. Hurtad. *diffic. 23. n. 10* Palao *p. 8. cit. n. 11.* cùm enim præceptum Ecclesiæ, prohibens tale peccatum sub censura, non adstringat ad aliquid faciendum, vel omittendum, quod non, secluso eo præcepto, debebat fieri, vel omitti, non est ratio, cur dicamus illud Ecclesiæ præceptum tali casu cessare. Aliud dicendum, si Præceptum Ecclesiasticum naturali adderet aliquam circumstantiam, cui censuram adjungeret, e. g. si furtum fiat in templo; tunc enim Palao *l. cit.* censet, furem non incurrere censuram, si metu gravi coactus furtum faceret; quia censeretur solùm peccare contra Jus naturale, non autem Ecclesiasticum.

80 6. Denique excusatur à culpa, qui verè innocens est, cùm enim censura nemini imponi possit absque culpa, qui ab hac liber est, erit etiam à censura liber. *Dubium est*, quando innocentia excuset; potest enim contingere, ut aliquis non

tantùm in foro interno conscientiæ quoad DEUM, sed etiam in externo excusetur à culpa. 2. potest contingere, ut culpam quidem habeat, illa tamen exteriùs non sit probata. 3. potest contingere, ut culpa quidem non adsit, probetur tamen adesse. *In primo casu* conveniunt omnes, sic innocentem censurâ ligari non posse; quia eo casu Judex sua potestate abutitur. & cons. sententia illius nulla est, & non timenda *c. solet 2. & c. venerabilibus 7. §. potest h. tit. in 6. In secundo casu* iterum affici censurâ non potest, esto crimen Judici privatim notum sit; quia censuram Judex ferre non potest ob scientiam privatam, sed publicam, utpote quæ est actus publici, & forensis Judicii; aliàs nulla erit sententia. Palao *p. 8. cit. n. 12.* Intelligi autem hoc debet de censura hominis, seu ab homine per sententiam particularem lata. Aliud est, si Episcopus, vel Summus Pontifex, tanquam Pastor communis per Legem, Statutum, vel Sententiam generalem ad eradicandum aliquod vitium censuram ferat, quæ ipso Jure incurratur; tunc enim in foro conscientiæ eâ afficietur, qui delictum patravit, etiamsi hoc in foro externo probari nequeat. Engl *hic n. 109.*

81 *Quoad tertium casum* non conveniunt DD. Affirmant hoc casu innocentem ligari censurâ Gloss. *in c. 1. V. propter quam b. tit. in 6.* Durand. *in 4. dist. 18. q. 4.* Cordub. *l. 1. q. 43.* Moventur 1. *can. sententia 1. caus. 11. q. 3.* ubi Gregorius, *Sententia Pastoris*, inquit, *sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* 2. Judex procedens secundùm allegata, & probata justè procedit, ergo ejus sententia valet. 3. bona, quibus fideles per censuram privantur, dispositioni Ecclesiæ subduntur, ergo potest Ecclesia fidelem innocentem, qui nocens esse probatur, illis bonis privare. 4. præcepto lato à Judice, secundùm Juris ordinem procedente, subditus nequit resistere, sed tenetur eidem obedire saltem in facie Ecclesiæ, ut communiter notant DD. cum *S. Thom.* aliàs authoritas Judicis contemneretur, & disciplina corrueret. atqui transgressioni prædicti præcepti Judex annectit censuram. ergo validè annectit, & cons. ligat.

82 Sed dicendum, probabiliùs hoc casu innocentem censurâ non ligari. Ita *Cajet. Sot. Covar. Navar. Tolet. Suar. Avil. Laym.* apud Palao *p. 8. cit. n. 14.* quos etiam ipse sequitur *n. 15.* & post eum Engl *n. 107.* König *n. 11.* Reiffenstuel *n. 40. & seqq.* Ratio est, quia præceptum illud Judicis nititur falsa præsumptione obligationis, & errore aperto, igitur cum alienum sit à benignitate Ecclesiæ cogere, & obligare sub Censura ad solvendum tanquam debitum, quod nullo modo est debitum, non est credendum ullam sic condemnato obligationem induci ex hoc præcepto.

Tria tamen cum Palao *l. cit.* hìc ad- 83
verto. 1. sic condemnatum obligatum esse Judicis præceptum exequi, quando illud absque scandalo non potest subterfugere: hoc autem non vi præcepti, quod nullum est, sed vi juris naturalis, quod obligat, ne potestati publicæ, justè, & Juridicè præcipienti, resistatur, etsi, quod præcipit, minùs justum sit. Qui tamen eo casu inobediens fuerit etiam publicè, per hoc non incurret censuram; quia non delinquit adversùs præceptum, cui Judex censuram annexuit, sed contra præceptum Juris naturalis non resistendi potestati justè, etiam non justum, judicanti. 2. is, quem Judex hunc in modum censurâ affecit, in foro animæ, & coram DEO ob ejusmodi censuram non est privatus communione fidelium, Ecclesiæ suffragiis, Jurisdictione Spirituali &c. quia hi effectus censuræ veræ annectuntur, & non existimationi illius: in foro tamen externo his omnibus bonis privatus est; quia in eo foro verè censurâ ligatus reputatur. Et hinc 3. ita censurâ percussus obligatur in publico abstinere ab omnibus actibus, qui per censuram prohibentur: sed hoc ex vi præcepti naturalis, quâ, ùt dixi, quisque obligatur parere Judici suo, ne authoritatem ejus videatur contemnere; non tamen vi censuræ; quia illa censura est nulla, cons. nullum ponit impedimentum.

Argumenta *n. 81.* opposita facilè 84
dissolvi possunt. *Ad 1.* Gregorius non dixit, sententiam injustè latam servandam, sed timendam, i. e. non ex superbia contemnendam, uti contemneretur, si cum scandalo illam violares. *Ad 2.* ad sententiam validam non sufficit, quòd Judex justè, præcipiat, sed requiritur, quòd justum præcipiat. *Ad 3.* jam dixi, privationem actualem non esse necessariam ad tuendam authoritatem Ecclesiæ; quia satis est, si ita Censuratus pro tali se gerat in facie Ecclesiæ. Eadem responsio est *ad 4.*

Quæritur 8. quis possit absolvere à 85
censura? Distinguendum est inter censuram latam ab homine, & inter eam, quæ lata à Jure est. Et hinc

Dub. 1. quis possit absolvere à censuris specialiter latis ab homine? R. ab his absolvere solùm potest ille, qui tulit illam, & ejus Successor, Superior, vel Delegatus, & nullus alius. Avil. *p. 2. c. 7. D. 1. dub. 9.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 11. §. 4. n. 1.* Vallens. *hic §. 7. n. 3.* Engl *n. 114.* Pirh. *n. 143.* König *n. 22.* Reiffenst. *n. 242.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 126. & 131.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 171. & seqq.*

Di-

86 Dixi 1. *absolvere potest ille, qui tulit.* Ita S. Thom. *in addit. p. 3. q. 24. art. 1.* S. Bonav. *in 4. dist. 18. ult. part. dist. q. 6.* Suar. *D. 7. de censur. sect. 2. n. 2.* Coninck *D. 14. dub. 16. n. 254.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 2.* Palao *l. cit.* & colligitur ex *can. verbum 51. de Pœnit. dist. 1. c. pastoralis 11.* §. *præterea de Offic. Ordin.* & favet *Reg. Jur. 1.* ibi: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* item *Reg. 35. ff.* ibi, *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est.*

87 *Extenditur 1.* etiamsi reus domicilium mutet; adhuc enim absolvendus est ab eo, qui tulit sententiam *arg. c. proposuisti 19. de for. compet.* Angel. *V. absolutio 1. n. 7.* Sayr. *l. Thesaur. c. 20. n. 4.* Suar. *sect. 2. cit. n. 26.* Palao *l. cit. n. 2.* Ratio est, quia mutatione domicilii subterfugere non potest Jurisdictionem authoris censuræ, *Extenditur 2.* etiamsi Appellationem interposuerit; nam adhuc absolvi debet à ferente censuram, siquidem iste sit Ordinarius. Sayr. *l. cit. n. 3.* Suar. *n. 32.* Palao *n. 3.* & colligitur apertè *ex c. si à Judice 10. de Appellat. in 6.* Ratio est, quia per Appellationem interpositam Judex *à quo* non privatur Jurisdictione quoad ea, quæ Appellationi non obstant. at absolutio à censura non obstat, sed potiùs juvat Appellationem, cùm sit id, quod per Appellationem intenditur. Addidi autem, *si quidem sit Judex Ordinarius;* nam Delegatus, etsi ante admissam Appellationem impendere absolutionem possit, non tamen eâ admissâ; quia eo ipso privatur jurisdictione.

88 Ut verò Author censuræ à se censuratum possit absolvere à censura, requiritur, ut absolutio non sit ipsi specialiter prohibita; nam plures sunt casus, in quibus authori Censuræ non permittitur absolutio. 1. si fiat Excommunicatus vitandus; tunc enim privatur omni jurisdictione, quam habuit, ut *infrà n. 163.* dicetur. 2. si censurandi potestas ipsi commissa est absque cognitione causæ *c. fin. §. fin. de Offic. Deleg.* quia nudum ministerium, & executio ipsi commissa censetur. 3. si Pontifex ex certa scientia censuram, ab Ordinario latam, confirmet: nam eo ipso absolutionem sibi reservat; quia ex confirmatione Ordinarii sententiam suam facit *arg. c. si quis 1. de confirm. util. & inut.* & *c. si Apostolicæ 22. de Præb. in 6.* 4. si lata ab Ordinario sit in incendiarium; quia reservatur Papæ *c. tua nos 19. h. tit.* 5. si Papæ Delegatus excommunicârit aliquem; nam hic ab eodem Delegato post annum ab incursa Excommunicatione absolvi nequit *c. quærenti 26. de Offic. Deleg.*

Dixi 2. *ejus successor;* nam quòd iste 89
censuras, ab Antecessore suo latas, possit per absolutionem tollere, deciditur *can. si Episcopus 40. caus. 11. q. 3.* quia eandem cum Antecessore potestatem habet, & eadem cum ipso persona censetur. Et hoc verum est etiam in Successore Judicis Delegati *c. pastoralis 28. §. præterea de Offic. deleg.* Item etsi tantùm sit Successor ad tempus: & hinc Capitulum Sede vacante, medio Vicario à se electo, absolvere potest excommunicatos ab Episcopo *c. un. de major. in 6.* *Excipiuntur* ij casus, in quibus Antecessor non potest absolvere à censura à se lata; quia successor non majorem, sed æqualem cum Antecessore potestatem habet. Conf. Succesior non potest absolvere à censura in casibus *n. præc.* relatis.

Dixi 3. *Superior*, intellige, si pleno 90
jure Superior sit; nam hujus potestas ab inferiore limitari, vel circumscribi non potest *Clem. 2. de Elect.* conf. dum absolvit à censura, per inferiorem lata, jure proprio utitur, & ideo eidem injuriam nullam irrogat. *Excipitur*, nisi consuetudine habeatur contrarium, sicut contingit in Regularibus subjectis Episcopo; nam hi si excommunicati, vel suspensi fuerint à Prælato suo Regulari ex causa Religiosam disciplinam spectante, ab Episcopo absolvi nequeunt, nisi mediâ Appellatione interpositâ; quia prima instantia Regulari Prælato competit, juxta Gloss. *in c. quanto V. si Prælati de Offic. Ordin.* Nunquam tamen Superior absolvere debet Censuratos ab inferiore, etsi validè possit, quin priùs satisfactionem plenam exigat, & inferiorem Prælatum moneat, ne ejus authoritas contemni videatur. Palao §. *4. cit. n. 6.*

Addidi, *Si pleno jure Superior sit:* 91
Hinc Archiepiscopus absolvere pro libitu non potest à censuris Suffraganeorum suorum, sed tantùm tempore Visitationis *c. cùm ex officii 16. de Præscript.* vel causâ ad ipsum per Appellationem devolutâ *c. Romana 5.* & *c. venerabilibus 7. h. tit. in 6.* quia non est Superior Suffraganeorum suorum pleno jure, sed tantùm in certis casibus. Idem est de Patriarcha, vel Primate respectu Archiepiscoporum *c. venerabilibus cit.* Imò nec Legatus à Latere, quamvis omnium Prælatorum Provinciæ suæ Judex sit, & Superior, potest absolvere censuratos ab inferioribus Prælatis extra casum Appellationis. Abb. *in c. pastoralis cit. §. præterea n. 1.* Navar. *Man. c. 27. n. 40.* Suar. *sect. 2. cit. à n. 2.* Laym. *c. 7. n. 2.* Palao *n. 7.* Engl *n. 117.* Pirhing *n. 154.* & *seqq.* Wiestner *n. 53.* Reiffenstuel *n. 244.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 137.*

Dixi 4. *Vel Delegatus:* ubi tamen 92
est distinguendum; nam absolvere potest à cen-

censura lata à Delegante, si delegatus sit cum cognitione causæ: non potest, si absque cognitione causæ potestas ferendi censuras ipsi concessa est; quia tunc nudum ministerium ipsi delegatum est. Navar. *n. 40. cit.* Ugolin. *tab. 1. c. 4. §. 4.* Sayr. *c. 20. n. 24.* Avil. *p. 2. c. 7. D. 1. dub. 9. cas. 4.* Suar. *D. 7. sect. 7. n. 8.* Laym. *c. 7. cit. n. 2. ℣. denique.* Palao *n. 8.*

93 Dixi *5. Et nullius alius;* nam præter hactenus enarratos nulli alii potestas absolvendi à censura specialiter lata competit. Ratio est manifesta; nemini enim alteri reperitur concessa hujus vinculi dissolutio: & meritò, ne Judicum Jurisdictio turbetur, vel eorum authoritas contemnatur. *Excipitur*, si reus paratus sit satisfactionem præstare, sed ob infirmitatem, vel aliud impedimentum adire non possit censuræ authorem, ut absolvatur; tunc enim ab æquali Judice, vel inferiore absolvi potest, præstito Juramento, quòd, quam primum poterit, se præsentabit ei, cui de jure competit absolutio, juxta *c. ea noscitur 13. quod de his 26.* & *c. quamvis 58. h. tit.* Ratio est, quia cùm censura sit pœna medicinalis, multis Spiritualibus commodis privans, expediebat eam, posita correctione, auferri.

94 Addidi *à censura specialiter lata;* nam si generaliter lata sit, omnes possunt absolvere, qui possunt absolvere à censura, lata à Jure. Avil. *D. 1. cit. dub. 9.* Laym. *n. 3.* Palao *n. 10.* Vallens. *§. 7. n. 3.* Pirhing *n. 143.* Reiffenstuel *n. 246.* la Croix *n. 126.* & colligitur ex *c. ex frequentibus 3. de Instit.* Ratio est, quia ex absolutione hujus censuræ, ab aliis Prælatis facta, non perturbatur Tribunal Judicis ferentis censuram, cùm reus non fuerit nominatim citatus. Neque obstat *c. nuper 29. h. tit.* ubi dicitur, quòd solùm à censura Juris non reservata possint alii à ferente censuram absolvere; nam intelligendum hoc est casu, quo specialis sententia in speciales personas lata est cum earum citatione, non verò, cùm per Sententiam generalem; nam censura lata per Sententiam generalem censuræ Juris æquiparatur: unde qui à Juris censura potest absolvere, etiam ab hac potest absolvere.

95 Dub. 2. quis possit absolvere à censura Juris? ab hac, si non sit reservata, à quocunque lata sit, possunt absolvere sibi subditos omnes illi, qui Jurisdictionem in foro externo habent: atque adeò non tantùm Episcopi, sed etiam Abbates, Guardiani, Rectores, Priores &c. respectu sibi subditorum. Ita post *Gloss. Abb. Felin.* Navar. *Man. c. 27. n. 39.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 12. n. 4.* Ugolin. *de censur. tab. 1. c. 10. n. 1.* Henriq. *l. 13. c. 27. n. 3.* Suar. *D. 7. de censur. sect. 3. n. 2. & 10.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 11. §. 5. n. 1.* Vall. *hic §. 7. n. 3.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 246.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 174.*

Controversia est de Parocho, aliove 96
Sacerdote, potente absolvere à peccatis mortalibus, an etiam absolvere possit à censura non reservata? Negant Gloss. *in c. si Episcopus V. reservantur de Pœnit. & Remiss.* Abb. *in c. 2. n. 3. & in c. nuper 29. n. 6. h. tit.* Covar. *in c. alma §. 12. cit. n. 5.* Sayr. *l. 2. Thesaur. c. 19. fin.* Moventur, quia ad censuræ absolutionem, sicut ad ejus latorem requiritur Jurisdictio fori externi, quâ Parochi, & alii simplices Sacerdotes carent. *Sed hoc non obstante*, dicendum, posse Parochum, & alium Sacerdotem proprium absolvere à censura Juris non reservata. Ita Innoc. *in c. nuper cit. n. 6.* Sylv. *V. absolutio 1. n. 4.* Navar. *n. 39. cit.* Suar. *n. 2. & 10. citt.* Avil. *p. 2. de Censur. c. 7. dub. 4.* Coninck *D. 14. dub. 6. concl. 2. n. 130.* Palao *§. 5. cit. n. 3.* Engl *hic n. 114.* Pirh. *n. 141.* König *n. 22.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 246.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 126. & 128.* P. Schmier *n. 174. cit.* & communiter TT. cum S. Thoma *addit p. 3. q. 23. art. 2.* Colligitur ex *c. nuper cit.* ubi quidem sermo est de Excommunicatione minori tantùm, ratio tamen subjuncta generalis est, & militat pro absolutione à quacunque Censura; *quia nimirum Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Ad Argumentum contrarium* hic vel nulla requiritur Jurisdictio fori externi, cùm absolutio talis tantùm pro foro conscientiæ, vel si aliqua requiritur, hæc erit extraordinaria, vel delegata à Jure. Palao *n. 4.* Suar. *n. 29. &c.*

Dixi autem *n. 95.* in Responsione: 97
Si non sit specialiter reservata; nam si reservata sit, nullus alius ab authore censuræ, vel ejus Successore, Superiore, aut Delegato potest absolvere. Suar. *D. 7. sect. 5. n. 1.* Avil. *c. 7. cit. dub. 5.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 1. concl. 2.* Palao *§. 5. cit. n. 5.* Engl *n. 119.* Pirhing *n. 142.* Reiffenstuel *n. 249.* la Croix *n. 126.* Schmier *n. 177.* & teste Palao tradunt omnes. Sumitur expressè ex *c. nuper cit.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus Conditor Canonis hanc potestatem concedit alii. Sic enim 1. ab Excommunicatione Canonis ob percussionem Clerici absolvere potest Episcopus mulieres, & impuberes, etiam post pubertatem prout dicetur *infrà n. 249.* 2. idem Episcopus absolvere potest ab omnibus censuris, & pœnis, Sedi Apostolicæ reservatis, modò non fuerint publicæ, neque ad forum contentiosum deductæ, vi Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* excepto Homicidio voluntario Vallens. *hic §. 7. n. 6.*

Engl

Engl *n. 120.* la Croix *n. 126. & 141.* 3. Religiosi mendicantes, & alii, qui cum iis communicant in privilegiis, absolvere possunt ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ, ut habetur in *Compend. Privil. Societ. JESU V. Absolutio §. 1.* Engl *l. cit.* König *n. 22.* Wiest. *n. 51. fin.* la Croix *n. 126.* 4. pro articulo mortis Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacr. Pœn.* cuilibet Sacerdoti etiam Excommunicato concedit potestatem absolvendi ab omni censura sive Juris, sive hominis, præstito priùs juramento, quòd, quamprimum poterit, evanescente periculo, se absolutus præsentare velit Superiori, à quo de jure absolvendus erat; alioquin, si contra Sacramentum Superiori se non præsentaverit, in eandem censuram reincidet *c. eos qui 22. h. tit. in 6.* Suar. *D. 22. sect. 1. n. 62.* Barbos. *in c. nuper cit. n. 2.* Vallens. §. *7. n. 2. & 4.* Engl *n. 115.* Pirh. *n. 142. ℣. excipitur.* la Croix *n. 126. & 130.* Schmier *n. 178. & 179.* cum reliquis *suprà.* 5. similiter cum obligatione comparendi coram censuræ authore conceditur facultas Episcopis, imò Sacerdoti proprio absolvendi quoslibet impeditos adire Pontificem, ex quacunque causa nascatur hoc impedimentum *c. ea noscitur. 15. & c. quamvis 58. h. tit.* Navar. *Man. c. 27. n. 81.* Sayr. *thes. l. 3. c. 20. n. 25.* Coninck *D. 14. dub. 16. n. 240.* Palao *p. 5. cit. n. 6.* Pirhing *n. 141. ℣. ad Parochos,* Wiestner *n. 50.*

98 Quæritur 9. quâ forma, ritu, & conditionibus absolutio censuræ sit concedenda? ℟. 1. forma in Jure nulla præscripta est, sed ea sufficit, quæ voluntatem absolvendi declarat, ùt si diceres, Ego te absolvo à vinculo Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti: potéstque fieri aut verbis, aut etiam scripturis; consuetudo tamen est observanda. Neque opus est exprimi causam, ob quam est incursa censura, tametsi expediens sit. Palao *tr. 29. D. 1. p. 11. §. 3. n. 1.* Vallens. *hic §. 7. n. 8.* Pirhing *ibid. n. 161.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 155.* 2. Ritus servandus in Absolutione Judiciali à censura Excommunicationis præscribitur *c. à nobis 28. h. tit.* & habetur in Pontificali Romano: omissio tamen illius absolutionem non reddit invalidam, ùt omnes fatentur, neque illicitam graviter, etsi expediat regulariter prædictas ceremonias observari. Hurtad. *D. 14. de Excomm. difficult. 4.* Palao *n. 4.* 3. conditiones aliæ requiruntur ex parte absolventis, aliæ ex parte absolvendi.

99 *Ex parte absolventis* requiritur 1. potestas absolvendi; nam sine hac nulla est absolutio. 2. libertas à coactione, & metu; nam coactè, & metu facta invalida est *c. un. de his, quæ vi met. caus.* & procedit hoc, sive justè, sive injustè, validè tamen lata censura sit; quia textus non distinguit. Suar. *D. 7. sect. 6. n. 13. & seqq.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 9. dict. 6.* Avil. *p. 2. c. 7. D. 2. dub. 5.* Palao §. *3. cit. n. 7.* Pirhing *n. 165.* la Croix *n. 153.* 3. ne absolvens in causa principali decipiatur. *Excipitur*, si constaret (quod præsumi non debet) ipsum Judicem, aliàs potestate absolvendi gaudentem, velle, non obstante fraude, absolvere; tunc enim tenebit Absolutio. Navar. *Man. c. 27. n. 38.* Ugolin. *tab. 1. de Censur. c. 19. §. 4. n. 4.* Sayr. *l. 2. c. 21. n. 26.* Avil. *D. 2. cit. dub. 4.* Palao *n. 8.*

100 *Ex parte absolvendi* regulariter requiritur 1. absolutionis petitio; cùm enim censura imposita sit ad delinquentis correctionem, expedit postulatione humili demonstrare se correctum esse. Hæc tamen conditio non requiritur necessariò, sed ut convenienter concedatur absolutio: hinc etiam concedi invito potest; non tamen expedit, nisi ex causa rationabili. Sayr. *c. 21. cit. n. 6.* Suar. *sect. 7. n. 5.* Palao *n. 9.* 2. requiritur, ut priùs satisfecerit parti læsæ, nisi sit impotens; tunc enim, præstita cautione pignoratitia, vel fidejussoria, aut si hanc non possit, juratoria absolvi potest. Navar. *c. 27. cit. n. 48.* Avil. *c. 7. cit. D. 3. dub. 5. concl. 1.* Sanch. *l. 2. mor. c. 13.* Coninck *D. 14. dub. 16. n. 106.* Laym. *p. 2. cit. c. 2. n. 8.* Palao *n. 6.* Pirhing *n. 163.*

101 Si Judex absolvat eum, qui non satisfecerit parti, & potuisset satisfacere, graviter peccat, tum ob injuriam parti factam, tum quia violat Juris ordinem, præscribentis, realem satisfactionem præmitti absolutioni, si fieri potest: absolutio tamen erit valida, saltem si detur à Judice Ordinario, aliàs potente absolvere. An autem sit valida facta à Judice Delegato gravis est controversia inter DD. Communior sententia negat esse validam; quia non est censendus delegans dare potestatem absolvendi contra Juris præscriptum, & in tertij præjudicium. Validum tamen esse probabiliter affirmant Sanch. *l. 2. de Matr. D. 33. n. 1.* Hurtad. *D. 14. diffic. 5. n. 21.* Avil. *D. 3. cit. dub. 1.* Laym. *n. 8. ℣. duo insuper,* Palao *n. 6.* Pirhing *n. 163. cit. ℣. prædictis.* Rationem dant, quia conditio illa parti satisfaciendi non aliâ cautelâ additur in Delegatione, quàm à Jure communi sit apposita. sed à Jure communi non apponitur ùt conditio, cujus defectus irritet absolutionem. ergo &c. Neque inde fit, peccare delegantem concedendo facultatem absolvendi validè, parte non satisfacta; nam sicut Ecclesia non peccat concedens Ordinario hanc potestatem, ita nec Ordinarius peccabit, si eo modo deleget illam, quo ipse habet: satis enim

juri tertij cautum est, dum absolutio hujusmodi prohibetur.

101 Præsentia rei, dum absolvitur, absolutè necessaria non est; quia sicut absens per litteras excommunicari potest, ita & absolvi: regulariter tamen expedit, eum esse præsentem, tum ad reverentiam censurarum, tum ad majorem humilitatem, & cautionem ipsius censurati. Sylv. *V. absolutio. 3. n. 9.* Navar. *Man. c. 26. n. 14.* Sayr. *c. 21. cit. n. 12.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 14.* Avil. *D. 2. dub. 1.* Laym. *c. 6. n. 9.* Palao *n. 10.* Pirhing *n. 164.* la Croix *n. 155. & 161.* Idem dicendum de absolutione medio Procuratore, scilicet regulariter non expedire, ut fiat, causa tamen urgente, concedi posse. Hic tamen Procurator speciale mandatum habere debet petendo Absolutionem, ut sic constet, censuratum recessisse à contumacia: item jurare debet, & præstare ea omnia, quæ absolvendus præstaret, si præsens adesset.

102 Quæritur 1o. quot modis contingat, absolutionem à censura fieri? R. *primus*, & præcipuus modus absolvendi à censura est simplex & absolutus, nempe cùm absolutè, & simpliciter reo emendato, & à contumacia recedenti conceditur absolutio.

2. Absolutionis modus est conditionatus, cùm absolutio sub aliqua conditione datur, ita, ut ea conditione deficiente, corruat absolutio. Et quidem, quòd absolutio à censura dari possit sub conditione de præterito, vel de præsenti, exploratum est apud omnes. An verò dari etiam possit sub conditione de futuro, controversum est inter DD. Negant S. Antonin. *3. p. tit. 24. c. 77. §. 1. prop. fin.* Angel. *V. Absolutio 3. pr.* Sylv. *V. eod. n. 1.* ea ducti ratione; quia absolutio à peccatis non potest sub conditione in futurum pendente, si illa contingens sit, dari, ergo neque absolutio à Censura. Deinde actus legitimi non recipiunt conditionem *Reg. actus legitimi 77. ff.* & *Reg. 60. in 6.* talis autem actus est absolutio à censura. ergo &c. Sed standum est pro sententia affirmativa, quam etiam defendunt Covar. *in c. alma p. 1. §. 11. n. 6.* Navar. *c. 26. n. 12.* Suar. *D. 7. sect. 8. n. 7.* Hurtad. *D. 14. diffic. 2.* Coninck *D. 14. dub. 16. n. 218.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 11. §. 2. n. 2.* Pirhing *hic n. 166.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 155. & 157.* Ratio est, quia nec Jure naturali, nec positivo irritatur hic modus absolvendi. Secluſa tamen causâ necessitatis, non est expediens, absolutionem sub conditione de futuro præstare, tum quia hoc alienum est à praxi, & usu recepto concedendi absolutionem, tum quia non decet ut Judex absolutionis suæ judicem constituat ipsummet reum, prout constituitur, qnando sub conditione ab ipso præstanda conceditur. *Ad argumentum contrarium* nego paritatem: nam absolutio à censuris immediatè pendet à voluntate absolventis exteriùs expressa; absolutio autem à peccatis à voluntate Christi, qui noluit ipsam pendere à conditione de futuro contingente. *Ad Conf.* illi actus vitiantur die, vel tempore appositio, quia à die, vel tempore absolvuntur; at Censuræ absolutio, licèt respicere nequeat diem, vel tempus determinatum, indeterminatum tamen respicere potest scilicet illud, in quo reus cessaverit à contumacia.

3. Modus absolvendi à censura vo- 104
catur *ad cautelam*; quia eo cavetur damnum, quod ex censura ignota tum censurato, tum alijs provenire poterat, & ideo frequenter præmittitur tum absolutioni Sacramentali ob Sacramenti reverentiam, tum Ordinum receptioni, tum Beneficiorum, aliorúmque privilegiorum collationi ad vitandam eorum invaliditatem: cujus exempla proponuntur *c. super eo 51.* & *c. seq. h. tit.* Hinc modus absolvendi præsupponit, censuratum vel ignarum esse suæ Censuræ, vel certè solùm suspicionem illius habere, non autem certitudinem. In foro conscientiæ concedenda est solo testimonio absolvendi, factâ promissione, quòd satisfacere velit, si constiterit de Censura. Sayr. *l. 2. Thesaur. c. 16. n. 19.* Palao §. *2. cit. n. 5.* In foro externo distinguendum est: nam si generatim solùm petitur absolutio à Censura, ita, ut nullius in particulari suspicionem absolvendus habeat, conceditur absolutio, nulla præmissa causæ cognitione, vel data cautione. At si specialis alicujus Censuræ absolutio petitur, probare absolvendus saltem semiplenè debet, se illâ Censurâ ligatum non esse, vel quia continet errorem, vel quia lata fuit post appellationem legitimè interpositam. Insuper citandus est is, ad cujus instantiam lata est, vel Judex, qui eam tulit, si ex officio processit: qui si opponant manifestam contumaciam, concedendus est ijs terminus octo dierum, ut id probent, & interim ab absolutione supersedetur. Quod si in probatione defecerint, condemnandi sunt ad expensas factas, & censuratus erit absolvendus; secus verò, si intentionem probaverint: quæ omnia colliguntur ex *c. solet 2. h. tit. in 6.* Porro absolutio hæc ad cautelam præstari potest ab eo, qui potest ab ea Censura absolutâ absolvere. An verò cuilibet Judici delegato potestas hæc competat, variant DD. *Covar.* & *Sayr.* apud Palao *n. 6.* distinguunt, & negant de Judicibus delegatis ad causas cognoscendas in Curia Ro-

Romana, excepto casu referendi testimonium, nisi specialiter ea potestas commissa fuerit; contrà de Judicibus delegatis ad causas cognoscendas extra Curiam concedunt, & hoc per potestatem ex usu acceptam.

105 4. Modus absolvendi, & satis frequens est *ad Reincidentiam*, eò quòd absolutus in eam iterum incidat, si opus sub Censura præceptum non exequitur. Palao *n. 7.* la Croix *n. 158.* Hoc absolvendi modo frequenter utuntur Judices in debitis pecuniariis; absolvunt namque debitorem, consentiente creditore, ab Excommunicatione incursa ob debitum non solutum, impositio præcepto, ut intra certum tempus fiat solutio, sin minùs, eâdem Censurâ ligetur. Potest autem absolutio hæc præstari tripliciter. 1. conditionatè, scilicet adjecta conditione, ut si mandato non pareat absolutus, in eandem reincidat. 2. pro aliquo tempore absolutè, pro reliquo sub conditione certi operis præstandi intra certum tempus, ut si hoc intra illud tempus præstiterit absolutus, in perpetuum absolutus sit. 3. ad certum effectum duntaxat, v. g. ut excommunicatus testimonium perhibere in Judicio, vel alium actum, aliàs Censurato non permissum, exercere possit: quo tamen modo absolutus, non ab ipsa Censura, sed ab aliquo tantùm effectu v. g. impedimento per eam inducto liberatur. Palao *n. 12.* la Croix *n. 158.* & alij ab his *citt.*

Porro omnes isti modi absolvendi à
106 censuris præstari possunt in foro interno, & externo. Si in foro interno tantùm fiat absolutio, non potest sic absolutus publicè se immiscere actibus per censuram prohibitis, & si contrà faciat, à Judice, quamvis huic constet de absolutione, puniri poterit, tanquam transgressor censuræ, mitiùs tamen, quàm si verè transgressor esset: imò si velit, poterit prædictam absolutionem Judex pro foro externo admittere, & à punitione supersedere, nisi à parte urgeatur. Avil. *p. 2. c. 7. D. 3. dub. 12.* Suyr. *l. 2. Thesaur. c. 20. n. 31.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 7.* Palao *n. 13.*

107 Quæritur 11. an censura semel incursa non possit tolli aliâ viâ, quàm absolutione? ℣. negativè. Covar. *in c. alma p. 1. §. 11. n. 5.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 11. §. 1. n. 2.* Pirhing *hic n. 179. ℣. hinc colligitur.* Engl *n. 17.* Reiffenstuel *n. 240.* Ratio est, quia censura auferri nequit, nisi à potestate concessa Petro solvendi ligatos, sed hujus potestatis actus est absolutio, sicut potestatis actus est ligatio. ergo censura absolutione duntaxat tolli potest: & hinc

Colligitur 1. non cessare illam ob 108
mortem authoris; nam esto, ab eo pendeat in fieri, non tamen in conservari. Accedit, quia censura est pæna, sed pæna, Jure sic disponente, durat, usque dum tollatur legitimè *can. si Episcopus 40. caus. 11. q. 3. c. pastoralis 11. §. præterea de Offic. Ord.* Coninck *D. 14. dub. 16. n. 198.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1.* Palao §. *1. cit. n. 2.* Wiestner *hic n. 47.* Reiffenstuel *n. 240.* la Croix *n. 127.*

2. Non tollitur plenè, & perfectè 109
morte censurati. Navar. *Man. c. 27. n. 71.* Covar. §. *11. cit. n. 8.* Suar. *D. 7. de Censur. sect. 1. n. 5. & 6.* Coninck *n. 201.* Laym. *n. 7. pr.* Palao *n. 3.* Reiffenstuel *l. cit.* la Croix *n. 159.* & dicatur satis *c. à nobis 28. c. sacris 38. h. tit.* & *c. is, cui 20. eod. in 6.* & ratio est, quia censura non tantùm afficit delinquentem, sed alijs fidelibus obligationem imponit abstinendi à censurati communione; ex hac autem parte morte censurati non perit, siquidem eo mortuo nequeunt vivi ejus corpus sepulturæ Ecclesiasticæ, tradere, pro ejus anima Sacrificium offerre, & preces publicas fundere.

3. Non tollitur sola satisfactione, 110
parti læsæ facta, & emendatione delinquentis, si censura absolutè sit lata. Palao *n. 4.* cum cæteris *suprà* allegatis. Ratio est, quia esto, quòd imponatur, ut parti fiat satisfactio, & delinquens corrigatur, id solùm probat, posità satisfactione, & correctione, debere à Judice auferri, non tamen, quòd ipsa ex se cesset *c. desideres 15. h. tit. c. qua fronte 25. de appell. c. ex litteris 11. de constit.* Hinc Alexander VII. damnavit hanc 44. Propositionem: *Quoad fora conscientiæ correctio, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

Dixi, *Si censura absolutè sit lata*; nam 112
si feratur Censura, quousque satisfecerit reus verius est, posita satisfactione ipsum pro absoluto habendum Covar. *n. 5. cit.* Suar. *sect. 1. cit. n. 11.* Coninck *n. 228.* Laym. *n. 1.* Palao *n. 4.* Wiestner *n. 48.* Reiffenstuel *n. 241.* Sed tunc verba ipsa, quibus Censura sub tali conditione illata est, absolutionem ab illa posita conditione, continent in se implicitè, præstántque hunc sensum: *Si intra tres dies non satisfeceris, Excommunicationem incurras, à qua sis absolutus, præstita satisfactione.*

§. II.

De Excommunicationis Censura.

SUMMARIUM.

112. *Definitio Excommunicationis.*
113. *Ejus explicatio.*
114. *Bona, quibus privat Excommunicatio.*
115. &c. *Ejus varietas.*
117. *Quid sit Anathema?*
118. &c. *An voce Excommunicationis simpliciter prolata intelligatur Excommunicatio major, an minor?*
121. &c. *Quinam sint Excommunicati vitandi?*
126. &c. *Quibus rebus Divinis, & Sacris privet Excommunicatio?*
134. &c. *An, & quomodo Ministri Ecclesiæ possint Orationes Ecclesiæ publicas, & Sacrificia offerre pro Excommunicatis?*
140. &c. *An Sacramenta, quæ Excommunicatus recipit, valida sint?*
144. &c. *Quando Excommunicatus licitè, & valide administrare Sacramenta possit?*
147. &c. *Quomodo Excommunicatio privet Beneficijs, & Officijs Ecclesiasticis?*
149. &c. *An valida sit acceptatio Beneficij, si hoc collatum sit ante Excommunicationem, acceptatum post illam?*
152. &c. *Utrum Excommunicato validè possit conferri Pensio?*
156. &c. *An Excommunicatio privet fructibus Beneficij?*
163. &c. *An, & quomodo Jurisdictione Ecclesiastica?*
167. &c. *Quomodo privet communicatione forensi?*
170. &c. *Et Officijs publicis?*
174. &c. *Quomodo potestate contrahendi, & obligandi civiliter?*
177. *Quibus actionibus privetur Excommunicatus, dum privatur communicatione Politica?*
178 &c. *Quando communicans cum Excommunicato peccet mortaliter?*
183. &c. *Quibus casibus communicatio sit permissa?*
195. &c. *Qui sint Effectus indirecti Excommunicationis majoris?*
198. &c. *Quis sit Effectus directus Excommunicationis minoris?*
201. &c. *Quis ejus Effectus sit indirectus?*
205. &c. *Quis possit absolvere ab Excommunicatione minori?*
209. &c. *Ex qua causa incurratur?*

112 QUæritur 1. quid sit *Excommunicatio?* R. communiter à DD. definiri, quòd sit *Censura ab Ecclesia instituta, separans Excommunicatum à communione fidelium.* Ita quoad sensum Covar. *in c. alma p. 1. n. 2.* Suar. *D. 8. de Censur. sect. 1. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 1. n. 2.* Vallens. *hic §. 1. n. 5.* Engl *n. 27.* Pirhing *n. 4.* König *n. 23.* Wiestner *n. 30.* Reiffenstuel *n. 47.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 176.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 185.* & colligitur ex *can. omnis christianus 32.* & *can. canonica 107. caus. 11. q. 3.*

113 Dicitur 1. *Censura*; quia castigat, & corrigit rebelles, & contumaces privatione bonorum Ecclesiasticorum: & licèt aliquando feratur etiam in eum, qui non præsumitur emendandus, id eam ob causam fit, ne alij ejus communicatione inficiantur *can. resecandæ. 16.* & *can. seq. caus. 24. q. 3.* Dicitur 2. *ab Ecclesia instituta*; quia pœna Ecclesiastica est, & ex institutione Ecclesiæ originem trahit, ut pluribus probat Sayr. *l. 1. Thesaur. c. 4. n. 8.* Dicitur 2. *separans excommunicatum à communione fidelium*: quo distinguitur Excommunicatio ab aliis Censuris Ecclesiasticis; nam Suspensio solùm privat Beneficii, & Officii Ecclesiastici usu, Interdictum Divinis Officiis secundùm eorum naturam; Excommunicatio verò directè, & per se & illis, & aliis adhuc bonis privat.

Porro bona, in quibus fideles 114
communicant inter se, ut *n. 2.* dixi, sunt triplicis generis, videlicet, Interna, merè externa, & mixta: ex his Ecclesia solùm privat Excommunicatos communicatione in bonis secundi, & tertii generis ut *infrà* fusiùs explicabitur à *n. 126.* Hinc patet, Excommunicationem esse omnium pœnarum Ecclesiasticarum gravissimam, utpote quæ privat maximis bonis Spiritualibus: quæ causa fuit, ut Cælestinus III. *c. cùm non ab homine 14. h. tit.* dicat, Ecclesiam post pœnam istam non habere, quid ultra faciat: & Trid. *sess. 25. c. 3. de reform.* monet, ne Ecclesiastici Judices hac Censurâ utantur, nisi quando jam nullum aliud remedium supereset: & ob eandem rationem nunquam fertur in Communitatem *c. Romana 5. h. tit. in 6.* ne contingat innocentem aliquem ligari. Pirhing *hic n. 8. not. 2.*

Quæritur 2. quotuplex sit Excom- 115
municatio? R. alia est justa, alia injusta *Justa* est, quæ infertur à legitimo Judice, propter peccatum contumaciæ, & servato Juris ordine. *Injusta* est, cui aliquid horum deficit. Injusta rursum duplex est,

quæ-

quædam *Valida*, quædam *Invalida*, ac nulla. *Valida*, quamvis injusta, Excommunicatio est, cui tantùm deest circumstantia debiti finis, vel quædam solennitas accidentalis, ad substantiam Excommunicationis non pertinens. *Invalida* verò nullum effectum habet, nec obligat, nisi aliquando ratione scandali, ut quia fertur à non habente potestatem, vel contra alicujus privilegium, vel post legitimam Appellationem, vel quando continet errorem intollerabilem. Avil. *de Censur. p. 2. c. 6. D. 1. dub. 1.* Tann. *tom. 4. D. 6. q. 10. dub. 1. n. 21.* Pirhing *hic n. 9.*

116 Celeberrima Divisio Excommunicationis est in Majorem, & Minorem. *Major* est, quæ Excommunicatum privat simpliciter omnium bonorum, inter fideles communium, participatione; *Minor* verò tantùm privat usu Sacramentorum passivo, i. e. eorum receptione. Ex quo sequitur, quis sit Effectus utriusque Excommunicationis; nam Effectus directus Excommunicationis minoris est unicus, scilicet privatio passiva Sacramentorum; majoris verò duodecim enumerantur, qui tamen ad quatuor Classes deduci possunt. *Prima* concernit Suffragia fidelium Sacramentorum usum, & alias actiones Spirituales. 2. Beneficia, & Officia Ecclesiastica, quibus privat. 3. Officia Civilia. 4. Communicationem politicam cum Excommunicato.

117 *Dubitatur 1.* quid intelligatur nomine *Anathematis?* R. *Anathema* maledictionem, seu execrationem significat. In usu Ecclesiæ significatur hac voce Excommunicatio major. Usurpatur vox ista in SS. Canonibus in triplici sensu. 1. ad significandam Excommunicationem, incursam ob Hæresim, vel illius suspicionem, utpote omnimodam, & præcipuam ab Ecclesia separationem *c. cùm non ab homine 14. h. tit.* & Trid. *sess. 25. c. 3. de Reform.* 2. ad significandas quasdam Excommunicationis solennitates, videlicet cùm Excommunicatio denuntiatur accensis candelis, & postmodum extinctis, aliisque ceremonijs ab Ecclesia institutis. 3. denique sumitur Anathema ad distinctionem minoris Excommunicationis, ut in *can. Engeltrudam 12. caus. 3. q. 4.* ubi priùs lata fuit Excommunicatio minor, & postea major. Palao *tr. 29. D. 2. p. 1. n. 3.*

118 Dub. 2. de qua Excommunicatione intelligenda sit vox *Excommunicatio* absolutè prolata, de majori, vel minori? *Rationem dubitandi* facit *c. pia 1. de Except. in 6.* ubi statuitur, eum, qui in Judicio Excommunicationem opponit, illius speciem declarare debere, *quod dictum est* (inquit *Glossa*) *propter species majoris & minoris*, ergo si nomine Excommunicationis absolutè prolato non venit Excommunicatio major intelligenda; aliàs Excommunicationis species declaranda non foret, cùm satis declarata esset.

Sed dicendum, etsi ante Gregorium 119
IX. Excommunicatio simpliciter sumpta sæpe pro minori intelligebatur, ut constat ex *can. Engeltrudam cit.* & alijs textibus, post Gregorium tamen nunquam pro minori, sed majori sumitur. Covar. *in c. alma p. 1. §. 8. n. 5.* Henriq. *l. 13. c. 2. n. 2.* Sayr. *l. 1. Thes. c. 4. n. 19.* Coninck *D. 14. dub. 1. circa fin.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. n. 1.* Palao *D. 2. cit. p. 2. n. 3.* Vallens. *hic §. 2. n. 1.* Pirhing *n. 7. & 8.* König *n. 24.* Wiestner *n. 32.* Reiffenstuel *n. 53.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 176. & 177.* & hoc ipsum declarat consuetudo, ac definivit expressè citatus Pontifex *c. siquem h. tit.*

Ad Rationem dubitandi Covar. & 120
Avil. *p. 2. c. 1. dub. un.* dicitur, decisionem illius textûs esse specialem in favorem causarum Judicialium & Judicum, ne lites in infinitum his Exceptionibus protrahantur. Suar. *D. 8. sect. 3. n. 6.* & Coninck *l. cit.* ajunt, speciem Excommunicationis exprimendam, non quidem, an major, vel minor sit; quia jam supponitur majorem esse: sed ex quo delicto contracta sit, videlicet, an violatione Ecclesiæ, percussione Clerici &c. Colligitur ex verbis textûs, maximè ℣. *si verò*; probanda enim erat Exceptio apertissimis documentis, quod nullatenus fieri posset, allegata Excommunicatione in genere, nisi illius causæ, & circumstantiæ exponerentur.

Quæritur 3. quinam sint Excommu- 121
nicati vitandi? R. Jure antiquo tales fuêre quicunque majori Excommunicatione, à Jure, vel homine lata, ligati, eo solùm discrimine, quòd ij, quorum Excommunicatio publica, & notoria erat, publicè; ij verò, quorum Excommunicatio publicè nota non fuit, à cæteris fidelibus ejus consortijs privatim tantùm vitandi essent *c. cùm non ab hominis 14. h. tit.* Pirhing *n. 111.* Wiestner *n. 62. ℣. dubium nascitur.* Postea tamen ad excludenda varia scandala, & peccata, quæ conscijs timoratis accidere posse animadversum est, in *Concil. Constant.* à Martino V. *Const. Extrav.* incipit *Ad evitanda* Christi fidelibus indultum fuit, ut nemo deinceps à Communione alicuius, quacunque Censurâ, sive à Jure, sive ab homine lata, ligati abstinere, eúmque vitare teneretur, nisi sententia contra personam &c. certam à Judice specialiter, & expressè publicata fuerit, vel nisi eum per sacrilegam injectionem manuum in Clericum Excommunicationem à Canone latam adeò notoriè incurrisse constiterit, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, aut aliquo suffragio excusari. S. Anton.

3. p. tit. 26. c. 3. Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Gutier. QQ. *canon. l. 1. c. 1.* Vallens. *hic* §. *2. n. 1. v. notandum*, Pirh. *n. 113.* König *n. 32.* Wiestn. *n. 62. v. cit.* Reiffenst. *n. 135. & 136.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 174.*

122 Dub. 1. an hac *Constit. Extrav.* non obstante, hodie vitandi sint saltem ij, de quibus notorium est, quòd in Excommunicationem quacunque de causa inciderint? Affirmant Felin. *in c. Rodulphus 35. de Rescript. n. 39.* Sylv. *V. excommunicatio 5. n. 9.* Navar. *in can. 1. §. laboret de Pœnit. dist. 6. n. 10.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 2. n. 27.* propter *Concilium Basileense*, quod *sess. 20. fin.* affirmat, vitandos non solùm eos, in quorum personas Censura per sententiam à Judice publicata, & denuntiata est specialiter, & expressè, sed generaliter, quoscunque ita notoriè Excommunicationis sententiam constiterit incurrisse, ut nulla tergiversatione celari, nullóque Juris suffragio excusari possint, cùm igitur Concilium istud sit posterius Constantiensi, huic prævalebit *arg. l. sed & posteriores 28. ff. de LL. & c. licèt 1. de Constit. in 6.*

123 Sed adhuc standum est Decreto *Concil. Constant.* ut notant Henriq. *l. 13. c. 5. n. 1.* Suar. *D. 9. sect. 2. n. 5.* Avil. *p. 2. D. 2. dub. 2.* Coninck *D. 13. dub. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 1.* Engl *hic n. 56.* Pirhing *n. 13.* Wiestner *n. 63.* Reiffenstuel *n. 138.* & confirmat consuetudo passim recepta, præsertim in partibus Septentrionalibus, in quibus Hæretici notorii, & alii Excommunicati, exceptis duntaxat notoriis Clericorum percussoribus, & dicto modo denuntiatis, nequaquam vitantur. *Neque obstat* Concilium Basileense; nam hoc, tanquam Acephalum, ab Eugenio IV. revocatum, à Nicolao V. autem approbatum est quoad pauca duntaxat Decreta, spectantia Beneficiorum collationes, Dispensationes, & Censurarum absolutiones, igitur quoad cætera vim Juris non habet.

124 Dub. 2. utrum teneantur non censurati cum censuratis vitandis communicare? R. negativè; sed possunt, si velint, à communione cum ipsis privatim, imò publicè casu, quo Excommunicatio illorum publicè notoria est, abstinere: ac proinde possunt recusare imperium Prælati excommunicati, recedere à Missa Parochi censurati, opposita Exceptione declinare Judices, repellere actorem, Procuratorem, testem Excommunicatum, absque istorum injuria. Laym. *c. 4. cit. n. 2. v. tertium*, Engl *n. 54.* Pirhing *n. 115.* König *n. 32.* Wiestner *n. 65.* Reiffenstuel *n. 139.* la Croix *n. 184.* quia favore sibi indulto nemo cogitur uti *arg. Reg. invito 69. ff.* ne quod concessum est ob gratiam, in eorum dispendium detorqueatur *Reg. quod ob gratiam 61. in 6. Excipitur*, nisi alicujus Regionis consuetudo, aut fœdera publica cum ejusmodi Censuratis communicationem postularent: ex qua causa in Germania nostra Hæretici à muneribus publicis, à Contractibus, Judiciis & similibus actibus aliis excludi non possunt ab Orthodoxis. Pirh. *n. 115.* la Croix *l. cit.*

Dub. 3. an excommunicati tolerati communioni fidelium se possint ultro ingerere? 125 R. non posse, nisi à fidelibus non excommunicatis requirantur; quia à laudato *Concil. Const.* directè nullus favor Censuratis, sed aliis duntaxat indultus est, prout patet ex *cit. extrav.* verbis, ibi *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos - - - non intendit in aliquo relevare nec eis quomodolibet suffragari.* Vallens. §. *2. n. 1. §. notandum*, Pirhing *n. 115.* Wiestneri *n. 164.*

Quæritur 4. quibus rebus Divinis, 126 & Sacris Excommunicatum privet Excommunicatio? R. 1. privat *communibus Ecclesiæ Suffragiis*, quæ ex publicis Ministrorum Officiis, & Sacrificiis fidelibus provenire solent, item fructu satisfactionum, qui ex communi Ecclesiæ thesauro per Indulgentias, Prælatorum authoritate, applicatur. Constat ex variis textibus relatis *caus. 11. q. 3. c. à nobis 28. c. sacris 38. h. tit.* & ipso Ecclesiæ usu. Et hoc ita verum est, ut licèt Minister Ecclesiæ velit Indulgentias Ecclesiæ applicare Excommunicatis, publicas Ecclesiæ Orationes pro iis fundere, Missæ Sacrificium offerre, secundùm valorem ab Ecclesia provenientem, applicatio nullius sit valoris, sicut nullius valoris est distributio pecuniæ à servo facta contra domini voluntatem, & in personas ab eo exclusas. Dixi *Suffragiis communibus Ecclesiæ*, seu quæ præstantur nomine Ecclesiæ; nam quæ præstantur nomine singulorum fidelium, & ab ipsis Ecclesiæ Ministris, ùt particulares personæ sunt, iis Ecclesia Excommunicatos non intendit privare, cùm Ecclesiæ bona non sint, nec ejusdem dispositioni subjaceant: & hinc pro Excommunicatis, etiam denuntiatis, possumus proprio nomine, & privata intentione orare, bona opera pro ipsis exercere, & Sacrificii actum offerre. Sylv. *V. Excommunicatio 1. n. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 36.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 6. n. 4.* Suar. *D. 9. de Censur. sect. 4. n. 3.* Avil. *p. 2. de censur. c. 6. D. 4. dub. 1. concl. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2 c. 1. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 1. n. 3.* Pirh. *hic n. 4. & seqq.* Wiestn. *ibid. n. 31.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 189.*

2. Privat *Sepulturâ Ecclesiasticâ*: ubi 127 aliter discurrendum est de Excommunicatis denuntiatis, & non toleratis, aliter de non denuntiatis. *Posteriores*, siquidem decedentes signa Contritionis dederint, sepeliri in loco Sacro possunt, quamvis de-

ceat

ceat eos priùs absolvi ab Excommunicatione, ut omnis dubitatio tollatur, an Officia Divina iis profint. *Priores*, etsi pœnitentes obierint, sepulturâ tamen Ecclesiasticâ gaudere non possunt, sed necessariò, antequam in loco Sacro sepeliantur, absolvi debent c. *sacris 12. de Sepultur.* ubi ratio redditur, *Ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis.* Plura videri possunt *Libr. 3. Tit. 28. n. 49. & seqq.*

128 3. Privat *usu passivo Sacramentorum*, quatenus dum in excommunicatione sunt, Sacramenta ipsis non licet recipere. Extenditur pœna hæc etiam ad excommunicatum non denuntiatum c. *cùm illorum 32.* & c. *si quem 59. h. tit.* c. *fin. de Cler. excomm. ministr.* & ratio est, quia qui contumax est Ecclesiæ præceptis, meritò repellitur ab ipsius maximorum bonorum participatione. *Excipitur* periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum; quia Lex Ecclesiastica non censetur ita rigidè obligare. Si extra hos casus necessitatis Sacramenta Excommunicatus recipit, graviter peccat, non tamen ex tali illicita receptione pœnam incurrit, ùt ex communi docet Palao *D. 2. cit. p. 7. n. 6.* excepto Sacramento Ordinis, quem qui excommunicatione ligatus recipit ab executione Ordinis suscepti suspenditur c. *illorum cit.* Ministri tamen Ecclesiæ, si excommunicatis vitandis aliquod Sacramentum ministrent, antequam absolvantur, præter peccatum mortale incurrunt excommunicationem, & interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ c. *Episcoporum 8. de Privil. in 6.* & quidem, si à Pontifice nominatim excommunicati, & denuntiati fuerint incurrunt excommunicationem reservatam Papæ c. *significavit 18. h. tit.* & *Clem. 3. eod.* Accedet Suspensio ab Officio, si excommunicatus fuit ob Hæresim, aut quia fautor istorum fuit: nec restituendus est Officio absque Papæ dispensatione c. *excommunicamus 13. §. credentes de Hæret.*

129 4. Privat *usu etiam activo Sacramentorum*, seu potestate illa conferendi, & celebrandi Missam c. *latores 4.* & c. *fin. de cler. excomm. ministr.* Quodsi prohibitione hac insuper habitâ, Sacramenta administret excommunicatus, licèt ea valida sint (excepto Sacramento Pœnitentiæ, ob defectum Jurisdictionis, quam Ministro excommunicato adimit Ecclesia, extra casum extremæ necessitatis) in pœnam tamen temerariæ administrationis Irregularitatem incurrit c. *fin. cit.* Et hoc verum est, etiam cùm administrat in excommunicatione Sacramentum Pœnitentiæ; nam etsi tunc ob defectum Jurisdictionis, ùt dixi, non conficiat Sacramentum, in communi tamen modo loquendi Sacramentum absolutè ministrat, & hoc debet sufficere; aliàs, si ad incurrendam Irregularitatem requireretur, ut validè administraretur Sacramentum, etiam illam non incurreret Sacerdos, excommunicatus administrans Pœnitentiam indispositio, utpote qui verum Sacramentum non administrat: quod non admittunt DD.

5. Privat *Sacrificio Missæ*, ita, ut 130
nisi ob ignorantiam, vel necessitatem vitandi scandali, aut alicujus gravis damni excusetur, peccet mortaliter excommunicatus, etiam toleratus, assistens Sacrificio Missæ, vel notabili ejus parti. Suar. *D. 12. de Censur. sect. 1. n. 3.* Bonac. *de Censur. D. 2. q. 2. p. 3. §. 1. n. 3.* Palao *p. 9. n. 2.* Wiestner *hic n. 56.* Quodsi denuntiatus etiam sit, vel manifestus percussor Clerici, monendus est, ut exeat: quodsi noluerit, incurret novam excommunicationem Pontifici reservatam, & expellendus est etiam vi, si opus fuerit. Si verò nulla ratione expelli possit, Missæ Sacrificium, si Canon nondum inceperit, abrumpendum, vel si facta sit Consecratio, subjungenda sumptio, & tum recedendum ad Sacristiam non dictis Orationibus solitis, & aliis, quæ post sumptionem dici solent c. *is cui 20. h tit. in 6. Clem. 2. ỳ. nonnulli eod.* Sylv. *V. excommunicatio 5. n. 3.* Navar. *Man. c. 27. n. 33.* Suar. *sect. 1. cit. n. 11. & seqq.* Laym. *p. 2. c. 2. n. 6.* Wiest. *n. 36. cit.* la Croix *n. 196.* Quodsi autem Sacerdos coram Excommunicato scienter celebraverit, ultra peccatum, & excommunicationem minorem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ c. *Episcoporum 8. de Privil. in 6.* Fideles verò cæteri, Sacrificio assistentes, si videant Excommunicatum vitandum velle interesse eidem Missæ, coguntur recedere, ne cum ipso in eadem oblatione conveniant: si tamen non recedant, culpa ista, ut Palao *p. 9. cit. n. 8.* existimat, probabiliter venialem non excedit.

6. Prohibetur Excommunicatus vi- 131
tandus assistere aliis *Divinis Officiis*, uti sunt Horarum Canonicarum publica recitatio, Processio publica, Benedictio Chrismatis, Olei sancti, olivarum, aquæ benedictæ &c. *Ex quo sequitur*, eundem esse deobligatum, à publica recitatione Horarum, si fortè ea obligatione teneatur, sicut deobligatus est audire Sacrum ob Censuræ observationem, ne cum aliis communicet. A privata tamen recitatione Horarum non eximitur, si fortè titulo Ordinis Sacri, Professionis Religiosæ, aut Beneficii obligetur. Navar. *c. 27. cit. n. 103.* Saur. *D. 12. sect. 2. n. 13. & seqq.* Laym. *n. 6.* Palao *p. 9. n. 7.* Engl *n. 59.* Pirh. *n. 17.* Wiestn. *n. 56.* la Croix *n. 196. & 224.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 193.* Potéstque ad secum orandum ex aliqua necessitate, vel utilitate etiam vocare socium, præsertim si hic ei subditus sit, ut Episcopus Capellanum, Servum Dominus &c. nam

hic

hic non privatur communione Domini sui, in quibus inservire eidem tenebatur, ut *infrà n. 188.* dicetur. Quodsi tamen alius quispiam absque justa causa cum Excommunicato privatim recitaret Officium, is peccaret, sed probabiliter culpa hæc non excederet venialem, ut pluribus *citt.* docet Palao *l. cit. n. 9.* & rationem dat, quia eo casu Excommunicatus non se gerit ut persona publica, & Minister Ecclesiæ, cùm Ecclesia nolit medio illo Orationes fundere.

132 7. Privatur excommunicatus, saltem si vitandus sit, *facultate concionandi, legendi in Theologia, interpretandi Jus canonicum publicè.* Suar. *sect. 2. cit. n. 5.* Palao *n. 10.* la Croix *n. 281.* Ratio est, quia etsi Divinis Officiis hæc non comprehendantur, proximè tamen accedunt ad communicationem in Divinis. Dixi, *saltem si vitandus sit*; nam Excommunicatus toleratus, si ex Officio ei competat concionari, aut Theologiam, vel Jus Canonicum explicare, & non sit alius, qui vices ejusdem suppleat, munia ista obire potest: quia censendus est ab Auditoribus requiri; quilibet enim censetur velle, & petere, quæ sibi necessaria sunt. Addidi *concionandi, legendi &c.* Secus dicendum de auditore, si is sit excommunicatus; nam hic etsi probabiliter assistere Lectioni Theologicæ nequeat, permitti tamen potest, etsi Excommunicatus vitandus sit, assistere Concioni, ut colligitur ex *c. responso 43. hoc tit.* Suar. *n. 3.* Palao *n. 11.* Engl *n. 58.* Pirhing *n. 17.* Wiestner *n. 36.* Reiffenstuel *n. 63.* la Croix *n. 281.* Magnif. P. Schmier *n. 190.* & ratio disparitatis est, quia Concio dirigitur ad ejus salutem, ad hanc verò Lectio Theologica non ita directè est necessaria. An verò, eo casu, Excommunicato non recedente, teneantur Auditores cæteri à Lectione Theologiæ recedere, & ipse Lector ab ea cessare, dubium est inter DD. & in utramque partem stat authoritas. Palao *l. cit. n. 13.* putat, per se loquendo Lectorem teneri desistere, & auditores recedere eo casu ob rationem datam; quia est communicatio in re proximè accedente ad Divina: addit tamen, frequenter excusari ob bonum publicum, cujus interest, ne Auditores re tantopere utili priventur, maximè cùm hæc communicatio levis sit.

133 8. Prohibetur Excommunicatus ab *ingressu templi* tempore, quo Divina ibidem celebrantur; tunc enim per Ostiarios debet expelli. Aliis tamen temporibus optimè potest ibidem assistere, & privatim, ac separatus ab aliis fidelibus preces ibidem fundere, ùt cum communi docet Covar. *c. alma p. 1. §. 3. n. 7.* Navar. *c. 27. n. 17.* Suar. *D. 12. sect. 4. n. 1.* Coninck *D. 14. dub. 7. n. 58.* Bonac. *D. 2. de Censur. q. 2. p. 3. §. 2. n. 8.* Palao *p. 9. cit. n. 14.* Wiestner *n. 36.* la Croix *n. 210.* Similiter permittitur Excommunicato, & conveniens est usus SS. Imaginum, Reliquiarum, aquæ benedictæ, & reliquorum Sacramentalium. Palao *l. cit.* la Croix *n. 211.* *Neque obstat*, quòd aqua benedicta, & similia habeant valorem ex Orationibus Ecclesiæ, quibus privatur excommunicatus; namesto, quòd iis uti non possit, ut effectus provenientes ex Orationibus Ecclesiæ ipsi applicentur, uti tamen illis potest in illarum venerationem, & honorem, & ut se illarum memoriâ, & fructûs recordatione, quo per excommunicationem privatur, ad pœnitentiam excitet.

Dub. 1. an, & quomodo Ministri 134
Ecclesiæ possint Orationes Ecclesiæ publicas, & Sacrificia applicare, & offerre pro excommunicatis? *Certum est*, illicitè eos agere, saltem si in particulari publicas preces pro Excommunicato fundant. Palao *D. 2. p. 6. n. 4.* Ratio est, quia Ecclesia, privans ipsos his Spiritualibus bonis, consequenter fidelibus interdicit ne ea ipsis applicent, maximè cùm hæc applicatio inutilis sit, atque frustranea.

Difficultas est, an in genere, & in 135
communi licitum sit, pro his Orationes publicas, & Missæ Sacrificium offerre? Variant DD. in suis Sententiis. Solvi difficultas potest ope distinctionis inter excommunicatos vitandos, & non vitandos. Pro *Vitandis* Orationes publicæ, & Missæ Sacrificium etiam in genere, & in communi licitè offerri nequeunt, ut contra Sylv. *V. Excommunicatio 1. n. 2.* Marian. Socin. Senior. *in c. sacris n. 242. b. tit.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 6. n. 3.* melius docent Sayr. *l. 2. Thesaur. c. 4. n. 4.* Vasq. *de Excomm. dub 2.* Avil. *p. 2. c. 6. D. 9. dub. 3.* Palao *D. cit. p. 6. n. 6.* Ratio est, quia Ecclesia bona sua propriis membris dispensare intendit, non verò iis, quos à se abjecit. *Conf.* nam si subsidia Ecclesiæ excommunicatis prodessent saltem in genere, non magis essent excluſi à Suffragiis Ecclesiæ, quàm alii fideles non excommunicati; nam etiam pro his speciali intentione non offeruntur. *Neque obstat*, quòd Ecclesia in die Parasceves publicè oret pro Hæreticis, & Schismaticis; nam id facit eo die, ut significet, Christi Passionem tunc repræsentatam, quantum ex se est, ad omnes se extendere: imò quòd eo die pro illis oret publicè, & nullo alio, clarè indicat, se aliis temporibus nolle pro ipsis preces directè fieri. Interim tamen pro Hæreticis, & quibuscunque Excommunicatis preces fieri possunt indirectè, dum Orationes publicæ instituuntur ad extirpationem Hæresum. Fidei dilationem, unionem Ecclesiæ, Palao *n. 6. cit.*

Ex-

136 Extenditur Responsio data etiam ad casum, quo hujusmodi Excommunicatus contritus est, & per ipsum non stat absolvi, ut contra Sayr. *c. 4. cit. n. 5.* & alios rectiùs docent Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. §. attamen*, Suar. *D. 9. sect. 3. n. 2.* Coninck *D. 14. dub. 7. diffic. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 4.* Palao *p. 6. cit. n. 8.* Pirhing *n. 16.* la Croix *n. 205.* & sumitur ex *c. à nobis 28.* & *c. sacro 48. h. tit.* Ratio est manifesta; quia Excommunicatio non pœnitentiâ, sed absolutione tollitur. atqui excommunicatione manente, manet etiam illius effectus. ergo &c. Neque hoc est contra Ecclesiæ benignitatem, cùm cedat ad majorem Censuræ reverentiam, & timorem, ut non cesset aliter, quàm authentica absolutione. *Neque obest*, quòd Excommunicatus per contritionem fiat membrum vivum Ecclesiæ; hoc enim solùm probat, quòd communicet cum aliis fidelibus in Orationibus, & Suffragiis particularibus, ob quam communionem orationes ejus redduntur gratiores DEO, & faciliùs exaudiuntur.

137 Quoad *Excommunicatos non vitandos* non pauci cum Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. concl. 2. §. hoc supposito*, Bellarm. *l. 2. de Miss. c. 6.* Suar. *D. 9. sect. 2. n. 16.* Vasq. *de excomm. dub. 2.* Avil. *p. 2. c. 6. D. 9. dub. 3.* putant, nec pro ipsis offerri Sacrificium Missæ, aut publicas preces posse. *Rationem* dant 1. quia *Concilium Constant.* communicationem cum Excommunicatis non denuntiatis indulsit, quæ cedere in fidelium utilitatem posset. atqui offerre Orationes publicas, & Sacrificium pro Excommunicatis in horum, & non aliorum fidelium utilitatem cedit. 2. idem *Concilium* expressit, nolle se ob dictam communicationem à se permissam favere Excommunicatis, faveret autem, si Orationes publicas, & Sacrificium pro ipsis offerri permitteret. 3. ipsa Excommunicatione excluduntur Excommunicati à communibus Ecclesiæ Suffragiis, Oblationibus, & Sacrificio. ergo contra Ecclesiæ intentionem facit, qui in his illos participes facit. Hæc sententia licèt admodum probabilis sit, & teste Suar. *l. cit.* vera loquendo defacto, quidquid sit de absoluta Ecclesiæ potestate.

138 Nihilominus non improbabiliter alii cum Henriq. *l. 13. c. 11. n. 2.* Ugolin. *1. de censur. tab. 2. §. 2. n. 3.* Coninck *D. 14. dub. 8. n. 10.* Hurtad. *D. 2. de excomm. diffic. 4. n. 10.* Palao *p. 6. cit. n. 10.* Wiestner *hic n. 32.* docent, permissum esse fidelibus pro Excommunicatis toleratis Orationes publicas, & Sacrificium offerre. *Probant* 1. ex *Conc. Const. cit.* quòd permittit fidelibus communicationem cum Excommunicatis non denuntiatis tam intus, quàm extra h. e. tam in communicatione externa humana, & Divina, quàm in communicatione interiori Orationum, & oblationum: & hoc ad tollendos scrupulos ob dubium, an hi, vel illi excommunicati sint. 2. Excommunicatis occultis Jure antiquo denegari non poterant Suffragia publica, ut colligitur ex *c. cùm non ab homine 14. h. tit.* & fatetur Suar. *l. cit. n. 19.* & Jure novo à communicatione publica, & secreta fidelium solùm excluditur Excommunicatus denuntiatus & manifestus percussor Clerici. 3. sic faciliùs salvatur usus, & consuetudo piorum virorum, offerentium Missæ Sacrificium pro reductione Hæreticorum, & excommunicatorum pœnitentia.

139 Neque obstant Rationes allatæ in oppositum. *Ad 1. & 2.* nego, hanc in suffragiis communicationem non cedere in favorem fidelium; cedit enim ad sedandas eorum conscientias, ad gratiæ augmentum, ad commodum illorum etiam temporale, dum pro Sacrificiis, in hunc finem oblatis, stipendia Sacerdotes accipiunt. *Ad 3.* dico Excommunicatum toleratum excludi ab Ecclesiæ communibus Suffragiis, quamdiù fideles nolunt cum ipso communicare; secus verò, si velint, non ob favorem excommunicati, sed suum.

140 Dub 2. an Sacramenta, quæ Excommunicatus extra casus *n. 128.* relatos recipit, valida sint? R. esse valida; quia Sacramentorum valor non ex Ecclesiæ voluntate, sed Christi institutione pendet. *Excipitur* Sacramentum Pœnitentiæ; nam cùm valor illius Sacramenti à dispositione suscipientis pendeat, is verò, qui absque gravi causa contra prohibitionem Ecclesiæ absolvi à peccatis vellet, antequam absolveretur à Censura, non sit dispositus, sequitur Sacramentum invalidum esse.

141 *Controversia* est, an casu, quo Excommunicatus ex ignorantia, vel oblivione non manifestaret Censuram, nec Sacerdos ab ea absolveret, valida sit absolutio, si nullus in alio sit defectus? Negant validam esse Sylv. *V. Confessio 1. q. 3. cas. 5.* & *V. Confessor 3. n. 12.* Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. fin.* Vasq. *de excomm. dub. 4.* Hurtad. *de excomm. D. 4. diffic. 3. n. 28.* Fundantur 1. *c. fin. de Cler. excomm. minist.* ubi de Clerico Excommunicato Excommunicatione minori dicitur, si Sacramenta conferat, *non carere virtutis effectu, cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.* atqui ligatus majori, Excommunicatione à receptione, & collatione Sacramentorum remotus est, ergo Sacramenta ab ipso recepta, & collata virtutis effectu carent. 2. Ecclesia per excommunicationem Excommunicatum separat à participatione Sacramentorum, quam-

tùm potest. potest autem separare à Sacramento Pœnitentiæ, ita, ut quamvis illud recipiat, nullius effectùs sit, sicut faceret, si Excommunicatum à Jurisdictione Sacerdotis excluderet. 3. Ecclesia vult, ut ab Excommunicati, maximè denuntiati, communione abstineamus, sicut si Ethnicus esset, vel Publicanus. ergo intendit, ut bona Ecclesiæ ipsi denegentur, sicut denegantur Ethnico, & Publicano. at Ethnicus, & Publicanus est incapax recipere Sacramentum Pœnitentiæ. ergo &c. 4. absolutio data ab Excommunicato est omnino irrita. ergo & absolutionis receptio.

142 Sed his non obstantibus, dicendum, eo casu probabiliùs valere absolutionem. Ita Covar. *in c. alma p. 1. §. 6. n. 7.* Navar. *Man. c. 9. n. 7.* Henriq. *l. 13. c. 12. n. 2.* Suar. *D. 10. de Censur. sect. 3. n. 9.* Coninck *D. 4. dub. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 7. n. 4.* Pirhing *hic n. 15.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 196. & 200.* Ratio est, quia nullo Jure cavetur, irritum, & inane reddi Sacramentum ab Excommunicato susceptum, si nil aliud desit; quòd enim Jura Excommunicatum excludant à Sacramentis, solùm probat eum indebitè illa recipere, si sit Censuræ memor, & ab hac antea non absolvatur. *Conf.* quia nihil est, quod absolutionem irritet, & nihil deest, quod ad valorem ejus requiratur; adest enim sufficiens dispositio ex parte pœnitentis, ùt ponitur: & adest Jurisdictio ex parte absolventis; hac enim nullo Juris textu privatur absolvens, cederétque privatio hæc in pœnam innocentum Prælatorum, si ob Excommunicationem subditorum privarentur Jurisdictione antè in ipsos habita. Et esto, daretur hujusmodi privatio in Prælatis inferioribus, quòd Jura Jurisdictionem eorum quoad absolutionem Excommunicatorum suspenderent, certè doctrina Adversariorum non procederet in Pontifice, si is aliquem Excommunicatum, non præmissa absolutione ab excommunicatione, absolveret; nam hujus Jurisdictio excommunicatione pœnitentis suspendi non potest.

143 Neque Argumenta in oppositum allata sunt efficacia. *Ad 1.* dico, eo Argumento probari nimium; probaretur enim, excommunicatum minori excommunicatione, si Sacramentum Pœnitentiæ inculpabiliter ab excommunicatione sua non absolutus, reciperet, invalidè illud recipere; quia per Censuram Sacramentorum receptione privatur, sequela autem est falsa. *Ad 2.* Ecclesia per excommunicationem non separat, quantum potest; aliàs non permitteret communicare cum non denuntiato, & pro denuntiatio preces privatas dicere. *Ad 3.* illud consilii est, non præcepti, & intelligi debet, quantum fieri commodè potest. *Ad 4.* absolutio data ab Excommunicato vitando, extra articulum mortis, invalida est ex defectu Jurisdictionis: hæc non deest in nostro casu, ut est ostensum.

Dub. 3. quando Excommunicatus 144 licitè, & validè administrare possit Sacramenta? R. imprimis hoc potest in casu extremæ necessitatis, cùm absolvendus est moribundus, & copia alterius Confessarii deest. Extra hunc casum distinguendum est inter excommunicatum toleratum, & non toleratum. Ut toleratus licitè administret, sufficit sola fidelium petitio, quando ille in statu gratiæ est, & absolutionem à Censura priùs obtinere non potest. Rariùs excusatur non toleratus, & tum solùm, quando si Sacramentum non ministraret, incurreret periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum: tum enim, nisi in contemptum Censuræ comminatio ista fiat, potest Sacramenta ministrare licitè, quæ validè ministrare potest; quia non præsumitur Ecclesia, quæ est pia Mater, velle suis Legibus cum tanto dispendio obligare.

Idem excommunicatus in eadem ex- 145 trema necessitate potest periclitanti conferre Sacramentum Baptismi; quia hic omnibus necessarius est. De cæteris Sacramentis, præsertim Eucharistiæ, & Extremæ unctionis controvertunt DD. Satis convenit inter eosdem, Eucharistiam, vel extremam Unctionem posse, & debere conferri etiam ab excommunicato in eo articulo, quando moribundus Sacramentum Pœnitentiæ non potest suscipere; quia cùm quodlibet Sacramentum ex attrito facere possit contritum, continget aliquando, ob receptionem Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis obtineri salutem, quæ non obtineretur, prædictis Sacramentis non receptis.

Difficultas est, cùm Sacramentum 146 Pœnitentiæ ægroto ministratum est. Negant, eo casu aliud Sacramentum ægroto ab excommunicato vitando posse conferri, Avil. *p. 2. de censur. c. 6. D. 3. dub. 3. concl. 4.* Hurtad. *D. 4. de censur. diffic. 2. n. 22.* Rationem dant, quia hæc Sacramenta per se non sunt necessaria ad salutem, cùm non sint per se instituta ad peccati mortalis remissionem. Alii cum Suar. *D. 11. sect. 1. n. 17. & 23.* & Palao *tr. 29. D. 2. p. 8. n. 7. & 8.* distinguunt, & concedunt, ab Excommunicato vitando eo casu ministrari ægroto posse Eucharistiam; quia licèt non sit necessaria necessitate medii, est tamen maximè necessaria, ut adjuvetur ægrotus, & vires recipiat ad suggestiones Dœmonis in illo articulo superandas: quo Beneficio meritò præsumitur Ecclesia non velle privare ægrotum; si enim ab excommunicato vitan-

vitando licet tibi cibum corporalem sumere, cùm is vitæ corporali est necessarius, cur non liceat ab eodem sumere cibum Spiritualem? Accedit, quia contingere potest ægrotum in Confessione non accepisse gratiam, sed hanc accipere per Eucharistiam bona fide acceptam. At Sacramenta Extremæ Unctionis, & Confirmationis ægroto, qui Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ jam recepit, nequaquam ab excommunicato vitando conferri debent; quia non reputantur Sacramenta necessitatis.

147 Quæritur 5. quomodo excommunicatio privet Beneficiis, & Officiis Ecclesiasticis? *Et quidem 1. dubium est*, quomodo privet Beneficiis? R. per excommunicationem excommunicatus fit incapax consequendi aliquod Beneficium Ecclesiasticum: & conf. Electio, Præsentatio, Nominatio, quâ excommunicatùs ad Beneficium tale promovetur, omnino nulla, & irrita est. Navar. *Man. c. 27. n. 21.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 7. n. 1.* Garc. *p. 7. de benef. c. 13. n. 1.* Suar. *D. 13. de censur. sect. 1. n. 2.* Coninck *D. 14. dub. 9.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 8.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 10. n. 1.* Vallens. *hìc §. 3. n. 3. & 4.* Engl *n. 60.* Reiffenst. *n. 65.* la Croix *tom. 3. l. 7. n. 196. & 218.* & decidit *c. postulâstis 7. de Cler. excomm. ministr.* ibi, *Nec illi valent ea* (Beneficia) *retinere licitè, - - - cùm ea non fuerint licitè consecuti.* Ratio est, quia excommunicato prohibitum est Officium Ecclesiasticum exercere, & cum fidelibus communicare meritò igitur à Beneficio Ecclesiastico excluditur, utpote quod exigit Officii Ecclesiastici usum, & communicationem.

148 *Extenditur 1.* etiam ad excommunicatum toleratum; nam etsi hunc fideles vitare non teneantur, ideóque quantum ex parte sua, possent illi Beneficium conferre, ipse tamen Excommunicatus nequit se fidelium communioni ingerere, & conf. nec Beneficium sibi collatum, quamdiu Excommunicatus est, acceptare. Palao *l. cit. n. 3.* cum DD. relatis. *Extenditur 2.* quamvis Excommunicatus sit ignarus Censuræ, Gloss. *in c. pen. de cler. excomm. ministr.* Covar. *l. cit. n. 3.* Suar. *n. 3.* Palao *n. 4.* la Croix *n. 219.* cum reliquis *suprà;* quia ignorantia, etsi excuset à culpa, inhabilitatem tamen, à Censura provenientem, non tollit, cùm nec Censuram tollat. *Extenditur 3.* ut excommunicatus sit incapax cujusque Officii, muneris, seu Dignitatis Ecclesiasticæ, & Regularis. Henriq. *l. 13. c. 13. n. 1.* Garc. *l. cit. n. 22.* Suar. *n. 6.* Laym. *n. 8.* Palao *n. 9.* quia cùm excluſus sit ab exercitio horum Officiorum, consequenter censendus est excluſus ab ipsis Officiis. *Extenditur 4.* ut vera sit Responsio *n. præc.* data, etsi Beneficium, tempore excommunicationis tibi collatum, acceptes postea, cùm ab excommunicatione liberes. Garc. *c. 13. cit. n. 43.* Less. *l. 2. de Just. c. 34. n. 119.* Bonac. *de censur. D. 2. q. 2. p. 4. §. 1. n. 10.* Hurtad. *de excomm. D. 6. diffic. 3. fin.* Palao *p. 10. cit. n. 20.* Ratio est, quia collatio, quæ ob incapacitatem subjecti nulla est, nequit, sublata incapacitate, convalescere ex eo solùm, quòd collator in pristina voluntate perseveret: unde opus erit nova collatione, ut validè Beneficiarius acceptet Beneficium. Contrarium tamen non improbabiliter docent Navar. *cons. 53. b. tit. n. 3. & 4.* Henriq. *c. 13. cit. n. 3.*

149 Dub. 2. an valida sit acceptatio Beneficii, collati Excommunicato tempore habili, seu quo liber ipse erat ab Excommunicatione, si ipsa acceptatio fiat tempore inhabili, seu quo acceptans ligatus fuit Excommunicatione? Negant validam hoc casu acceptationem esse Suar. *D. 13. sect. 1. n. 17.* Vasq. *de Benef. c. 4. §. 2. dub. 2. n. 245.* Coninck *D. 14. dub. 9. n. 78.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 9.* Hurtad. *D. 6. de excomm. diffic. 3. n. 8.* Fundantur 1. quia *c. postulâstis 7. de cler. excomm. ministr.* intenditur, ne excommunicatus Beneficium acquirat, tanquam indignus, at Beneficium immediatiùs acquiritur acceptatione, quàm collatione: & hinc si cui Beneficium à Curia Rom. collatum est, & ille moriatur ante acceptationem, non dicitur Beneficium vacare denuo. 2. si Episcopus electus, & confirmatus, antequam consecretur, inhabilis fiat, repellendus est à consecratione, ut docent Abb. *in c. ex parte de cler. ægrot.* Navar. *in c. si quando de Rescript. c. 10. n. 18.* ergo similiter inhabilis factus ad acceptandum, repelli debet. 3. Excommunicatio reddit excommunicatum inhabilem ad Beneficium, ergo ad acceptandum Beneficium, cùm sit acceptatio personæ indignæ, & de persona indigna.

150 Fateor hanc sententiam admodum probabilem esse, nihilominus probabiliùs credo ejusmodi acceptationem valere. Ita Covar. *in c. alma p. 1. §. 7. n. 4.* Azor *p. 2. l. 6. c. 7. q. 9.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 13. n. 35.* Vasq. *de excomm. dub. 6. sibi contrarius,* Sayr. *l. 2. Thesaur. c. 5. n. 11.* Bonac. *D. 2. de censur. q. 2. p. 5. §. 1. n. 9.* Palao *p. 10. cit. n. 27.* Reiffenstuel *hic n. 65.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 202.* & teste Palao magis communis DD. & quia benignior, meritò amplectenda. *Ratio est,* quia jura solùm irritant id, per quod jus in Beneficium acquiritur, atqui acceptatione non acquiritur jus in Beneficium; quia nemo sibi ipsi Beneficium confert: sed est conditio, ut in Beneficium sibi collatum Collatarius jus

jus perfectum habeat, ergo &c. *Conf.* à pari: nam si Beneficii rite sibi collati possessionem excommunicatus accipiat, vel alium mittat in possessionem possessio, & in possessionem missio valida est, ut ex communi testatur Azor *l. cit. q. 10.* quia tam possessio, quàm in possessionem missio est quid facti, non juris.

151 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* Beneficium per collationem acquiritur primò, & per se, per acceptationem verò minùs principaliter, & quasi defacto: ad primum inhabilitant Jura, non ad secundum. Beneficium collatum, si Collatarius moriatur ante acceptationem, non vacat denuo, quia nondum plenè, & perfectè illud acquisivit. *Ad 2.* Episcopus eo casu repellitur, quia per Consecrationem confertur jus; at per acceptationem Beneficii aliunde oblatum acceptatur. *Ad 3.* Excommunicatus est persona indigna ad acceptandum Beneficium tempore excommunicationis collatum, non verò ad acceptandum Beneficium, collatum tempore, quo nondum erat excommunicatus: aliàs etiam non posset retinere Beneficium, quod habuit ante excommunicationem.

152 Dub. 3. utrum excommunicato validè possit conferri Pensio? *Certum est*, non valere collationem Pensionis Ecclesiasticæ, quæ datur Clerico ob aliquod munus Spirituale exercendum, uti est, quæ deliguatur Vice Rectori, Vicario Episcopi &c. Palao *p. 10. cit. n. 6.* éstque eadem ratio, quæ de Beneficio; nam ob excommunicationem est incapax exercere munus illud, ob quod datur Pensio; igitur etiam est incapax pensionis.

153 *Major difficultas* est de Pensione, quæ datur Clerico resignanti Beneficium, permutanti illud, lite cedenti, sustentationem non habenti. Communis sententia teste Palao *n. 7.* docet, collationem hujusmodi Pensionis, excommunicato factam, esse irritam. 1. quia naturam Beneficii imitatur, & loco illius succedit, cùm non detur, nisi Clericis. 2. quia Clericus excommunicatus est incapax cujusvis Clericalis privilegii. 3. quia in collatione hujus Pensionis solet Pontifex absolutionem à Censuris præmittere: quod frustraneum esset, si Censuræ prædictam collationem non impedirent.

154 Sed probabilitate non caret, ejusmodi Pensionis collationem excommunicato factam validam esse. Ita Sà *V. Homicida n. 21.* Suar. *D. 44. de Censur. sect. 3. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 8.* Palao *l. cit. n. 8.* Wiestner *hic n. 38.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 220.* & facit *Declaratio S. Congr. ad sess. 14. c. 7.* dicens, hoc Decretum de incapacitate Homicidæ ad Beneficia, non extendi ad Pensionem. *Ratio est*, quia nulli bi habetur, Pensionem excommunicato collatam nullam esse.

Neque urgent Argumenta in oppo- 155
situm. *Ad 1.* sola Pensio, quæ Præstimonium est, vel quæ ob exercitium Spirituale conceditur, perfectè naturam beneficii imitatur: unde satis est, Decretum pœnale, & irritativum Beneficii ad hanc extendere, quæ purè Spiritualis est, talis autem non est, de qua hìc est sermo. *Ad 2.* Pensio hæc non est privilegium merè Clericale, cùm sit temporalis duntaxat. *Ad 3.* absolutionem concedit Pontifex, tum ne illius Rescriptum invalidum sit *c. ipso Jure 1. de Rescript. in 6.* tum ne repellatur excommunicatus in Judicio à petenda Pensione.

Dub. 4. quomodo excommunicatio 156
privet fructibus, & proventibus Beneficii Excommunicatum? R. distinguendum, quo tempore Beneficium acquisierit excommunicatus, an tempore excommunicationis, an ante illam. *Si tempore excommunicationis*, cùm acquisitio Beneficii nulla fuerit juxta dicta *n. 147.* etiam nullum acquiretur jus ad fructus ejusdem nisi excuset bona fides; tunc enim, si putet, se verò titulo Beneficium possidere, fructus, tali bona fide consumptos, non tenetur restituere, nisi in quantum factus est ditior, ut tenent Suar. *D. 13. sect. 1. n. 3.* Coninck *D. 14. dub. 9. n. 71.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 8.* Palao *D. 2. cit. p. 11. n. 1.* cum aliis. At si Beneficium legit mè obtinuit, & postea in excommunicationem incidit, difficultas est, an ante Judicis sententiam ipso jure excommunicatus privetur fructibus Beneficii.

Ipso Jure Beneficii sic obtenti fru- 157
ctibus privatum esse docuerunt post *Imolam, Decium, Francum, Covarruviam* Sayr. *de Censur. l. 2. c. 5. n. 24. & 30.* Suar. *D. 13. sect. 2. n. 2.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 1. n. 70.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 13. n. 90.* Monet. *de Distrib. p. 2. q. 15. conc. 1. n. 18.* Moventur 1. per textum *c. pastoralis 53. §. verùm de Appellat.* ubi subtractio fructuum denuntiationi æquiparatur, igitur sicut Excommunicatio post se trahit denuntiationem, ita etiam subtractionem fructuum. 2. per *c. cit.* sicut non obstante Appellatione interposita, excommunicatus denuntiari potest, ita etiam privari fructibus. Priùs autem ideo, quia *excommunicatus per Denuntiationem amplius non ligatur*, ut ibidem dicitur, ergo nec per privationem fructuum, ligaretur autem denuo, si sententiâ ad hanc inducendam foret opus, ergo &c. 3. in eodem *cap.* dicitur, *Illi proventus Ecclesiæ meritò subtrahuntur*: quod verbum *Subtrahuntur* indicat sententiam latam, non ferendam; nam explicari potest, *Subtrahuntur per Legem, non per Judicem*, cùm

cùm nullius judicis fiat mentio. 4. idem textus subtractionem fructuum comparat privationi communicationis cum fidelibus, atqui hæc privatio ipso jure inducitur per excommunicationem. ergo & fructuum subtractio.

158 Sed verius excommunicatum ipso jure & ante sententiam privatum esse fructibus, & proventibus Beneficii rite acquisiti, negant Gloss. *in c. cit. V. subtrahuntur*, Navar. *de Restit. l. 2. c. 2. n. 243.* Vasq. *de Benef. c. 3. § 3. dub. 4.* Coninck *D. 14. dub. 9. diffic. 3. concl. 2.* Hurtad. *D. 6. de excomm. diffic. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 9.* Bonac. *p. 4. §. 2. n. 2.* Palao *D. 2. cit. p. 11. n. 4.* Engl *hic n. 61.* Wiestner *n. 40.* Reiffenstuel *n. 67.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 206.* Ratio est, quia pœna privationis fructuum, utpote gravissima, adstruenda non est absque expresso textu. atqui textus *c. pastoralis cit.* eam pœnam non infert, sed verbum *subtrahuntur* potiùs actionem spoliationis significat, quæ fit ab homine, non à Lege. *Conf.* quia excommunicatio non affert secum denuntiationem, sed constituit excommunicatum dignum, ut denuntietur, appellatione remota. ergo similiter non inducet secum ipso Jure privationem Ecclesiasticorum proventuum, sed constituet excommunicatum dignum, ut ei fructus subtrahantur.

159 Dixi 1. *fructibus Beneficii*; nam ipso Beneficio, ante excommunicationem obtento, ob excommunicationem non privatur excommunicatus, licèt privari possit, si fortè in excommunicatione insordescat, & contumacia gravis sit. Engl *n. 60. hic*, Wiestner *ibid. n. 37.* *Fructuum* autem nomen hic accipi debet specificè, & prout fructus contradistinguuntur à Distributionibus quotidianis; nam Distributionibus quotidianis ipso jure privat excommunicatio. Ratio est, quia dantur pro præsentia, ita, ut absentes à Divinis Officiis eas non percipiant. atqui excommunicatus nequit interesse Divinis Officiis. ergo &c. Garc. *p. 7. de Benef. c. 13. n. 8.* Monet. *de distrib. q. 15. n. 18.* Wiestner *n. 39.* Reiffenstuel *n. 66.*

160 Dixi 2. *ipso Jure, & ante sententiam*; nam post sententiam condemnatoriam ad restituendos fructus obligatur fructibus cedere. *Excipitur 1.* si pauper sit? nam cùm prædicti fructus Ecclesiæ, vel pauperibus sint applicandi, excommunicatus potest etiam eos applicare sibi, nisi fortè certo operi pio jussus sit applicare. *Excipitur 2.* si injustè, & invalidè sit excommunicatus, & condemnatus; nam eo casu nulla est excommunicatio. atqui, ùt Regula communis ait, quod nullum est, nullum producit effectum. Idem dicendum probabiliter putat Palao *p. 11. cit. n. 9.* casu quo excommunicatio est injusta, sed tamen valida, dicítque eo casu excommunicatum posse recuperare fructus non solùm à Judice, sed ab iis, quibus applicati sunt; quia esto, validè sint applicati, sunt tamen reparabiliter applicati: & ratio est, quia Lex Justitiæ obligat revocare sententiam injustam, & ejus effectus, atque in statum pristinum omnia, quoad fieri potest, reducere. *Excipitur 3.* casu, quo excommunicato petenti absolutio negatur injustè. Palao *n. 12.* ratio est, quia eo casu injustè impeditur, ne Choro assistat, vel officium suum præstet.

Si justè negetur absolutio, *Decius*, 161
Ugolinus, *Sayrus*, *Henriquez*, *Layman*, & ali putant, fructus correspondentes Officio, eo tempore exhibendo, excommunicatum obtinere; quia tunc non præstat Officium, eò quòd sit impeditus, sicut si ob infirmitatem, cujus tu causa fuisti, impediaris; nam obinde non amittis Beneficii tui fructus. Sed meliùs id negant Suar. *D. 13. sect. 2. n. 17.* Bonac. *D. 2. de Censur. q. 2. p. 4. §. 2.* Palao *l. cit. n. 14.* Ratio est, quia pœnitentia non tollit excommunicationem, neque sententiam justam infirmat, tametsi moveat Judicem, ut absolutionem præstet. Unde disparitas est cum infirmitate; nam infirmitas ex se non est impedimentum culpabile Officii Ecclesiastici exequendi, neque ex se est impedimentum: secus verò excommunicatio quæ ex se est culpabile impedimentum.

Ad Argumenta *n. 157.* allata respon- 162
deri facilè potest. *Ad 1.* ùt denuntiatio indiget Officio Judicis, ita etiam subtractio fructuum. *Ad 2.* Pontifex diversa ratione *in c. pastoralis cit.* movetur, ut possit excommunicatus, non obstante Appellatione, denuntiari, & ut possit privari fructibus: ad primum movetur, quia denuntiatio non est novum vinculum; ad alterum, quia excommunicatione communio Ecclesiæ subtrahitur. *Ad 3.* jam dictum est, verbum *subtrahuntur* significare actionem spoliationis, quæ fit ab homine. *Ad 4.* subtractio fructuum ex privatione communionis oritur, sed non ipso Jure, sicut nec denuntiatio.

Dub. 5. quomodo excommunicatio 163
privet jurisdictione Ecclesiastica? *Certum est*, quemlibet excommunicatum privatum esse Jurisdictione Ecclesiastica, ita, ut licitè eam exercere non possit. Colligitur ex *can. audivimus 4. caus. 24. q. 1. c. ad probandum 24. de Sent. & re jud. c. Romana 1. de suppl. negl. Prælat. in 6. c. Romana 1. de Offic. Vicar. in 6. c. si is cui 10. de Offic. Deleg. in 6.* Ratio est, quia Jurisdictionis Exercitium est præcipua cum fidelibus communicatio. Et id verum

est etiam de excommunicato tolerato; nam hic mortaliter peccat, si exerceat actum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, nisi fuerit à fidelibus ad hoc requisitus.

164 *Difficultas est*, utrum excommunicato, durante excommunicatione, Jurisdictio sit omnino adempta, an solùm prohibitus illius usus? Conveniunt DD. omnes, Jurisdictionem Ecclesiasticam excommunicato vitando esse omnino ademptam. Atque hinc invalida 1. est Sententia ab eo lata *c. ad probandum cit.* 2. Absolutio dispensatio, facultatis concessio pro Sacramentis administrandis; quia sunt actus Jurisdictionis. 3. Delegatio Jurisdictionis pro foro externo alteri non excommunicato facta: secus est de Jurisdictione fori interni; hæc enim, quia est gratia facta, ob excommunicationem postmodum incursam à Delegante non suspenditur etiam re integra. Palao *D. 2. p. 13. n. 10.* & ab hoc *citt.* 4. collatio Beneficii *c. un. ne sed. vac in 6.* sub quo nomine etiam venit Electio ad Beneficia, Præsentatio, Nominatio, Postulatio, Institutio, possessionis concessio, si hæc fieri debeat per actum aliquem Jurisdictionis; quia si hunc non requirit, ùt plerumque contingit, valida est possessionis concessio, tametsi ab excommunicato vitando fiat, cùm non sit aliquid Juris, sed facti tantùm. Palao *l. cit. n. 11. & seqq.* & apud hunc *citt.* 5. Resignatio Beneficii facta in favorem tertii, ut volunt Covar. *in c. alma p. 1. §. 7. n. 9.* Suar. *D. 14. de Censur. sect. 2. n. 35.* Filliuc. *de excomm. c. 6. q. 9. n. 163.* quia ita resignans videtur actum Jurisdictionis exercere, & Beneficium aliquo modo Resignatario conferre, sicut eligens, & præsentans. Sed Bonac. *D. 2. de Censur. q. 2. p. 9. n. 7.* Palao *l. cit. n. 26.* & alii existimant, hujusmodi resignationem esse validam; quia ultra Beneficii cessionem solùm continet designationem personæ in Beneficium providendæ, ex cujus designationis vi nullum jus designato conceditur, cùm integrum jus in Beneficium retineat designans, quousque designatus provisus sit à Pontifice. ergo &c.

165 *Controversia* moveri posset quoad Excommunicatum toleratum, an iste Jurisdictionem Ecclesiasticam exerceat validè, quando à fidelibus contra ipsum exceptio non opponitur. *Ratio dubitandi est*, quia in Concil. Constant. *Extrav. ad evitanda* excommunicato tolerato tantùm factus est favor, quatenus fideles eorum communicationi volunt uti. *Sed dicendum*, excommunicato tolerato nullatenus ademptam esse Jurisdictionem, sed illius actus ipsum validè exercere, quamdiu à fidelibus contra ipsum non excipitur. Navar. *Man. c. 27. n. 21.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 7. n. 9.* Suar. *D. 11. sect. 4. n. 9.* & *D. 14. sect. 2. n. 3.* Gutier. *l. 1. can. qq. c. 1. n. 82.* Less. *l. 2. de Just. c. 29. dub. 7. n. 17.* Coninck *D. 14. dub. 10. pr.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 13.* Bonac. *D. 2. de censur. q. 2. p. 5. n. 3.* Palao *p. 13. cit. n. 3.* Vallens. *hic §. 3. n. 4.* Pirhing *n. 18.* Reiffenstuel *n. 70.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 196.* & *n. 217.* & sumitur ex *c. exceptionem 12. de except.* & *c. piæ 1. eod. in 6.* Ratio est, quia cùm Ecclesia permittat fidelibus communicationem cum Excommunicatis toleratis tum in Divinis, tum in humanis, acti excommunicati non essent, conservare in illis Jurisdictionem debet, ut apti, & expediti sint ad hanc cum fidelibus communicationem.

166 *Ex quo sequitur*, si fideles excommunicationem objiciant, & ob illius causam contra excommunicatum excipiant, eúmque à se repellant, nullius valoris esse actu ab excommunicato factos. Ut verò exceptio hujusmodi teneat, excipiens excommunicationis speciem, & ejus authorem manifestè debet probare intra octo dies *c. piæ cit.* Si non probet excipiens, vel si nullus excipiat, excommunicatus toleratus Officium tam Judicis, quam Parochi validè exercere potest, atque adeò lites decidere, causas judicare, absolvere, dispensare &c. Et extenditur probabiliter hoc etiam ad exercitium Jurisdictionis coactivæ, ita, ut possit præcepta dare, & excommunicationem ferre in subditos. Gutier. *c. 1. cit. n. 81.* Coninck *dub. 10. cit. n. 11.* Bonac. *n. 4.* Palao *n. 6.* Idque verum est, non tantùm, quando excommunicatio est occulta, sed etiam, quando non est occulta; quia post *extrav. ad evitanda cit.* quilibet excommunicatus toleratus eodem jure censetur, quo jure censebatur jure antiquo occultus. isto autem jure excommunicatus occultus retinebat jurisdictionem, quousque per exceptionem elideretur *c. exceptionem*, & *c. piæ citt.* ergo &c.

167 Quæritur 6. quot modis excommunicatio fidelium communicatione privet in Civilibus? R. modi sunt tres. 1. privat excommunicatum communicatione forensi. 2. usu quocunque Officii politici. 3. quacunque obligatione Civili, & Contractu.

Dub. 1. quomodo excommunicatio privet communicatione forensi? R. exploratum est apud omnes excommunicatum privari omni actu pertinente ad judicium. Quapropter 1. nequit esse Judex, de quo dictum est *Libr. 1. Tit. 32. n. 3. V. Lege prohibentur:* quod extenditur etiam ad Arbitros, secundùm dicta *Libr. 1. cit. Tit. 43. n. 12.* 2. nequit esse actor, prout dictum est *Libr. 2. Tit. 1. n. 32. & seqq.* 3. pro-

3. prohibetur ab advocando. *Libr. 1. Tit. 38. n. 7.* 4. non potest constitui Procurator. *Libr. 1. Tit. 38. n. 9.* 5. non admittitur ad testimonium dicendum in judicio. *Libr. 2. Tit. 20. n. 26. & 27.* 6. interdicitur Officio Tabellionis. *Libr. 2. Tit. 22. n. 5. §. quartò.*

168 Quæ omnia intelligenda sunt de Excommunicato vitando; nam si toleratus sit, acta, quæ fiunt à tali Judice, valorem habent, licèt excipi contra ejusmodi Judicem possit. 2. potest esse actor, nisi pars adversa ab agendo eundem repellat oppositâ Exceptione. 3. si à fidelibus ad postulandum pro se invitetur, nec à Judice repellatur, licitè, & validè exercet Officium Advocati. 4. constitui Procurator potest: imò etsi vitandus sit, constitutio ejus illicita quidem, valida tamen est probabiliùs, cùm nullibi reperiatur irritata. 5. si pars adversa contra eum non excipiat, aut Judex ipsum non repellat, licitè, & validè testis est in Judicio; quia actus testificandi ex natura rei in favorem alterius ordinatur. 6. Si sit Tabellio, ad petitionem aliorum validè & licitè conficit Instrumenta, & Scripturas sui Officii. *Excipitur*, quando ad valorem actûs, & obligationem inducendam Scriptura requiritur, ut in Testamento contingit, in Sententia definitiva Judicis, & similibus; quia actus ille firmitatem, & perpetuitatem expostulat irrefragabiliter, quam tamen dare eidem excommunicatus non potest, cùm possit contra eundem excipi. Laym. *l. 1. tr. 6. p. 6. c. 2. n. 15.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 14. §. 2. n. 20.* Pirhing *hic n. 20. v. præterea.*

169 Reus non arcetur à Judicio, esto, sit Excommunicatus vitandus, prout dictum est *Libr. 2. Tit. 1. n. 33.* Unde 1. trahi ad Judicium potest *c. intelleximus 7. de Judic. ne*, ut ibi dicitur, *videatur de sua malitia commodum reportare.* 2. positâ præsentiâ in Judicio, potest respondere ad omnia sibi objecta, testes, & instrumenta in sui defensionem producere, Judicem, Advocatum, Scribam, & Procuratorem eligere: quin imò etiam Exceptionibus Dilatoriis uti, si hæ ad defensionem illius dirigantur. Item potest appellare; nam Appellatio est quædam Juris defensio ad gravamen removendum. est autem Excommunicato Jure naturæ permissa omnis defensio *c. dilecti 8. c. dilectæ 10. & 6. seq. de except.* 3. etsi convenientissimum sit causam suam agere per Procuratorem, ut hoc modo Excommunicationis effectus rectius observetur, nihil tamen impedit, quo minùs citatus ad Judicium per seipsum ibi comparere possit, Palao *n. 26.* Vallens. §. *3. n. 6.* la Croix *n. 272.* & dictum est *Libr. 2. Tit. 1. n. 36.* Ratio est, quia *c. dilecti cit. & 6. fin. eod.* permittitur Excommunicato absolutè potestas respondendi in judicio. non igitur permissio ista restringi debet.

Dub. 2. quomodo excommunicatio 170
privet Officiis publicis? *Certum est* his privari excommunicatum, utpote qui à communione fidelium separatus est. Difficultas tamen quadruplex moveri potest. Et 1. quidem, an excommunicatus prohibeatur etiam exercere Officium Tutoris, Curatoris, Hospitalarii, & similium? Putant aliqui, non solùm illicitè, sed etiam invalidè hæc Officia exerceri; quia Officia ista, etsi Jurisdictionem non habeant, tamen authoritate publica constituuntur. Rectiùs tamen Suar. *D. 16. de censur. sect. 3. per totam*, Palao *D. 3. cit. p. 15. n. 1.* & alii tenent contrarium; nam esto, Tutor, Curator, Hospitalarius authoritate publica constituantur, non tamen in utilitatem publicam, sed privatam. quæ autem in utilitatem privatam constituuntur, etsi authoritate publica, irrita non sunt, nisi excipiantur; aliàs etiam irrita essent acta à Procuratore, Actore, Advocato &c. excommunicatis, contra communem sententiam, quippe cùm etiam istorum Officia authoritate publica sint constituta.

Difficultas 2. est, an valida sit assi- 171
stentia Parochi excommunicati in contractu Matrimoniali? Ad quam difficultatem *Libr. 4. Tit. 3. n. 173. & duob. seq.* respondi, validam esse, etiamsi Parochus talis sit excommunicatus non toleratus; quia hæc assistentia, etsi fiat authoritate publica, non tamen est actus Jurisdictionis, cùm etiam ab invito sufficienter præstetur; sed est executio cujusdã conditionis à *Trid.* requisitæ pro valore matrimonii.

Difficultas 3. an valida sit licentia à 172
Parocho excommunicato data alteri Sacerdoti ad assistendum Matrimonio? Ad hanc *Tit. 3. cit. n. 184.* respondi affirmativè: quod procedit, etiamsi talem licentiam dans sit excommunicatus non toleratus; quia concessio hujus facultatis non est actus Jurisdictionis, sed dominii, sicut est quælibet Procuratoris constitutio, cùm Parochus dans hanc licentiam nihil faciat, quàm quòd potestatem assistendi, quam habet, in alterum subroget. atqui hæc potestas, in Parocho residens, non est Jurisdictio. ergo nec illius in alterum subrogatio.

Difficultas 4. an admissio, seu re- 173
ceptio Professionis Religiosæ, facta à Prælato excommunicato, sit valida? v. valere. Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 78.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 13. fin.* Palao *p. 15. cit. n. 4.* la Croix *n. 214.* Ratio est, quia admissio hæc non est actus Jurisdictionis propriæ, sed cujusdam Superioritatis usus, competens Prælato ratione sui Officii; aliàs

fœmina, & Laicus, qui Jurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces sunt, non possent admittere Professionem. Ob eandem rationem etiam valida est commissio admittendi Professionem facta à Prælato excommunicato.

174 Dub. 3. quomodo excommunicatio privet potestate contrahendi, & obligandi civiliter? *Certum est*, interdictum excommunicato quemlibet cum fidelibus contractum inire; quia contrahendo cum illis communicat. *Difficultas* est, an casu, quo contractum init excommunicatus cum non excommunicato, contractus iste sit firmus, & obligationem utrinque inducat? *Hostiensis*, & alii quidam relati à Socin. *in c. sacris n. 458. h. tit.* censent esse validos, si facti sint in favorem aliorum contrahentium non excommunicandorum; secus verò, si in favorem excommunicati. *Rationem* dant 1. quia Legibus prohibentur. atqui quod Legibus pugnat, æquum non est, ut Legibus ipsis subveniatur: & hinc *l. non dubium 5. C. de LL.* Imperatores, *Generaliter*, inquiunt, *imperamus - - ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.* 2. si excommunicatus petat in Judicio executionem Contractûs in excommunicatione initi, non auditur, sed repellitur, ij verò, qui cum ipso contraxerunt, audiuntur, & agere contra ipsum possunt *c. piæ 1. de except. in 6.* ergo signum est, contractum in excommunicati favorem non tenere, bene tamen in aliorum commodum. 3. specialiter videtur irritus esse contractus Matrimonii ab excommunicato initi; nam per hunc contractum obligant se conjuges ad mutuam communicationem, atqui excommunicatus non potest se obligare ad communicandum alteri; quia omnis communicatio est ipsi prohibita. ergo &c.

175 Sed melius validos esse Contractus, ab excommunicato tempore excommunicationis initos, docent Abb. *in c. ad probandum n. 8. de sent. & re jud.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 1. n. 9.* Sayr. *l. 2. de excomm. c. 9. n. 11.* Vasq. *de excomm. dub. 8.* Coninck *D. 14. dub. 12. n. 119.* Palao *D. 2. cit. p. 16. n. 3.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 280.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 208.* Ratio est, quia nullus reperitur textus, ex quo hæc irritatio possit colligi; nam esto, interdicatur Legibus, non tamen hoc ipso irritatur. Atque hinc 1. valet Emptio Venditio, Locatio Conductio &c. ab excommunicato facta, ut colligitur ex *can. quoniam multos 103. caus. 11. q. 3.* & *c. si verè 34. h. tit.* 2. valet donatio tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato facta *c. inter dilectos 8. de Donat.* 3. quamvis excommunicatus vitandus illicitè conficiat testamentum vocando testes, & cum illis, ac Notario communicando, ita tamen confectum valet, cùm nullo Jure sit irritatum, aut excommunicato adempta factio Testamenti. 4. à fortiori sequitur, excommunicatum vitandum hæredem instituì posse; minus enim requiritur ad capiendum ex Testamento, quàm ad Testamentum conficiendum, cùm plurimi incapaces sint testandi, non tamen, ut hæredes instituantur.

176 Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad 1.* Lex illa intelligi debet, quòd pro infectis, & irritis haberi debeant, quæ fiunt contra Jus irritans, & annullans, non verò illa, quæ fiunt duntaxat contra Jus prohibens. *Ad 2.* Excommunicatus non repellitur eò, quòd contractus, quem in excommunicatione inijt, invalidus sit, sed quia, donec absolvatur à Censura personam standi in Judicio non habet: hinc ubi ab ea est absolutus, agere in Judicio potest pro obligatione sibi excommunicato facta, ut aliis *citt.* notat Palao *n. 3. cit.* *Ad 3.* Excommunicati, contrahentes Matrimonium, obligari possunt ad mutuam cohabitationem absolutè, quod sufficit, ut Matrimonium subsistat, quamvis fortè obligare se nequeant ad cohabitationem, stante Excommunicatione. Accedit, quia excommunicatio non impedit conjugalem convictum, postquam contractum est Matrimonium. igitur etsi excommunicati contrahendo peccent, contractus tamen validus, & firmus est.

177 Quæritur 7. quibus actionibus privetur excommunicatus, dum privatur communicatione Politica? R. ista Versu hoc comprehenduntur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Oris nomine intelligitur osculum pacis, & inde DD. extendunt ad amplexus, missionem, & receptionem munerum, & generaliter ad quodlibet benevolentiæ signum maximè verò ad collocutionem cum Excommunicato, sive deinde illa fiat palàm, sive clam, sive verbis, sive scripto, seu litteris, nutibus, vel aliis signis. Per verbum *Orare* intelligitur prohibita quælibet participatio cum excommunicato tum in Sacramentis, tum in Sacrificio Missæ, tum in Officiis Divinis, tum in aliis precibus, & Orationibus: de quo *suprà à n. 126.* Per verbum *Vale* prohibetur quælibet honorifica salutatio, utpote qua Excommunicatus indignus est. Probabile tamen est licitum esse assurgere excommunicato, caput illi aperire, locum concedere; licèt enim hæc sint quædam exterior salutatio, consuetudine tamen videntur habere rationem salutationis non tam voluntariæ, quàm necessariæ, non ut

per

per ista excommunicatus honoretur, sed ne inhonoretur, & contemni videatur: quod à fortiori procedit, si excommunicatus te prius salutet; tunc enim resalutatio videtur debita ob priorem excommunicati salutationem. Nomine *Communio & Mensa* prohibetur quælibet Societas, & communicatio in negotiis peragendis, in habitatione, in convictu, in itinere, in mensa, & similibus. Debet autem participatio ista esse formalis, i. e. per modum unius; secus, si casu in eadem domo, itinere, vel mensa excommunicatus cum non excommunicato incidat. Suar. *D. 15. sect. 1. n. 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. q. 2. n. 16.* Palao *D. 2. cit. p. 17. n. 5.* Pirhing *hic n. 21. not. 3.* Engl *n. 47.* Reiffenstuel *n. 142. & seqq.*

178 Dub. 1. sub qua culpa fidelibus communicatio cum excommunicato, & excommunicato cum fidelibus non excommunicatis prohibita sit? R. mortaliter peccari in sequentibus casibus. 1. si cum Excommunicato non excommunicatus, aut vicissim communicet in rebus Divinis, & Officio Divino saltem publicè dicto. Palao *D. 2. cit. p. 18. n. 1.* Wiestner *hic n. 62.* Reiffenstuel *n. 148.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 196.* Ratio est, quia hæc communicatio, utpote maxima, directè prohibetur ex vi Excommunicationis. Dixi *saltem publicè dicto*; nam communicatio in Officio Divino privatim dicto probabiliter per se non est culpa mortalis, utpote quæ non primò, & per se ex vi Excommunicationis, sed secundariò solùm prohibita est, & propterea in materia communicationis non videtur esse res gravis. Palao *n. 2.* & apud hunc *Covar. Vasq. &c.*

179 2. Si communicetur cum excommunicato à Summo Pontifice; tunc enim communicans, præter peccatum mortale, incurrit etiam Excommunicationem majorem, ut colligitur ex *c. significavit 18. h. tit.* & notant Sylv. *V. Excommunicatio 5. n. 22.* Navar. *Man. c. 27. n. 98.* Henriq. *l. 13. c. 8. n. 2.* Avil. *p. 1. de censur. c. 6. D. 10. dub. 2.* Palao *p. 18. cit. n. 4.* Pirhing *n. 96.* Wiestner *n. 62.* Reiffenstuel *n. 148.* Requiruntur tamen ad hanc Excommunicationem, & peccatum mortale incurrendum plures conditiones, ut cum *Henriq. Avil. Palao, Pirhing l. citt.* advertit la Croix *n. 192.* nam communicans debet esse Clericus, & debet communicare in Divinis non utcunque, sed admittendo Excommunicatum sponte, liberè, & voluntariè sciénsque, à Papa esse Excommunicatum nominatim, & insuper denuntiatum.

180 3. Si quis cum Excommunicato communicet in crimine criminoso *c. nuper 29 ℣. in secunda, c. si concubinæ 55. h. tit.* & *c. statuimus 3. eod. in 6.* Censetur autem communicare in crimine criminoso, seu in crimine, ob cujus causam aliquis Excommunicatione percussus est, si consilium, auxilium, vel favorem præstet, ne ab eo delicto resipiscat. Talis præter peccatum mortale incurrit etiam Excommunicationem majorem, si sciat hanc pœnam communicantibus esse impositam, & is, cum quo communicat, sit excommunicatus nominatim; non enim sufficit, etsi sit Clerici percussor manifestus: imò nec sufficit esse excommunicatum nominatim, nisi etiam sit denuntiatus; nam post *Extrav. ad evitanda cit.* solos denuntiatos vitare tenemur. Palao *p. 18. cit. n. 5.* Barbos. *in c. nuper cit. n. 3. & 5.* Pirh. *hic n. 128. not. 1. & n. 129. not. 2.* Reiffenstuel *n. 149.* la Croix, *n. 283.*

181 4. Si communicet aliquis cum Excommunicato post latam sententiam contra participantes; nam hic, præterquam quòd peccet mortaliter, etiam incurrit Excommunicationem majorem, uti constat ex *c. quod in dubiis 30. ℣. secus autem h. tit.* Abb. *ibid. n. 3.* Barbos. *n. 4. & 5.* Pirhing *n. 133. not. 2. & n. 136. not. 5.* Ut tamen hanc Excommunicationem communicans incurrat, debet 1. moneri, non quomodocunque, sed monitione trina *c. statuimus cit.* 2. moneri debet speciatim, & sigillatim; nam ex sola generali relatione contra participantes, ut solent judices frequenter uti, nullo modo communicans ligatur excommunicatione majori; quia *c. statuimus cit. c. constitutionem 9.* & *c. statutum 13. h. tit. in 6.* expresse deciditur, ferendam esse excommunicationem hanc adversus personas singulares, & expressas.

182 Extra hos casus solùm sub culpa veniali prohibetur communicatio cum Excommunicato, incurritque communicans tantùm Excommunicationem minorem. Navar. *Man. c. 27. n. 29.* Bonac. *tom. 1. D. 2. de excomm. p. 6. n. 5.* Wiestner *hic n. 62.* Reiffenstuel *ibid. n. 148.* Neque obstat *can. Excommunicatos 17. caus. 11. q. 3.* ubi asseritur, communicantem cum Excommunicato *simili Excommunicationi subjacere.* si igitur simili Excommunicationi, ergo majori: cons. peccat mortaliter. Nam, ut bene advertit Covar. *in c. alma p. 1. §. 3. n. 3.* textus ille non est intelligendus de similitudine omnimoda, & æquali, sed secundùm proportionem, ita, ut sensus sit, sicut ille est excommunicatus Excommunicatione majori, sic communicans cum illo innodatur Excommunicatione minori.

183 Dub. 2. quibus casibus licita sit communicatio cum Excommunicato denuntiato? R. hos sequenti versu comprehendi.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Igitur 1. excusat *Utilitas* tam Spiritualis, quàm corporalis. Ob Spiritualem utilitatem excommunicati licet Excommunicato consilia salutaria præbere, concionem coram illo facere *arg. c. responso 43. h. tit.* ob spiritualem utilitatem fidelium autem licet istis consilium ab Excommunicato petere, si alius non adsit, qui æquè bene dare possit. Similiter ob utilitatem temporalem licet Excommunicato Eleemosynam facere, & ab ipso recipere, debitum ei solvere, & ab ipso exigere. Suar. *D. 15. de censur. sect. 4. n. 8.* Avil. *p. 2. c. 6. D. 11. dub. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 16.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 19. n. 2.* Vallens. *hic* §. *2. n. 1. ỳ. dixi.* Engl *n. 48.* Pirhing *n. 116.* & *seqq.* Reiffenstuel *n. 151.* la Croix *n. 196.* Ratio est, quia Lex Ecclesiastica benigna est, ideóque illius obligatio cessat, si gravis jactura ex ejusdem observatione sequatur.

183 1. Excusat *Lex* Matrimonii, seu Conjugii, ob quam conjux communicare cum marito excommunicato potest non tantùm in debito, sed etiam in mensa, gubernatione domûs, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis *c. inter alia 31. h. tit.* Lex enim absolutè concedit uxori facultatem communicandi cum marito excommunicato, ut patet ex *can. quoniam multos 103. caus. 11. q. 3.* & hæc facultas est favorabilis. igitur ad solum debitum conjugale restringi non debet. Idem dicendum de marito non excommunicato, ut possit communicare cum uxore sua excommunicata, ut bene advertunt S. Thom. *p. 3. q. 23. art. 22.* Sylv. *V. excommunicatio 5. n. 4.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 1. n. 8.* Navar. *Man. c. 27. n. 26.* Suar. *D. 15. sect. 4. n. 14.* Sanch. *l. 9. de matr. D. 14. n. 16.* Avil. *p. 2. c. 6. D. 11. dub. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 16.* Palao *p. 19. n. 5.* Pirhing *n. 120.* Engl *n. 48.* Wiestn. *n. 70.* Reiffenst. *n. 152.* la Croix *n. 196.*

185 *Ratio est*, quia dispositum de uno correlativo censetur dispositum etiam esse de alio, ubi eadem est ratio. at in præsenti est eadem ratio; nam uxori conceditur ob periculum animarum, quod periculum æquè procedit in viro. *Conf.* 1. quia licet communicare cum Socio in contractu Societatis, ante Excommunicationem inito *arg. c. si verè 35. h. tit.* ergo à fortiori licebit communicare marito cum uxore excommunicata in Contractu Matrimonii. *Conf.* 2. Vir Excommunicatus melioris conditionis esset, quàm non excommunicatus; quia ille posset obsequiis uxoris frui, quod non posset vir non excommunicatus. *Neque obstat*, quòd *can. quoniam cit.* solùm excipiantur uxores; nam id factum est, quia frequentiùs viri, quàm uxores in Excommunicationem incidunt.

Dubitant hìc aliqui, an pars Excom- 186
municata possit à non excommunicato etiam debitum petere? *Ratio dubitandi est*, quia excommunicatis nunquam intendit favere Jus. *Sed respondendum* est affirmativè. Ita Cajet. *V. excommunicatio c. 81. §. illicita.* Sayr. *l. 2. c. 14. n. 4.* Avil. *p. 2. de censur. c. 6. D. 11. dub. 5. concl. 1.* Suar. *D. 15. sect. 4. n. 2.* Coninck *D. 14. dub. 12. n. 123.* Palao *p. 19. cit. n. 7.* Ratio est, quia communicatio inter conjuges Excommunicatos permissa est ad vitandum periculum incontinentiæ *can. quoniam cit.* atqui hoc periculum nullo modo vitaretur, si conjux excommunicatus obligatus esset à communione alterius conjugis se separare. ergo &c. *Conf.* juxta *n. 183.* potest excommunicatus exigere debitum pecuniarium. igitur & debitum conjugale.

Excipitur, si excommunicatio lata 187
fuisset in causa Matrimonii, de cujus valore lis pendet; cùm enim hoc casu Matrimonii usus viro, & mulieri interdictus sit ob periculum fornicationis, debiti petitio, & redditio, tanquam communicatio in crimine criminoso, & utriusque animæ periculosa, neutri permissa foret *c. inter alia cit. fin.* Sylv. *V. excommunicatio 5. n. 4.* Sanch. *D. 4. cit. n. 9.* Wiestner *n. 70.*

3. Excusat *Humile*, i. e. humili- 188
tas subjectionis *can. quoniam cit.* & *c. si vere 34. h. tit.* Procedítque hoc, etsi post excommunicationem contracta fuerit hujusmodi subjectio, si contracta fuerit sine culpa excommunicati *can. quoniam*, & *c. inter alia citt.* Ex quo capite eximuntur 1. filii comparatione parentum, etiam naturales, & adoptivi, & probabiliter, etiamsi sint emancipati; nam etiam filius emancipatus verè filius est, ac proinde gaudere debet favore concesso filiis. 2. Nepotes, Pronepotes, Affines, uti Gener, Nurus, Privignus, & Privigna, pupilli, & minores comparatione Tutoris, & Curatoris; hi enim omnes nomine filii in hac concessione favorabili veniunt intelligendi *l. filii 84.* & *l. liberorum 220. ff. de V.S.* 3. Servi, & ancillæ: & ex his non tantùm illi, qui propriè servi, & mancipia sunt, sed etiam illi, qui vel gratis, vel pro pretio Excommunicato serviunt *can. quoniam cit.* 4. tota familia ejusdem; quia regulariter nequeunt absque gravi jactura ab ejus consortio discedere *c. si verè cit.* 5. Clerici, si communicent cum Episcopo excommunicato, in cujus sunt famulatu. Sylv. *V. Excommunicatio 5. n. 4.* 6. Religiosi communicantes cum suis Superioribus excommunicatis; quia strictiùs, quàm famuli subjecti sunt, neque ab ea subjectione recedere possunt. 7. milites, si communicent cum suo Duce excommunicato, eúmque in bello justo sequantur.

Sylv.

Sylv. *l. cit.* Sayr. *l. 2. de Excomm. c. 14. n. 19.* 8. Addunt aliqui Vasallos, si communicent cum suis dominis excommunicatis. Sed rectiùs contrarium tenet. Bonac. *D. 2. de excomm. q. 2. p. 6. §. 2. n. 40.* Hurtad. *D. 9. diffic. 4. n. 15.* Palao *p. 19. cit. n. 20.* quia Vasalli nec sunt famuli, nec de familia domini, ut ad ejus communicationem adstricti videantur.

189 Porro quod dictum est de filiis, servis, subditis respectu parentum, dominorum, Superiorum excommunicatorum, à paritate rationis etiam extendendum est ad parentes, dominos, Superiores, ut communicare possint cum suis filiis, servis, subditis excommunicatis. Navar. *Man. c. 27. n. 27.* Suar. *D. 15. sect. 5. n. 21.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 16.* Avil. *p. 2. c. 6. D. 11. dub. 6.* Palao *p. 19. cit. n. 21.* Pirh. *hic n. 123. extens. 1.* Wiestn. *n. 71.* Reiffenstuel *n. 153.* Ratio enim, cur hoc permittatur inferioribus respectu Superiorum excommunicatorum est periculum animæ, quod adesset, si ipsis prohibita esset hæc communicatio cum suis Superioribus, quorum societatem vitare moraliter nequeunt. atqui hæc ratio æquè procedit in Superioribus comparatione subditorum. ergo etiam ad hos facultas concessa extendi debet.

190 4. Excusat *Ignorantia*: éstque perinde, sive sit ignorantia Juris, sive facti, h. e. sive quis ignoraverit Legem prohibentem ejusmodi communicationem cum excommunicato, sive ignoraverit illos, quibuscum communicat, excommunicatos denuntiatos esse; nam cùm textus *can. quoniam cit.* generaliter ignorantes excepérit, intelligi debet de qualibet ignorantia. Engl *hic n. 48.* Pirh. *n. 125.* Wiestner *n. 67.* Reiffenstuel *n. 154.*

191 An verò excuset Ignorantia solùm invincibilis, vel etiam vincibilis controversum est inter DD. Aliqui volunt, necessariò debere esse invincibilem. Sed Suar. *D. 15. sect. 3. n. 3.* Coninck *D. 13. dub. 11. & D. 14. dub. 12. n. 184.* Hurt. *D. 9. de excomm. diffic. 4. n. 26.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 8.* Palao *D. 2. cit. p. 19. n. 24.* Engl *n. 48.* Pirhing *n. 118.* Wiestner *n. 67.* rectiùs existimant, excusare etiam ignorantiam vincibilem, modò non sit affectata, quippe quæ scientiæ æquiparatur. Colligitur ex *can. quoniam cit.* ubi Pontifex intendit, ignorantibus aliquem favorem concedere. atqui nullus concessus est favor, si solùm exciperet ignorantes invincibiliter excommunicationem, seu Legem excommunicationis; nam hi per ipsum Jus naturale à culpa, & pœna exempti sunt. *Conf. 1.* ex eodem *can.* nam ibi dicit Pontifex, se moveri ad prædictam indulgentiam concedendam, quia multi occasione excommunicationis perirent tum ignorantiâ, tum nimia simplicitate. atqui ignorantiâ invincibili nemo perit. *Conf. 2.* quia ignorantia vincibilis vera est ignorantia. atqui Pontifex absolutè ignorantibus indulgere vult.

Quare ut quis teneatur abstinere à 192
communicatione cum excommunicato, debet ipsi certò moraliter constare, quòd ille excommunicatus vitandus sit; quia stante dubio de excommunicatione, & Denuntiatione, iniquè judicaretur esse excommunicatus. Porro moralem hanc certitudinem præstare potest 1. fama publica, à viris fide dignis orta. 2. testimonium duorum, vel trium asserentium, ipsum Excommunicatum denuntiatum esse. 3. Parochi idipsum attestantis litteræ: secus si oretenus tantùm affirmaret; nam uni testi, quantumcunque fide digno, non teneor credere, etsi possim *arg. c. cùm à nobis 28. h. tit.*

Postquam verò quis agnitus est ùt 193
Excommunicatus vitandus, in dubio non debet præsumi esse absolutus; nam juxta vulgatam Regulam *Semel malus semper præsumitur malus*, & absolutio est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur. Probatur autem absolutio sufficienter tum famâ publicâ, tum testimonio alicujus viri fide digni, vel ipsius excommunicati confessione, si talis ille sit, ut spectata conditione personæ, & negotii, prudenter credi eidem possit: & sufficiet aliquando confessio tacita, quæ inducitur, quando aliquis longo tempore pro Excommunicato se gessit; præsumitur enim ex hoc talis esse, si aliàs conscientiæ timoratæ sit. Palao *l. cit. n. 27.* & apud hunc *Navar. Suar. Bonac. Hurt. Laym. Avila.*

5. Denique excusat necessitas sig- 194
nificata per vocem *necesse can. quoniam, c. inter alia 1, c. si verè citt.* Perinde autem est, sive necessitas hæc Spiritualis, sive temporalis, sive ipsius Excommunicati, sive aliorum, modò sit gravis, & ab alio non excommunicato non æquè bene auferri possit. Sayr. *l. 2. de excomm. c. 14. n. 29. & seqq.* Henriq. *l. 13. c. 23.* Suar. *D. 15. sect. 3. n. 8.* Bonac. *D. 2. de excomm. q. 2. p. 6. §. 2. n. 57.* Palao *p. 19. cit. n. 28.* Engl *n. 48.* Pirhing *n. 126.* Reiffenstuel *n. 155.* Ab hac doctrina Sayr. *l. cit. n. 30.* Bonac. *n. 59.* excipiunt Prædicatores, & Confessores, qui Eleemosynam ab excommunicatis vitandis petere possunt, tametsi æquè bene, & commodè ab aliis possint has obtinere; quia illorum curam gerunt, & favet *c. cùm voluntate 54. h. tit.*

Quæritur 8. quinam sint Effectus 195
remoti excommunicationis? R. triplex est; nam 1. Excommunicatus, si per annum perseveret in excommunicatione, specialiter lata ab homine, fit suspectus de

Hæresi, eò quòd præsumatur malè sentire de potestate Ecclesiæ. Trid. *sess. 25. c. 3. de reform.* Vallens. *hic* §. 7. *n. 9.* Hæc tamen suspicio levis est; sufficit tamen ad indicendam Purgationem: quam si subire noluerit, citari iterum debet sub pœna excommunicationis; si verò post hujusmodi citationem adhuc parere neglexerit, & in contumacia per annum perseveraverit, nullo allegato impedimento, ùt Hæreticus condemnari debet *c. cùm contumacia 7. de Hæret. in 6.*

196 *Secundus* effectus est probatio delicti, seu causæ, ob quam lata est excommunicatio; nam qui ob causam civilem, vel criminalem à Judice excommunicatus est, & in ea excommunicatione per annum perseverat, nullo ostenso impedimento, aut satisfactionis signo, pro convicto, & confesso haberi debet *can. rursus 36.* & *can. seq. caus. 11. q. 3.* quia ea contumacia Juris fictione reputatur confessio. Permittitur tamen ipsi, ut allegare & probare innocentiam suam possit. Palao *p. 20. n. 3.*

197 *Tertius* est privatio Beneficiorum; nam excommunicatus triennio perseverans in excommunicatione indurato animo, à Judice privari debet Beneficiis omnibus; quia indignus est, ut fructibus Ecclesiæ gaudeat, qui adversùs illam ita rebellis existit, & ita fecit Pontifex *c. cùm bonæ 8. de ætat. & qualit.* Ob annalem perseverantiam, etsi possint Judices hanc pœnam privationis Beneficiorum irrogare, non tamen tenentur; quia nusquam in Jure cavetur hæc obligatio. Palao *l. cit. n. 4.*

198 Quæritur 9. quis sit effectus excommunicationis minoris? *R.* effectus directus excommunicationis minoris unicus est, scilicet privatio passiva Sacramentorum *c. à nobis 2. de except. c. fin. de Cler. excomm. ministr. c. fiquem 59. h. tit.* Hinc graviter peccat, qui excommunicatione minori innodatus Sacramentum suscipit. Suar. *D. 24. sect. 3. n. 3.* Coninck *D. 14. dub. 17. n. 260.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 21. n. 5.* Vallens. *hic* §. *4. n. 1.* Pirhing *ibid. n. 23.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 189.*

199 Sacramenta tamen à tali excommunicato suscepta valida sunt secundùm omnes DD. excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod secundùm aliquos ab excommunicato minori excommunicatione susceptum invalidum est. Sed longè verius etiam ipsum est validum, si nullam ille in ejus receptione commisit culpam, quia v. g. nescivit, se hac Censura ligatum esse, vel si scivit, postulavit priùs ab ea absolvi, quàm à peccato, quod tamen Sacerdos vel ex malitiâ, vel ex ignorantia non præstitit. Ugol. *tab. 2. de Censur. c. 7. §. 2. n. 6.* Henriq. *l. 13. de excomm. c. 3. n. 3.* Sayr. *l. 2. de excomm. c. 22. n. 14.* Bonac. *D. 2. q. 3. n. 3.* Palao *n. 7.* Ratio est 1. quia Ecclesia talem Excommunicatum solùm removet à Sacramentis Ecclesiæ, illorum perceptionem prohibendo, non tamen irritando. 2. hujus irritationis nullum in Jure est fundamentum. 3. etiam expediens non fuit hanc irritationem facere, utpote cùm fidelibus maximè necessarium sit hoc Sacramentum.

Dixi *Privatio passiva Sacramento-* 200
rum; nam activam Sacramentorum privationem post se excommunicatio minor non trahit: unde poterit hujusmodi excommunicatus administrare Sacramenta, licèt indecens sit, ut is conferat aliis Sacramenta, quibus ipse tanquàm indignus privatus est. Indecentia tamen hæc probabiliùs non attingit peccatum mortale *arg. c. fin. de Cler. excomm. ministr.* ubi Pontifex de eo, qui in Excommunicatione minori celebrat, dicit eum graviter peccare; de illo autem, qui confert in ea excommunicatione Ecclesiastica Sacramenta, tantùm dicit eum peccare, omittens adverbium *graviter*, quasi manifestè indicans, in collatione Sacramentorum grave peccatum non esse. Vallens. §. *4. n. 3.* la Croix *n. 190.*

Quæritur 10. quisnam sit effectus 201
indirectus excommunicationis minoris? *R.* est privatio Electionis ad Beneficia *c. fin. de Cler. excomm. ministr.* quod communiter DD. extendunt etiam ad Præsentationem, & Collationem, utpote quæ Electiones vocari possunt. Pirhing *hic n. 23.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 193.* Ratio est, quia Beneficium ex intentione Ecclesiæ confertur Beneficiato, ut Ordines Sacros suscipiat, & Missæ Sacrificium celebret: quod cùm stante minori excommunicatione, non possit, sequitur, indirectè etiam tali excommunicato prohibitam esse Electionem, collationem, præsentationem ad Beneficium.

Atque hinc sequitur, eum, qui Be- 202
neficium tali excommunicato confert, vel ad illud præsentat, aut eligit, graviter peccaturum; quia in re gravi violat præceptum Ecclesiæ. Pœna tamen sic eligentibus in Jure nulla statuta est; nam etsi Gloss. *in c. fin. cit.* videatur affirmare, sic eligentes suspensos esse per triennium, & inhabiles factos ad electionem juxta *c. cùm in cunctis 7.* & *c. scriptum 40. de Elect.* verius tamen est, eum prædictâ pœna non affici: quia textus *citt.* tantùm loquuntur de eligentibus indignum ob defectum scientiæ, honestatis morum, ætatis: quæ dispositio extendi non debet ad eligentes indignum ob minorem excommunicationem, cùm hæc indignitas facilè auferri possit, & Beneficii collationem non reddat ipso Jure nullam.

203 An verò hujusmodi Electio, Præsentatio, Collatio sit irrita ipso Jure, vel per sententiam irritanda veniat, controvertunt DD. Host. *in c. fin. cit.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 8. n. 3.* Ugolin. *tab. 3. de censur. c. 6. §. 3. n. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 24.* censent irritam esse ipso Jure, utpote factam personæ indignæ, & inhabili. *Sed rectiùs* contrarium docent Gloss. *in c. fin. cit. V. eligere.* Sayr. *l. 2. de excomm. c. 22. n. 23.* Suar. *D. 14. sect. 2. n. 22.* Coninck *D. 14. dub. 17. n. 63.* Bonac. *D. 2. de excomm. q. 3. n. 7.* Filliuc. *tr. 13. c. 2. q. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.* Hurtad. *D. 16. diffic. 1. fin.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 21. n. 15.* Barbos. *in c. fin. cit. n. 3.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Vallens. *hic §. 4. n. 2.* Pirhing *n. 23.* Wiestner *n. 60.* & colligitur ex *c. fin. cit.* ubi dicitur, ejusmodi Electionem esse irritandam? quæ verba etsi Adversarii explicent de declaratione irritationis Jure inductæ, intellectio tamen ista impropria est, cons. vitanda, quoad fieri potest, præsertim cùm hic versemur in materia pœnali.

204 Porro ut irritatio hæc locum habeat, requirunt aliqui scientiam in Electoribus, & colligunt hoc ex textu *c. cit.* ibi, *Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Sed meo judicio vox *scienter* malè applicatur ad Electores; nam quando Electores ignari ad Beneficium eligunt excommunicatum excommunicatione minori, electio aliàs irritanda venit ob subreptionem. igitur nihil speciale constituisset hic textus, si constituisset irritandam electionem factam ab electoribus scientibus. Quare melius Palao *l. cit. n. 19.* la Croix *n. 195.* vocem *scienter* applicant ad electum, ita, ut sensus sit, irritandam electionem, si facta sit de excommunicato suæ excommunicationis conscio; secus, si facta sit de ignaro excommunicationis suæ: & Ratio est, quia stante ignorantia excommunicationis in electo, iste, licèt in re privatus sit Sacramentorum participatione, ab hujus prohibitione ob ignorantiam excusatur, meritò igitur electio ejus sustinetur.

205 Quæritur 11. quis possit absolvere ab excommunicatione minori? R. absolvere ab ea in foro externo potest, qui Jurisdictionem in eo habet. In foro interno pœnitentiæ absolvere ab ea potest Episcopus, vel proprius ipsius excommunicati Sacerdos *c. nuper 29. ¥. in secundo verò casu h. tit.* Nomine *Proprii Sacerdotis* autem hic intelligitur non solùm, qui ordinariam potestatem habet, ùt Parochus, sed etiam, qui delegatam *c. omnis 12. de Pœn. & remiss.* Et hinc fit, ut cùm delegatur alicui potestas absolvendi à peccatis, hoc ipso ei videatur concessa facultas absolvendi ab excommunicatione minori, utpote quæ absolutioni peccatorum est præmittenda; concesso enim uno, concessum censetur etiam alterum, sine quo commodè illud unum præstari non potest. Palao *tr. 29. D. 2. p. 21. n. 21.* Quin imò ab hac Excommunicatione absolvere etiam potest Parochus etiamsi Sacerdos non sit; quia hæc absolutio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis, quæ Parocho non Sacerdoti competit. *Neque obstat*, quòd in *c. nuper cit.* dicat, hanc absolutionem præstandam esse à proprio Sacerdote; quia id dictum est, non quia necessarium, sed quia frequentiùs Parochus Sacerdos est, sicut etiam sub nomine Episcopi non solùm consecratus, sed etiam non consecratus, & qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habet, intelligitur.

Dubitatur, utrum ab excommunicatione ista absolvere possit etiam Sacerdos simplex, qui solùm absolvere potest à venialibus? 206 Affirmant Navar. *Man. c. 27. n. 25. & 39.* Vivald. *Candel. p. 2. tr. de excomm. n. 12.* Tolet. *l. 1. Summ. c. 17. n. 7.* Vallens. *hic §. 7. n. 1.* Moventur, quia hæc Excommunicatio regulariter incurritur ob culpam venialem. ergo qui potest absolvere à venialibus, videtur hoc ipso posse absolvere ab hac Excommunicatione, cùm hæc absolutio absolutioni peccatorum sit præmittenda.

Sed potestatem istam simplici ejusmodi Sacerdoti probabiliùs negant Cajet. *V. absolutio fin.* & *V. Excommunicatio minor.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 12. n. 7.* Sot. *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. ¥. secundum membrum,* Henriq. *l. 13. c. 18. n. 5.* Sayr. *l. 2. de excomm. c. 23. n. 9.* Suar. *D. 7. de Censur. sect. 4. n. 17.* Coninck *D. 14. dub. 17. fin.* Avil. *p. 2. c. 7. D. 1. dub. 2.* Filliuc. *tr. 13. c. 7. q. 3.* Bonac. *D. 2. de excomm. q. 3. n. 15.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. fin.* Palao *p. 21. cit. n. 23.* Pirhing *hic n. 144.* la Croix *n. 189.* Colligitur ex *c. nuper cit.* ubi Pontifex interrogatus, an simplex Sacerdos ab hac censura possit absolvere, respondit absolvere posse proprium Episcopum, vel Sacerdotem proprium: atqui si simplex Sacerdos quicunque haberet potestatem absolvendi ab hac Censura, non expressisset proprium Episcopum, vel Sacerdotem proprium; quia etiam alienus Episcopus, vel Sacerdos impertiri posset absolutionem istam, ergo &c. *Conf.* ex ratione; quia hæc potestas absolvendi ab Excommunicatione minori est distincta à potestate absolvendi à peccatis. & per se pertinet ad Jurisdictionem contentiosam: igitur nemini competit, nisi cui vel à Jure, vel ab homine fuit concessa. non invenitur autem concessa Sacerdoti simplici, sed proprio, seu illi, qui absolvere pœnitentem potest etiam à mortalibus. ergo &c. 207

Ad Argumentum allatum in oppositum negatur *Conf.* quia, ut dixi, hæc absolutio 208

lutio Censuræ ab absolutione à peccatis venialibus latè differt. Deinde si ex eo, quòd quis potest absolvere à venialibus, sequeretur, quòd etiam absolvere possit à minori Excommunicatione, alius inferet, eum, qui absolvere potest à mortalibus, absolvere etiam posse ab Excommunicatione majori; sicut enim Excommunicatio minor incurritur ob peccatum veniale, ita major ob mortale.

209 Quæritur 12. ex qua causâ incurratur Excommunicatio minor? R. olim fuerunt plures: hodie solùm est unica, propter communicationem cum Excommunicato vitando, sivè deinde is vivus sit, sive mortuus, ùt si e. g. talis Excommunicati funus comiteris ad sepulchrum; nam quibus in vita communicare non possumus, neque in morte permissum est communicare c. *sacris 12. de Sepult.* Vallens. *hic* §. *2. n. 1.* ℣. *Excommunicatio*, König *ibid. n. 25.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 189.*

Et quamvis ferri possit ab homine 210
Jurisdictionem habente in foro contentioso, usu tamen receptum est, ut feratur solùm à Jure ob dictam communicationem cum Excommunicato vitando. Ob hanc incurritur ipso Jure sive communicetur cum illo in Divinis, & Spiritualibus, sive in aliis rebus merè Politicis, puta in Contractibus, Judiciis, conviviis, conversatione. Excipiendi sunt tres casus relati à *n. 179.* in quibus ob communicationem incurritur Excommunicatio major.

Excommunicatio hæc minor dici- 211
tur, non quòd res levis sit, sed comparatione majoris tantùm, seu gravioris Excommunicationis, partim quòd ob minorem, quàm ista, & aliquando ob venialem duntaxat culpam incurratur, partim quia, licèt non paucis, minoribus tamen bonis, quàm major privat, & facilìùs quàm ista, tollitur, cùm ab ea in foro interno absolvere quivis Parochus, & ab isto delegatus possit, ut dictum est *n. 205.*

§. III.

De Excommunicatione in particulari, & præcipuè de Excommunicatione Canonis.

SUMMARIUM.

2. *Excommunicationes reservatæ Episcopis?*
213. *Reservatæ Pontifici in Bulla Cœnæ.*
214. 215. *Reservatæ eidem extra illam.*
216. *Quo textu Juris sit introducta Excommunicatio canonis?*
217. &c. *Quinam Clerici gaudeant privilegio Canonis?*
219. *Quinam sub nomine Monachi eo privilegio gaudeant?*
220. *Quæ personæ illam Excommunicationem incurrant?*
221. &c. *An omnes consentientes, mandantes &c. incurrant semper hanc Excommunicationem?*
224. *Quid requiratur, ut Excommunicationem Canonis incurrat, qui ratam habet percussionem Clerici?*
225. *An eam incurrat etiam Clericus, qui seipsum occidit, mutilat, vulnerat; aut qui, ut ab alio occidatur, percutiatur &c. mandat, vel consentit?*
226. &c. *Quid requiratur, ut quis incurrat hanc Excommunicationem?*
230. &c. *Quænam causæ excusent ab ea incurrenda?*
240. &c. *An pater, aut alii propinqui, vel consanguinei Ecclesiasticos sibi subditos punire possint?*
243. &c. *Quotuplicis generis sit percussio Clerici?*
246. *Quam potestatem absolvendi ab Excommunicatione Canonis habeat Legatus Pontificius?*
247. &c. *Quam Episcopi, & Archiepiscopi?*
255. &c. *Quam Prælati respectu Subditorum suorum Regularium?*
260. &c. *Quinam alii absolvere possint ab hac Excommunicatione?*

EXcommunicationes in particulari variæ sunt: reduci tamen commodè in quatuor classes possunt; nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ Pontifici per Bullam Cœnæ, aliæ eidem extra Bullam Cœnæ reservantur. De non reservatis nihil hìc attinet dicere; quia passim in decursu sunt explicatæ. Hinc

212 Quæritur 1. quæ Excommunicationes sint reservatæ Episcopis? R. P. *Busenbaum*, & ex hoc P. la Croix *tom. 8. l. 7. n. 296.* sequentes refert. 1. quæ contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi si sit mulier: de quo *n. 249.* 2. lata in eos, qui postquam in articulo mortis à Censura, vel peccato habente Censuram annexam ab aliquo, qui aliàs non poterat, absoluti sunt, postquam convaluerunt, Superiori se non præsentant. 3. lata in Fratres minores, si admittant in suis Ecclesiis ad Officia Divina Fratres tertii Ordinis. 4. in procurantes abortum fœ-

fœtus animati, effectu secuto. 5. in eos, qui communicant in eodem crimine cum Excommunicatis ab Episcopo. 6. eæ omnes, quas ferunt Episcopi per Statuta propria, & sibi reservant: de quibus videnda Statuta cujuslibet Diœcesis.

213 Quæritur 2. quæ Excommunicationes sint Papæ reservatæ in Bulla Cœnæ? R. in hac Excommunicationem reservatam incurrunt 1. Hæretici, & Schismatici, illorúmque credentes, defensores, receptatores, legentes libros Hæreticos. 2. qui ab ordinationibus, seu mandatis Papæ appellant ad futurum Concilium universale, vel appellationi hujusmodi auxilium, vel favorem præstiterint. 3. Piratæ, seu qui ex intentione deprædandi discurrunt per mare Pontificium, & horum receptatores, ac fautores. 4. surripientes bona naufragorum. 5. imponentes in terris suis nova pedagia, vel antiqua augentes, præterquam in casibus permissis. 6. Falsarii Litterarum Apostolicarum. 7. deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad infideles. 8. impedientes, ne Romanæ Curiæ deferantur victualia, vel alia necessaria. 9. qui offendunt accedentes, vel recedentes à Romana Sede, vel in Curia commorantes. 10. qui Offendunt Romipetas, & peregrinos accedentes ad Urbem, vel in ea commorantes, aut ab ipsa recedentes. 11. qui interficiunt, mutilant, vulnerant, percutiunt, capiunt, carcerant, detinent S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios. 12. qui offendunt recurrentes ad Curiam Romanam pro suis negotiis. 13. appellantes à gravamine, & executione Litterarum Apostolicarum ad potestatem Laicam. 14. qui causas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, vel earum cursum, & executionem Litterarum Apostolicarum impediunt. 15. qui trahunt, vel procurant trahi personas Ecclesiasticas ad Tribunal Sæculare, & qui condunt Statuta libertati Ecclesiasticæ præjudicantia, eísque utuntur. 16. qui impediunt, ne Prælati Ecclesiastici sua Jurisdictione utantur. 17. usurpatores, & sequestratores redituum, fructuum, & proventuum, ad Pontificem, Sedémque Apostolicam, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium, si hoc fiat sine legitima Superiorum licentia. 18. imponentes Decimas, Collectas, & alia onera personis Ecclesiasticis. 19. Judices Sæculares, qui causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt. 20. occupantes bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, ejúsque supremam Jurisdictionem usurpantes. De quibus latè Palao *tr. 29. D. 3. p. 2. & seq.*

214 Quæritur 3. quæ Excommunicationes sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ? R. harum aliquæ specialiter latæ sunt contra Clericos, & Religiosos; aliæ contra omnes. *Prioris generis* præcipuè sunt septem. 1. lata in participantes in Sacris cum Excommunicato à Papa. 2. in procurantes alienationem Ecclesiarum. 3. in Concionatores, qui Scripturæ sensum, à Doctorum interpretatione alienum, circa tempus Antichristi, & extremi Judicii, aliáque similia revelata prædicant. 4. in Parochos non implentes Juramentum de residentia factum. 5. in Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem, præter Carthusiam. 6. in Moniales exeuntes ex claustro sine licentia. 7. in Religiosos, qui sine Privilegio, vel speciali licentia Parochi Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis ministrare, vel Matrimonia solennizare præsumunt.

215 Contra omnes latæ magis obviæ apud *Busenbaum*, & la Croix *tom. 8. l. 7. n. 298.* referuntur viginti, & una. Et in specie Excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt 1. Incendiarii. 2. habentes Litteras Apostolicas falsas, & non destruentes. 3. effringentes, & spoliantes Ecclesias. 4. communicantes in eodem crimine cum excommunicato à Papa. 5. vexantes eos, qui Censuram tulerunt in alios. 6. absoluti ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. 7. violantes Interdictum Papale. 8. dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad Religionem. 9. Simoniaci reales circa Ordinem, vel Beneficium. 10. committentes Simoniam confidentialem. 11. impedientes executionem Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. 12. dantes, & recipientes aliquid pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. 13. committentes Duellum, atque ad id cooperantes suadendo &c. 14. mulieres ingredientes Monasteria Regularium. 15. impugnantes Institutum Societatis JESU. 16. facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ. 17. rapientes bona Ecclesiastica: item exigentes Tributa ab Ecclesiasticis. 18. violantes libertatem Ecclesiasticam quoad fugientes ad Ecclesiam. 19. docentes posse fieri Confessionem in absentia. 20. damnantes peccati mortalis, vel Hæresis alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis: item ij, qui in Concionibus, alísque publicis actibus, ùt Lectionibus, Conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in Originali. 21. percussores Clericorum. Hæc ultima cæteris est celebrior, & Antonomasticè *Excommunicatio Canonis* appellatur: de qua ulteriùs.

216 Quæritur 4. quo textu Juris introducta sit excommunicatio Canonis? R. introducta est *can. siquis suadente 29. caus. 17.*

§. 4. cujus tenor est, *siquis suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, ut in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

217 Dub. 1. quinam hîc veniant nomine *Clerici*? R. nomine *Clerici* veniunt, & hujus Canonis privilegio gaudent, quicunque aliquo, etiam minori Ordine, & primâ solùm tonsurâ sunt initiati *can. cleros 1. dist. 21.* & *c. cùm contingat 11. de ætat. & qual.* *Proceditque hoc 1.* etiamsi Beneficium Ecclesiasticum nullum habeant, neque conditiones pro privilegio fori à *Trid.* requisitas impleant, gestando habitum, & tonsuram &c. prout dictum *Libr. 3. Tit. 1. n. 39.* *Procedit 2.* etsi Censurâ aliquâ irretiti, Irregulares, aut verbaliter depositi sint. Tolet. *l. 1. Summ. c. 31. n. 5.* Sayr. *thesaur. l. 3. c. 26. n. 8. & 9.* Suar. *D. 22. de Censur. sect. 1. n. 6.* Coninck *D. 14. dub. 15. n. 157.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 23. §. 1. n. 1.* Illsung *tr. 5. D. 2. n. 266.* Engl *hic n. 126. & 127.* Pirh. g *n. 49.* Wiestn. *n. 72.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 300.* cum aliis. *Procedit 3.* quamvis sint conjugati, si cum unica, eáque virgine contraxerunt, & deferant habitum, ac tonsuram Clericalem *c. un. de cleric. conjug. in 6* & dictum est *Libr. 3. cit. Tit. 3. n. 39. & seqq.*

218 *Excipiuntur* tamen, & canonis privilegio non gaudent 1. Clerici degradati realiter *c. degradatio 2. de Pœn. in 6.* 2. conjugati non deferentes habitum, & tonsuram *c. un. cit.* & dictum est *Tit. 3. cit. n. 40.* 3. Bigami bigamiâ verâ, aut interpretativâ in Minoribus constituti *c. cit.* & *c. un.* junct. Gloss. *V. bigamos de Bigam. in 6.* 4. Clerici in minoribus constituti, si dimisso habitu, & tonsurâ, arma militaria portent, aut aliis negotiis Sæcularibus se immisceant, & ter specialiter, ac nominatim moniti non resipiscant *c. in audientia 25. & c. contingit 45. h. tit.* & dictum est *Libr. 3. cit. Tit. 1. n. 45.* 5. Clerici quicunque, si habitu Clericali dimisso enormitatibus, h. e. tyrannidi, seditionibus, latrociniis, assassiniis, aliisque enormibus criminibus se immisceant *c. cùm non ab homine 14. c. perpendimus 23. h. tit.* & *c. pro humani 1. de Homic. in 6.* 6. Clerici joculatores, Goliardi, Buffones, post trinam Episcopi admonitionem non resipiscentes *c. un. de Vit. & Honest.* & dictum est *Tit. 1. cit. n. 45.* 7. publicè exercentes Officia lanionum, macellariorum, cauponum, si tertiò moniti non desistant, aut ea reassumant: conjugati quidem, etiamsi habitum ferant; non conjugati verò, si eo dimisso, ut Laici, incedant. *Clem. 1. de Vit. & Honest.* quo tamen, uti & *c. un. cit.* textu de Clericis solùm minoribus agi, aliqui volunt apud Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3. fin.* Videantur dicta *n. 45. cit.*

219 Dub. 2. quinam intelligantur nomine *Monachi*? R. *Monachi* nomine hîc intelliguntur, & propterea privilegio Canonis gaudent. 1. quicunque utriusque sexûs Religiosi, Conversi, & Novitii *c. ex tenore 10. c. de monialibus 33. & c. h. tit.* & *c. Religioso 21. §. fin. eod. in 6.* Navar. *Man. c. 27. n. 79.* Clar. *§. fin. q. 77. n. 5.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 50. n. 4.* Tolet. *l. 1. summ. c. 31. n. 5.* Illsung *tr. 5. D. 2. n. 267.* Engl *hic n. 129.* la Croix *n. 300.* 2. FF. Tertiarii S. Dominici, & S. Francisci, si voto aliquo edito, gerant habitum Religionis & in commune vivant: sicut & Eremitæ, qui edito Voto Paupertatis, vel alia susceptâ obligatione, sub aliqua Regula, & Superiore vivunt, vel Ecclesiæ alicujus servitio specialiter sunt addicti. Suar. *D. 22. sect. 1. n. 20. & 22.* Bonac. *D. 2. de excomm. q. 4. p. 3. n. 8. & p. 4. fin.* Palao *D. 3. p. 23. §. 1. n. 14.* cum *citt.* Aliter res se habet cum Eremitis non adstrictis Voto, vel alia obligatione, & de FF. Tertiariis, qui habitant in propriis suis domibus; nam hi Canonis privilegio non defenduntur, ùt cum *citt.* advertit Rodriq. *tom. 2. Regul. q. 65. art. 5.* 3. denique Equites Melitenses *c. canonica 50. h. tit.* uti & Equites S. Mariæ Teutonicorum, quia sunt veri Religiosi. De Equitibus S. Jacobi, S. Lazari, & aliis, an Canonis privilegio gaudeant, ut eorum percussione Excommunicatio reservata incurratur, controversia est inter DD. in qua particularibus privilegiis, & consuetudine standum erit, ut monent Molin. *D. 50. cit. n. 5.* & Palao §. *1. n. 16.*

220 Quæritur 4. quænam persona comprehendantur hac Lege, ut incurrant Excommunicationem Pontifici reservatam? R. comprehenduntur omnes, & singuli fideles utriusque sexûs, quavis authoritate fulgentes; si suadente Diabolo manus violentas injecerint in Clericum, vel Monachum. Patet ex ipso textu, ubi adhibetur vox *siquis*, quæ universalis est, & omnes comprehendit. Adeóque Excommunicationem istam incurrunt 1. etiam pueri, & in minori ætate constituti, modò rationis usûm perfectum habeant, ut colligitur ex *c. mulieres 6.* & *c. fin. h. tit.* 2. qui percutit Clericum, hoc commeritum; quia Clerico, si delinquat, pœna ab Ecclesiastico, suóque Magistratu est infligenda. Barbos. *in can. siquis suadente cit. n. 47.* Wiestn. *hic n. 79.* Reiffenst. *n. 115.* la Croix *n. 300.* 3. qui talem Clericum, vel Religiosum percutit, etiam consentien-

tem

tem in sui percussionem; quia privilegium hoc non tam personæ privatæ Clerici, quàm ipsi Ordini Clericali datum, cons. favor publicus est, cui à privatis renuntiari nequit *c. contingit 36. b. tit.* Pirh. *n. 52.* Engl *n. 134.* Wiestn. *n. 80. & 81.* la Croix *n. 300.* & alii passim. 4. qui ejusmodi actionem graviter injuriosam exercet in defunctum; quia injuria etiam defuncto, & Clericali Statui in ipso fieri potest. Felin. *in c. à nobis n. 4. b. tit.* Graff. *de Effect. cleric. 9. n. 40.* Barbos. *l. cit. n. 47.* Wiestner *l. cit.* la Croix *n. 319.* 5. qui actionem injuriosam in Clericum alii mandat, vel propositis rationibus suadendo consulit, si inde sequatur percussio *c. mulieres cit. §. fin.* item qui percutienti favet, & consentit *c. quantæ 47. b tit.* vel eam in gratiam sui factam aliquo signo externo ratam habet *c. cùm quis 23. eod. in 6.* uti etiam, qui cùm sine gravi incommodo posset, & ex officio, sive Justitia teneretur, non impedit *c. quantæ cit.* ibi *Eos delinquentibus favere.* Navar. *c. 27. n. 78.* Molin. *D. 52. à n. 27.* Palao *p. 23. §. 2. à n. 5.* Pirhing *n. 53. &* Engl *n. 135.* Wiestn. *n. 78.* Reiffenstuel *à n. 111.* la Croix *à n. 303.*

221 Dub. 1. an omnes ejusmodi consentientes, mandantes, consulentes &c. incurrant semper hanc Excommunicationem? R. negativè. Sed 1. ut sub Excommunicatione hac comprehendantur, opus est, ut percussio ipsa subsequatur, & quidem, ut subsequatur ex vi mandati, consilii, vel favoris ad scelus dati; nam si vel actio ipsa subsecuta non fuerit vel subsecuta non fuerit ex vi mandati, consilii &c. immunis est mandans, consulens &c. ab Excommunicatione. Molin. *tr. 3. D. 52. n. 2. 8. & 9.* Coninck *D. 14. n. 175.* Palao §. *2. cit. n. 6.* & colligitur ex *c. mulieres cit.* ibi, *Cùm is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur:* ex quo patet, requiri, ut mandatum, consilium &c. sit causa delicti.

222 2. Pariter non obstringitur Excommunicatione hac, qui consilium, vel mandatum, quod scelus patranti dedit, ante delictum patratum sufficienter revocat, & hanc revocationem notam facit mandatario, vel consiliario, licèt iste dein peragat destinatum scelus: & ratio est, quia tum non amplius vi, consilii, aut mandati, sed ex propria agentis malitia scelus patratur. Dixi autem, *si hanc revocationem notam faciat &c.* nam si nota non sit mandatario, aut consiliario revocatio consilii, vel mandati, consilium, & mandatum adhuc erit causa delicti, & cons. obstringetur mandans, vel consulens non aliter, acsi revocationem non posuisset. Molin. *l. cit. n. 3.* Coninck *n. 176. & 183.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 7.* Palao §. *2. cit. n. 7.* Ne-

que obest, quòd revocato per pœnitentiam veram consilio, aut mandato, consulens, & mandans existat fortè jam in gratia, cùm scelus peragitur à mandatario; nam ut contrahatur Excommunicationis pœna, sicut etiam Irregularitatis, non requiritur delictum formaliter committi tempore contractionis, sed sufficit commissum fuisse antea; quia pœnæ istæ stare simul possunt cum gratia.

223 3. Notandum, quòd ad evitandam hanc Excommunicationis pœnam non sufficiat, ut consilium, vel mandatum revocetur quomodocunque, sed requiritur, ut revocatio sit efficax, & mandati, seu consilii positi virtutem influendi in actum alterius tollat: in quo ipso diversa est ratio inter mandantem, & consulentem; nam mandatum tum censetur sufficienter revocatum, cùm verbo, Epistolâ, aut per internuntium mandans revocationem suam mandatario significat seriò; imò ut post *Innoc. Abb. &c.* notat Tolet. *l. 1. Summ. c. 24. n. 1.* si mandans facit pacem, amicitiam, aut parentelam contrahit cum eo, cui per mandatum suum damnum parabat, modò hoc mandatario innotescat sufficienter; tunc enim jam virtualiter revocat. Plus requiritur in consulente; nam hic, ut sufficienter revocet suum consilium, præter significationem mutatæ voluntatis, tenetur etiam proponere rationes suadentes contrarium: etsi hæ quidem prudentis judicio existimentur sufficientes ad consilium iniquum removendum, non amplius consulens censebitur esse delicti causa; erit autem adhuc delicti causa, si rationes hæ novæ tales non sint, ut consiliarium amovere à delicto sufficienter possent. *Ratio* autem, quòd hoc requiratur, est, quia in consilio non tantùm authoritas consulentis, sed etiam rationes ab ipso allatæ influunt: unde si posita hac revocatione, consiliarius adhuc pergat in scelere, eò quòd putet consulentem, non seriò revocare, vel rationes non æquè efficaces esse ad contrarium persuadendum, probabiliùs consulens adhuc Excommunicationem, & alias pœnas incurret, ut Palao *l. cit. n. 9.* putat, quamvis ibidem existimet etiam probabile esse contrarium.

224 Dub. 2. quid requiratur, ut Excommunicationem Canonis incurrat etiam ille, qui percussionem, suo nomine factam, ratam habet? R. juxta Tolet. *l. 1. c. 31. n. 6. & 7.* quinque hæc requiruntur. 1. ut delictum nomine illius factum sit. 2. ut sit tale delictum, quod per alterum possit committi; secus, si non potest. 3. ut ratum habeatur; nam qui dicit, *Doleo, quòd factum sit meo nomine, sed gaudens, quòd sit factum*, non videtur ratum habere factum alterius. 4. ut

percussio fiat eo tempore, quo posset illam mandare: & hinc si eo tempore, quo fit percussio, rationis usum non habeas ob infamiam, vel amentiam, etsi deinde percussionem, in gratiam tui factam, ratihabeas, in Excommunicationem per hoc non incidis. Qui tamen eo tempore, quo delictum in gratiam sui factam est, somno, aut ebrietate detentus est, non excusatur ab Excommunicatione, si postea ratihabeat; quia somnus, & ebrietas rationis usum non tollit permanenter: quod sufficit, ut rètrotrahi possit ratihabitio. 5. denique requiritur, ut rata habeatur percussio per aliquod signum externum; quia actus merè internus non subjacet potestati Ecclesiæ, & cons. etiam puniri Censurâ nequit.

225 Dub. 3. an Excommunicationem Canonis incurrat etiam Clericus, qui seipsum occidit, mutilat, vulnerat, aut qui, ut ab alio occidatur, percutiatur &c. mandat, vel consentit? R. probabiliùs neutro casu excommunicationem incurrere. Et quidem *quoad 2. Casum* satìs conveniunt DD. & colligi videtur ex *c. contingit 36. h. tit.* nam ibi Pontifex solùm decernit, quòd Clericus consentiens in percussionem sui excommunicandus sit, *si post prohibitionem hujusmodi sponte se subjecerit.* igitur supponi videtur, ipso Jure excommunicatum non esse. *Neque obstat*, quòd agentes, & consentientes pari pœna plectantur; quia hoc verum est solùm, ubi aliud ex Jure fundamentum habetur nullum. Suar. *D. 22. de Censur. sect. 1. n. 57.* *Quoad priorem casum* contrarium affirmat Abb. *in c. contingit cit.* Navar. *Man. c. 27. n. 78.* Sayr. *Thesaur. l. 3. c. 26. n. 20.* Molin. *D. 51. n. 4.* Suar. *sect. 1. cit. n. 59.* Coninck *D. 14. dub. 15. n. 170.* Bonac. *D. 2. de excomm. q. 4. p. 2. fin.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 5.* Pirh. *n. 52.* Reiffenstuel *n. 116.* Negativam tamen defendit Barbos. *in c. contingit cit. n. 7.* & probabile censent *Suar. Bonac. Palao &c.* quia Pontifex *can. fiquis suadente* videtur requirere distinctionem personarum inter eum, qui violentas manus injicit, & eum, cui istæ injiciuntur. Neque obstat *can. si non licèt 9. caus. 23. q. 5.* quia in isto tantùm dicitur, quòd Suicidio non minùs committatur homicidium, quàm alterius violenta interemptione, non tamen dicitur, quòd Excommunicationem Canonis incurrat Clericus sibi manus violentas inferens.

226 Quæritur 5. quid requiratur, ut quis incurrat Excommunicationem *can. fiquis suadente cit.* R. quatuor *vi cit. can.* requiruntur. 1. ut sit manuum injectio: hinc Excommunicationem istam non incurrit, qui solùm verbis contumeliosis Clericum, vel Religiosum afficit; vel qui citra manuum injectionem, aut detentionem corporalem Clericum cogit, ut se redimat, vel aliquid ei tribuat: item qui vibrat hastam, baculum, gladium, volens eum percutere, non tamen percutit, quia v. g. Clericus ictum, sibi intentatum declinavit, aut lædere volens ab eo aberravit. Suar. *D. 22. sect. 1. n. 23.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 6.* Barbos. *in can. fiquis cit. n. 50.* Engl *hic n. 133.* Wiestn. *ibidem n 83.* Per *manuum injectionem* autem intelligitur quæcunque actio, & effectus violentus in personam, vel adhærentia personæ, ut si per injuriam aquam, salivam, pulverem in Clericum projicias, si violentè illum detineas, etiam sine læsione, si aliquid ei per vim eripias è manu, vel corpore, si ad frenos equi manum adhibeas, aut præscindas Ephippij cingulum, si cibum, vel potum veneno infectum porrigas, quo moriatur, si furiosè eundem persequaris, ut cogatur se præcipitare in flumen, aut aliud discrimen ad se liberandum pati &c. Navar. *Man. c. 27. n. 77.* Molin. *D. 51. n. 8.* Suar. *sect. 2. cit. n. 27.* Laym. *n. 6.* Engl *n. 133.* Pirhing *n. 51.* Wiestner *n. 76.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 300.*

2. Debet esse manuum injectio vio- 227
lenta; nam quando casualis est, etsi sit homicidium, & hoc peccaminosum mortaliter, Excommunicatio non incurritur. Ex eodem capite non incurrit Excommunicationem, qui Clerico nummos tollit ex loculo penes se gestato, aut qui cingulum, quo actu incingitur, eidem aufert, etsi præcisio interveniat; quia actiones istæ violentæ non sunt. Sayr. *l. 3. Thesaur. c. 26. n. 16.* qui addit, neque eum excommunicatum esse, qui exilium præcipit Clerico, aut confinia, intra quæ se contineat; quia *can. fiquis suadente* sub Excommunicatione prohibetur sola violentia exterioris manûs, quæ tali casu non intervenit, sed sola vis præcepti.

3. Debet fieri *suadente Diabolo*, si- 228
ve ex affectione animi interna lædendi Clericum injectione manûs sacrilega, & graviter peccaminosâ; quia Excommunicatio major quæcunque, tanquam pœna gravissima, ut delicto improportionata non sit, gravem, & lethalem culpam præsupponit. Hinc si percussio sit tum secundùm se, tum respectivè levis, & talis, ut peccatum veniale non superet, percutiens immunis est ab Excommunicatione.

4. Debet esse facta in Clericum, vel 229
Monachum. Unde non sufficit violentas manus inferre personis conjunctis, familiaribus &c. E contrario ab Excommunicatione non liberat error, quo quis volens percutere Titium Clericum, percutiat Caium Clericum, putans esse Titium; quia

quia sufficit voluntas percutiendi, secuta percussione, licèt non secuta fuerit in persona existimata, seu proposita. Sayr. *l. 3. Thes. c. 27. n. 4.*

230 Dub. 1. quænam causæ excusent ab hac Excommunicatione incurrenda? R. varias esse causas, præcipuè verò duas considerari in hoc circumstantias oportere, personæ percussæ scilicet, & modi percussionis, ratione quarum excusatur ab Excommunicatione, uti etiam à peccato mortali plerumque percutiens, si his consideratis, non censeatur esse graviter injuriosa Statui Clericali.

231 *Ex circumstantia personæ percussæ* excusatur 1. qui percutit Clericum realiter degradatum, aut aliàs exutum privilegio Canonis, juxta dicta *n. 218.* 2. excusantur plerumque pueri Clerici rixantes, & se invicem percutientes pugno, etiam in templo, quamvis etiam sanguis effluat è naribus; quia plerumque injuria hæc inter ipsos levis censetur, Dixi *plerumque*; potest enim etiam inter ipsos percussio, & injuria gravis esse: unde, ut bene Palao *p. 23. §. 3. n. 2.* cum aliis notat, ex circumstantiis colligendum hoc est. 3. excusatur, qui ex mandato Prælati mittit violentas manus in Clericum eum capiendo, nisi modum excedat; nam, ut Sayr. *l. 3. Thesaur. c. 27. n. 25.* notat, si Clericus quietè se permittit capi, aut duci, capiens, vel ducens, eundem non resistentem calce, pugno, vel alio modo percutiens, excommunicatur: imò si Clericus cautionem fidejussoriam daret Episcopo de parendo Juri, capi, aut detineri non posset, nisi aut delicti enormitas, aut alia rationabilis causa hoc suaderet. 4. excusantur Officiales, qui reperientes Clericum de nocte, quem probabiliter timent commissurum delictum, eundem capiunt, ut præsentent Prælato; quia hìc non potest notari Diabolica persuasio, cùm id fiat ad obviandum delicto, & præsumptio mala sit contra incedentes de nocte. Sayr. *l. cit. n. 28.* 5. excusatur, qui Clericum excommunicatum, nolentem ab Ecclesia egredi, dum ibi Sacra peraguntur, leviter percutit. Victorell. *in not. ad Tolet. l. 1. c. 33.* citans *Philiarc.* Sayr.

232 Ex *modo percussionis* à Censura excusatur 1. qui ex subita passione, animo non plenè advertente, e. g. in ludo socium suum Clericum percutit, maximè si ab hoc priùs percussus fuerit. Tolet. *l. 1. Summ. c. 33. n. 1.* Suar. *D. 22. sect. 1. n. 50.* Molin. *tr. 3. D. 51. n. 7. & 8.* Coninck *D. 14. dub. 15. n. 150.* Bonac. *D. 2. de Censur. in partic. q. 3. p. 6. n. 4.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 23. §. 3. n. 3.* Engl *n. 136.* Pirhing *n. 42.* Wiestner *n. 83.* Reiffenstuel *n. 117.* la Croix *n. 300.* Ratio est, quia inconsultus calor calumniæ vitio caret. Et hoc modo, ut benè Sayr. *l. cit. n. 34.* notat, excusari possunt percussiones tum defensivæ, tum correctivæ, quando modicùm excessivæ sunt; quia excessus ille non ex deliberatione, sed passione contingit.

233 2. Excusatur, qui Clericum percutit, probabiliter ignorans esse Clericum, e. g. quia habitum, & tonsuram non detulit, vel etsi hunc deferret, noctu deprehensus fuit ab ignorante, quòd esset Clericus, quia signa Clericatûs non vidit. Et hoc verum est, etsi percussio gravis sit contra Justitiam; quia non propter percussionem injustam, sed propter percussionem Sacrilegam, & Statui Clericali injuriosam Excommunicationis pœna statuitur. atqui stante ignorantia probabili Statûs clericalis, cessat injuria, ùt manifestè colligitur ex *c. si verò 4. h. tit.* ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis, quia probabiliter existimare poterat non esse Clericum. Sanch. *l. 9. de Matr. D. 32. n. 41.* Palao *l. cit. n. 4.* Dixi *probabiliter ignorans*; nam si crassa ignorantia foret, ùt si tonsuram videns, tamen putaret, non esse Clericum, ab excommunicatione non excusaret. Quodsi dubitetur, an percutiens probabiliter ignoraverit, proprio Juramento purgare se potest: si jurare noluerit, contra eum præsumitur, & ideo tanquam excommunicatus vitandus est, donec per Sedem Apostolicam absolvatur. Sayr. *l. 3. Thesaur. c. 27. n. 2.*

234 3. Excusatur, siquis volens percutere Titium Clericum, aberret ab illo, & casu, sive præter intentionem percutiat alium Clericum ponè adstantem. Suar. *sect. 1. cit. n. 54.* Coninck *n. 197.* Laym. *n. 8.* Ratio est, quia talis non percutit voluntariè hominem, quem scit esse Clericum; ponitur enim, quòd à Clerici intenta percussione aberraverit, & alterum hominem, qui fortè adstabat, & Clericus erat, involuntariè, & præter intentionem percusserit. Unde discrimen est cum eo, qui Cajum Clericum percussit, putans esse Titium Clericum; nam iste ex destinato percutit hominem, quem scit esse Clericum, in quo tota consistit ratio, ob quam Excommunicatio lata est. Palao *n. 4. cit.*

235 4. Excusatur Prælatus, qui Clericum, vel Monachum subditum, & Magister, qui discipulum correctionis, aut disciplinæ causâ percutit, quamvis iste in Sacris sit constitutus *c. ex tenore 10. c.*

universitatis 24. c. cùm voluntate 54. §. fin. h. tit. *Magistri* autem nomine, ut *Molina*, & ex hoc Palao *l. cit. n. 6.* advertunt, venit etiam Pædagogus, & quicunque alius, qui ad honestum aliquid docendum, vel in officio continendos Clericos assumitur. Debet autem 1. verberatio, quæ pro correctione adhibetur, exerceri erga Clericum subditum tali Prælato; nam si erga non subditum exerceretur, non evitaretur censura, quippe quæ solùm evitatur, cùm percussio est actus Jurisdictionis. 2. debet esse proportionata delicto, & personæ Ecclesiasticæ; nam si notabilis excessus esset, Prælatus eam infligens incurreret Excommunicationem, quippe cùm talis percussio jam non esset Ecclesiastica disciplina, sed violenta manuum injectio. 3. talis castigatio fieri debet, servato ordine Juris, si sit pœna Juridica, vel saltem debito correctionis modo, si sit paterna, & religiosa correctio: atque hinc si Superior temere irruat in subditum sine proportionata causæ cognitione, non censebitur agere ùt Superior, neque evitabit censuram Canonis. Suar. *D. 22. sect. 1. n. 41.* Plura vide *suprà Tit. 24. de Cler. Percussor.*

836 §. Excusantur, qui in defensionem sui, vel alieni honoris, corporis, famæ, bonorum fortunæ Clericum aggressorem detinent, vel percutiunt, si tamen in continenti hoc fiat, & moderamen inculpatæ tutelæ observetur: quia hæc percussio non vis, sed defensio est, quæ cuivis licèt, sive se, sive alium innocentem defendat *c. si verò 3. ℣. si verò Clericum, c. ex tenore 10. h. tit.* Molin. *D. 55. àn. 3.* Suar. *sect. 1. cit. à n. 33.* Avil. *p. 2. c. 5. D. 33. dub. 12.* Laym. *c. 5. n. 8.* Palao §. *3. cit. n. 15.* Engl *hic n. 137.* Wiestner *n. 84. & 85.* Reiffenstuel *n. 118.* la Croix *n. 300.* Ex hoc capite *Bonacina* cum communi excusat Creditorem, qui Clericum debitorem fugientem, vel fugam parantem detinet, ut eum Superiori præsentet, & creditum suum acquirat; item illum, qui Clericum furem in continenti insequitur (nam hujusmodi insecutio licita est, cùm fiat ad res suas recuperandas, & defendendas) similiter mulierem, quæ Clericum de stupro illam tentantem percutit, modò tentatio non fiat solo verbo, sed facto: quodsi tamen valde molestus esset, & mulier se aliter ab eo liberare non posset, quàm fuste, & verbere, etiam tentatio verbo facta sufficeret, ut ex communi docent *Avil. Suar. Conin. Laym.*

837 6. Excusatur ab Excommunicatione, qui percutit Clericum turpiter inventum cum uxore, matre, sorore, filia percutientis, quam amplexibus, tactibus, osculis, præsertim in loco secreto, aut suspecto, tractat; nam etsi talis percutiendo, vel occidendo lethale committat peccatum, Jus Canonicum tamen in detestationem illius criminis, & ob difficultatem cohibendi vindictæ impetum, noluit percussorem Excommunicatione punire, ut habetur *c. si verò 3. ℣. nec illa h. tit.* & tradit *ibid.* Gloss. *V. turpiter*, Navar. *Man. c. 27. n. 84.* Molin. *D. 55. cit. n. 5.* Suar. *n. 37.* Laym. *n. 8.* Palao *n. 13.* Engl *n. 126.* Pirhing *n. 69. & 70.* Wiestner *n. 88.* Reiffenstuel *n. 126.* la Croix *n. 300. & 307.* Permissionem hanc *Innocentius* extendit etiam ad Aviam, neptem, & omnes ascendentes, & descendentes: sed, ut ex communi *Suar. Molin. Coninck Laym. Pal. Bonac.* Docent ad alias personas propinquas privilegium hoc extendi non debet; & ratio est, quia hæc exceptio odiosa est Statui Clericali, cùm restringat eorum privilegium. sed quæ odiosa sunt, ultra personas Jure expressas extendi non debent. ergo &c. Dicendum igitur, non evitare censuram eum, qui Clericum cum aliis personis extraneis, vel remotioribus gradu, præter nominatos, de prehensum percutit. Engl *n. 126. cit. fin.*

Dub. 2. an in continenti debeat fieri hæc percussio, ut percussor ab Excommunicatione immunis sit? *Ratio dubitandi* est, quia etiam transacto actu, difficile est temperare tristitiam, & dolorem in tali casu ex injuria conceptum, & cohibere vindictam, atqui ob hanc difficultatem concessum est hoc privilegium. ergo cùm manente causa, maneat idem effectus, dicendum est, non minùs ab Excommunicatione excusari illum, qui post moram temporis Clericum sic inventum percutit, quàm qui eum percutit in continenti. *Sed dicendum*, percussionem faciendam in continenti, ut evitetur excommunicatio. Ita Sayr. *l. 3. Thesaur. c. 27. n. 23.* Suar. *D. 22. sect. 1. n. 35.* Molin. *tr. 3. D. 7. ad 1.* & *D. 55. n. 5. fin.* Laym. *c. 5. cit. n. 8. ℣. quarta*, Bonac. *D. 2. de Excomm. q. 4. p. 6. n. 6.* Palao §. *3. cit. n. 14.* & communis DD. Colligitur ex *c. si verò 3. h. tit.* ubi textus excusat tantùm illum, qui percutit Ecclesiasticum turpiter inventum cum uxore, matre, filia, sorore percutientis, at, qui percutit post finitum delictum, non percutit formaliter inventum, seu quem actu invenit, sed percutit alio tempore in delicto repertum. Ex quo cadit etiam Ratio dubitandi allata in contrarium.

Ma-

239 *Major difficultas* est de eo, qui delinquentem ex industria exspectat, & secretò observat, ut venientem percutiat, an excommunicationem incurrat? Laym. *l. cit.* putat hanc non effugere; quia occasionem præsentis doloris facilè removere poterat, & debebat. Jus autem *c. cit.* ad censuram vitandam exigit, ut quis percutiat turpiter inventum seu casu, & præter intentionem deprehensum. ergo &c. Sed contrarium cum communi docet Navar. *Man. c. 27. n. 84.* Molin. *D. 55. fin.* Coninck *D. 14. dub. 15. n. 196.* Bonac. *D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 6.* Palao §. *3. cit. n. 15.* qui putant, si absit dolus, talem non incurrere excommunicationis Censuram. *Ratio est*, quia secreta hæc, & occulta observatio, aut exspectatio non impedit, quin turpiter agentem invenias, etsi invenias quæsitum, & exspectatum. ergo nisi fraudi, vel dolo alterum inducas in delictum, ut in delicto deprehensum percutias, observatio hæc, & exspectatio occulta nihil obest. Dixi autem, *Nisi fraude, vel dolo alterum inducas in delictum*? nam si hoc facias, ut *Navar. Laym. Molin. Bonac. Palao &c.* docent, censuram non effugies; neque enim æquum est, ut deceptionibus iniquis per privilegia sua faveat Ecclesia.

240 Dub. 3. an pater, aut alii prorinqui, vel consanguinei Ecclesiasticos sibi subditos punire possint? *Certum est*, punire posse, si in minoribus solùm sint constituti, & percussio sit moderata, nam sic expressè habetur *c. cùm voluntate 54. h. tit.*

De iis, qui Sacris initiati sunt, bifariam dividuntur DD. S. Antonin. *p. 3. tit. 24. c. 1. §. 2. cas. 12.* Sylv. *V. Excommunicatio 6. cas. 8.* Navar. *Man. c. 27. n. 82.* Suar. *D. 22. sect. 1. n. 49.* Filiuc. *tr. 15. c. 1. q. 1. & 6.* Coninck *D. 14. dub. 15. n. 192.* Valent. *2. 2. q. 9. p. un.* Bonac. *D. 2. de Excomm. extr. Bull. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 4.* & *tom. 1. D. 2. q. 4. p. 4. n. 4.* existimant licere Patri corrigere filium, etsi is, qui percutitur, in Majoribus Ordinibus constitutus sit. Colligunt hoc ex *c. cùm voluntate cit.* ubi nulla fit distinctio inter clericum constitutum in majoribus Ordinibus, vel in minoribus. Ratione utuntur triplici. 1. quia per susceptionem Ordinis Sacri filius non eximitur à disciplina patris. sed ante susceptionem Ordinis Sacri pater potuit pro qualitate personæ, & culpæ moderatè punire filium, ergo idem poterit post Ordines Sacros susceptos. 2. Patrifam. Jure naturali concessum est corrigere delinquentes ex sua familia, sed propter id, quod Jure naturali concessum est, excommunicationis pœna imponi non potest. ergo &c. 3. Magister potest discipulum, in Sacris constitutum, moderatè punire, ut dictum est *n. 235.* sed Pater majorem habet potestatem in filium, quàm Magister in Discipulum.

241 *Contrà* non posse filium in Sacris constitutum ad correctionem à Patre percuti, contendunt Molin. *tr. 3. de Just. D. 228. V. hic tamen effectus*, & *D. 56. n. 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9.* Palao *D. 3. p. 23. §. 3. n. 8.* Barb. *in c. 54. cit. n. 6.* Engl *hic n. 139.* Pirhing *n. 75.* Wiestn. *n. 87.* post *Felin. Host. Abb. Anton. de Butrio, Zabarellam, Angelum &c.* quorum Sententia, quia favorabilior Dignitati Clericali, videtur amplectenda, ex triplici fundamento. 1. quia *can. siquis suadente* omnibus generaliter prohibitum est in Clericum violentas manus injicere. ergo cùm nuspiam concessum sit patri privilegium, ut correctionis causâ violentas manus possit injicere in filium, qui in Sacris jam constitutus est, censendum est id non licere patri. 2. ex eo, quòd seniores Clerici, & alii ex officio deputati percutere possint pueros in minoribus constitutos, Sacra turbantes, communis sententia teste *Molina* infert, nullatenus id permissum esse ipsis erga Clericos in Sacris constitutos. ergo pariter, etsi Jus Patri tribuat potestatem castigandi filium in minoribus constitutum, non tamen hoc sequitur etiam de filio in Sacris constituto. 3. quando Prælatus Episcopo inferior corrigere peccantem Clericum vult per alium, id ex rigore Juris, ut *Tit. 25. n. 6.* dictum est, fieri debet peralium Clericum, & non per Laicum; quia indecens est, Laicum etiam correctionis causâ manus violentas injicere in Clericum. atqui Paterf. ordinariè saltem est Laicus. ergo saltem eos, qui in Sacris constituti sunt, non potest percutiendo corrigere.

242 Neque efficaciter contrarium probant Rationes allatæ. *Ad 1.* dico, etsi filii per susceptionem Ordinis Sacri non extrahantur ex potestate patria absolutè, extrahuntur tamen ab illa quoad effectum correctivæ percussionis. *Ad 2.* Jure naturali parentibus concessa est potestas corrigendi filios, sed correctione accommodata ipsorum filiorum qualitati, & statui. *Ad 3.* negatur paritas; nam Magister plerumque est Clericus, etsi quandoque sit Laicus, at Paterf. ordinariè est Laicus, licèt aliquando sit Clericus. Lex autem spectavit id, quod contingit frequentiùs. Unde ratio fuit, quòd indiscriminatim potestatem corrigendi quosvis

Clericos concesserit Magistris, Patri verò eam limitârit solùm ad eos, qui sunt in minoribus. Imò, ut Felin. *in c. cùm voluntate cit.* & Molin. *D. 56. n. 7.* tradunt, probabile est, etiam Magistrum, in gradu Ecclesiastico inferiore constitutum, punire non posse discipulum constitutum in altiore gradu; quia indecens est, ut inferior in gradu Ecclesiastico superiorem puniat.

143 Quæritur 6. quis absolvere possit ab excommunicatione Canonis? R. distinguendum esse inter percussiones; nam alia est percussio enormis, seu atrox, alia gravis seu mediocris, alia levis, sic dicta, non quòd culpam mortalem non attingat; nam excommunicatio hæc necessariò requirit culpam mortalem: sed comparatione aliarum percussionum, quæ graves, aut etiam atroces sunt. *Atrox*, seu *enormis* censetur, quando processum est ad mutilationem membri, aut vulnus inflictum est, unde inhabilitatur membrum, vel effusio sanguinis facta cum abundantia, non tamen è naribus, unde facilè egreditur, sed aliunde. *Levis* est, quæ fit pugno, palmâ, manu, pede, ligno, lapide non facientibus vulnus, nec relinquentibus maculam, vel sugillationem carnium, vel quæ fit absque abscissione membri, sine effractione dentis, sine evulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis, ut patet *Extrav. Joann. XXII.* quam refert Navar. *Man. c. 27. n. 92. Media*, seu *gravis* illa dicitur, quæ est media inter enormem, & levem, qualis est, quâ dens extrahitur, vel capillorum copia evellitur, aut sugillatio carnis relinquitur, aut sanguinis copia effunditur, absque gravi læsione, vel injuria.

144 Hoc tamen solùm verum est regulariter loquendo; nam sæpe percussio, quæ respectu unius levis est, ex circumstantiis apud alium gravis, imò quandoque etiam enormis fit. Tales autem circumstantiæ sunt 1. *pars corporis*, in qua fit percussio, ut si percutias in ore, oculo, facie graviter; nam in his censetur percussio gravior esse, quàm in aliis corporis partibus, & cons. minor percussio in his sufficiet ad injuriam gravem. 2. *locus*, ut si percutias in platea, theatro, aut consessu publico, si Sacris indutum vestibus, vel paratum ad Divina celebranda, aut coram Rege, Prælato, vel alia persona in magna dignitate constituta &c. 3. & maximè *Status* personæ offensæ, & offendentis, ut si percutias Episcopum, Abbatem, Superiorem, Judicem, Patronum, Herum, aut alium in Dignitate constitutum: item si Sæcularis percutiat Religiosum, aut homo infimæ sortis nobilem Ecclesiasticum; nam hæ percussiones, etsi leves ex se forent, grave scandalum generant, & graves injuriæ reputantur. Unde, ut bene *Toletus* notat, Regula universalis dari non potest, sed an gravis, aut levis, vel etiam enormis percussio sit, ex judicio prudentum definiri debet. In dubio, cùm absolutio in foro externo petitur, committitur judicium Diœcesano; si in foro interno tantùm, decisio ad eum pertinet, qui potestatem absolvendi in foro interno habet.

145 Habet autem potestatem absolvendi ab hac censura, spectato Jure communi, & seclusis specialibus privilegiis, ac consuetudine, solus Pontifex; nam, ut ex *can. siquis suadente sæpius cit.* constat, hanc absolutionem sibi extra articulum mortis reservavit Pontifex. Et hoc procedit, etiamsi delictum occultum sit, spectato Jure communi: quod tamen relaxavit Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* Pirhing *hic n. 88. coroll. 2.* Dixi *spectato Jure communi, & seclusis privilegiis, ac consuetudine*; nam ex speciali Jure, & privilegio extra articulum mortis etiam aliis quibusdam potestas ista concessa est. Atque hinc in particulari.

146 Dubitatur 1. de Legato Pontificis, à qua percussione possit absolvere? R. distinguendum esse inter Legatos. *Legatus à Latere* absolvere potest ab omni percussione in utroque foro, neque eos solùm, qui sunt de Provincia, ad quam destinatur, sed etiam quosvis alios ad ipsum concurrentes: incipit hæc ejus potestas à die, quo curiam Romanam egreditur, usque ad diem, quo ipsam regrediens ingreditur. Ita cum communi Gloss. & Abb. *in c. excommunicatis 9. de Offic. Legat.* Ratio est, quia hic Pontificia gaudet authoritate *c. ad eminentiam 20. h. tit.* Neque hæc est propriè extensio *can. siquis suadente*, sed declaratio; quia sub Judice Ordinario semper comprehenditur, qui ejus vices gerit, sive Legatus illius. Engl *hic n. 143. Legatus Nuntius*, seu *missus*, quos *Nuntios Apostolicos* appellamus, eandem habet facultatem, sed magis restrictam; nam absolvere potest tantùm eos, qui de sua sunt Provincia, & quamdiu in Provincia existit, non verò alios, vel alibi, ut colligitur ex *c. excommunicatis cit. Legatus natus* ratione Legationis suæ in ordine ad absolvendum ab Excommunicatione nullam specialem potestatem habet, sed eâ solùm gaudet, quâ reliqui Ordinarii, nisi major à Sede Apostolica specialiter iisdem concedatur, ut constat ex *c. cit.* & tradit Molin. *D. 58. per totam*, Suar. *D. 22. sect. 1. n. 60.* Wiestner *hic n. 90.* & communiter DD. Videantur dicta *Libr. 1. Tit. 30. à n. 4.*

147 Dub. 2. quam potestatem absolvendi ab hac censura habeant Episcopi, & Archiepiscopi? R. ab Excommunicatione contracta

tracta ob levem percussionem absolvere possunt Episcopi, cæteríque Ordinis Episcopalis, & verisimiliùs quicunque Prælati alii, Jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio, & in ejus populum exercentes *c. pervenit 17. h. tit.* & *Extrav. perlectis Joan. XXII.* allegata à Covar. *in c. alma p. 1. §. 9. n. 2.* Engl *hic n. 146.* Pirhing *n. 48.* Wiestner *n. 92.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 300.* Potéstque potestatem istam Episcopus committere etiam alteri; quia hæc ipsi competit Jure ordinario. Imò etiam Vicarius Generalis Episcopi ab iisdem casibus non solùm ipse potest absolvere, sed etiam dare aliis facultatem absolvendi; quia ipse est Judex Ordinarius, & facit unum Tribunal cum Episcopo.

248 Si percussio sit gravis, & enormis, interest, an occulta illa sit, & ad forum contentiosum nondum deducta, an verò notoria, vel deducta ad forum contentiosum. *Si primum*, ùt ob alia delicta (excepto homicidio voluntario) ita etiam ob percussionem Clerici quamcunque excommunicatos absolvere possunt Episcopi vi Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* Eadem potestas ibidem datur etiam iis, qui Jurisdictionem Episcopalem habent, etsi characterem non habeant.

249 *Si secundum*, neque Episcopus, neque ejus Vicarius per se potest ab hac censura absolvere; quia potestatem istam sibi soli servavit Pontifex, præter casus Jure expressos. *Excipiuntur* autem speciali Jure, ut ab Episcopo etiam ob percussionem gravem, & enormem absolvi possint. 1. Impuberes *c. super eo 1. c. quamvis 58.* & *c. fin. h. tit.* Et hoc verum est, etsi post pubertatem primùm absolutionem petant *c. fin. cit.* quia beneficium, à Jure semel ipsis indultum, pubertatis anni supervenientes non extinguunt. Abb. *in c. fin. cit. n. 1.* Sayr. *l. 3. c. 28. n. 20.* Molin. *D. 59. n. 3.* Suar. *D. 22. sect. 1. n. 69.* Bonac. *tom. 3. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. n. 12.* Palao *D. 3. p. 23. §. 4. n. 6.* Engl *hic n. 30.* & *n. 144.* Pirhing *n. 74.* & *87.* Wiestner *n. 95.* la Croix *n. 300.*

250 2. Moniales *c. de monialibus 33. h. tit.* & mulieres aliæ, cujuscunque ætatis, & conditionis sint *c. mulieres 6.* & *c. ea noscitur 13. eod.* Et hoc verum est, etsi Pontificem adire possent; quia periculosa harum peregrinatio à Jure censetur. Abb. *in c. cit.* Palao *n. 7.* Vallens. *§. 7. n. 4.* & *5.* Engl *n. 130.* & *144.* Pirhing *n. 77.* &c. Wiestner *l. cit.*

251 3. Clerici in eadem domo commorantes, ùt in Seminariis, Convictoriis, Collegiis Universitatum, saltem si non sit enormis percussio *c. quoniam 9. de Vit.* & *honest.* quia cùm ratione communis vitæ, & assiduæ cohabitationis facilè iracantur, conveniens non fuit, ipsos pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam, vel istius Legatum mitti. Abb. *in c. cit. n. 3.* Palao *n. 15.* Engl *n. 131.* & *144.* Wiestner *l. cit.*

4. Janitor Principis, Prælati, vel alterius potestatis, si prætextu Officii sui, non tamen arrogandi sibi potestatem, vel Jurisdictionem in Clericos, percutiat Clericum, modò percussio non sit enormis *c. si verò 3. pr. h. tit.* & *ibi* Glossa cum communi DD. Quod Palao *n. 16.* extendit etiam ad Apparitores publicos, qui arcendo turbam, ex negligentia, non tamen ex proposito percutiunt Clericum. 252

5. Servi: nam hi, nisi percussio tam enormis fuerit, ut ad vitandum scandalum, & tollendum exemplum oporteat percutientem mittere ad Sedem Apostolicam, ab Episcopo absolvi possunt, si absentia eorum in magnum detrimentum domini cederet, & Dominus in culpa læsionis non fuit particeps cum suo servo *c. relatum 37. h. tit.* quod tamen non est intelligendum de famulis conductitiis liberis, ùt rectè notat. Tolet. *l. 1. c. 32. n. 4.* 253

6. Quicunque alii, etiam viri, habentes necessitatem aliquam gravem, quæ difficilem ipsis reddat recursum ad Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum, ùt siquis laboret febri tertiana, vel alio morbo, si debilis sit, aut ob defectum alicujus membri laborem itineris sustinere non valeat, si ad perficiendum iter cogeretur mendicare, quòd aliàs non fuit solitus, si senex sit, etiam fortis viribus, si periculum sit in itinere ob bellum, pestem &c. Eadem ratione excusantur, qui sine damno alieno non possunt iter Romanum facere, ùt maritus, Parochus, Gubernator urbis, aut alii publico officio illigati, nisi tamen hi idoneum Vicarium habere possint *c. ea noscitur cit. c. quamvis 58. eod.* Palao *n. 18.* Vallens. *§. 7. n. 4.* Engl *n. 144.* Pirhing *l. cit.* la Croix *n. 300.* Ii, qui non habent impedimentum perpetuum, antequam sic absolvantur ab Episcopo, nisi pueri, vel mulieres sint, præstito juramento, promittere debent, quòd si viribus suis restituti fuerint, vel aliud impedimentum cessaverit, ad Sedem Apostolicam, vel Legatum ejus velint accedere *c. citt. fin.* 254

Dub. 3. quam potestatem absolvendi ab Excommunicatione Canonis respectu Subditorum suorum Regularium habeant Abbates Præpositi, Priores, Guardiani, Rectores, & similes eorum Superiores? R. distinguendum esse, non tantùm inter actiones, sed etiam inter personas, quibus violentas manus injecerunt. Vel enim ab ipsorum subdito percussus est alius ejusdem Monasterii Religiosus, vel alius diversi Monasterii, aut Clericus Sæcularis. 255

Si

256 *Si Religiosus ejusdem Monasterii percussus est*, percussor absolvi potest à Superiore suo locali, & multo magis à Provinciali, & Generali *c. Monachi 2. h. tit.* nisi percussio sit enormis; tunc enim de Jure pro absolutione recurrendum est ad Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum *c. canonica 50. h. tit.* Navar. *Man. c. 27. n. 92.* Suar. *D. 22. sect. 1. n. 73.* Tolet. *l. 1. c. 32. n. 8. & 9.* Sayr. *l. 3. c. 3. & c. 28. n. 10. & seqq.* Molin. *tr. 3. D. 60. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. circ. fin.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 23. §. 4. n. 8.* Pirhing *n. 60.* Wiestner *n. 97.* la Croix *n. 321.* Dixi *de Jure*; nam ex specialibus privilegiis Regulares plerique ab Excommunicatione, ob quamcunque percussionem contracta, absolvi à Superioribus suis possunt, ut constat ex *Compend. Privil. Societ. JESU V. Absolutio*, & *Privil. FF. Min. V. eod. §. 13. & 30.* Molin. *l. cit. n. 6.* Laym. *n. ult.* Palao *n. 10.* Engl *n. 132. & 144.* Pirhing *n. 65. not. 7.* Wiestn. *n. 97. fin.* la Croix *n. 321.*

257 *Si verò percussus est Religiosus diversi Monasterii, vel Domûs*, percussor quidem absolvendus est à suo Superiore, sed præsente Superiore percussi, ut utriusque consensu satisfactio imponatur *c. cùm illorum 32. h. tit.* nisi iste vices suas Superiori percussoris commiserit, Abb. *in c. cit. n. 13.* Sylv. *V. Absolutio 5. n. 5.* Suar. *sect. 1. cit. n. 73.* Molin. *n. 5.* Laym. *n. 10.* Palao *n. 9.* Engl *n. 132.* Pirhing *n. 63. not. 4.* Wiestner *n. 97.* la Croix *n. 321.* Quodsi hi duo Prælati discordaverint in satisfactione imponenda, quia Prælatus offensi acerbiorem exigit eâ, quam Prælatus offendentis designat, eligendus est tertius arbiter, qui cum ipsis Judicium ferat; semper tamen absolutio, impositio, & executio pœnæ ad Prælatum offendentis, utpote verum ejus Superiorem, pectabit. Palao *l. cit.* cum *Sylv. Molin. Laym. citt.*

258 *Si denique percussus sit Clericus secularis*, distinguendum est imprimis inter percussionis modum; nam si percussio sit *gravis*, aut *enormis*, non à suo Prælato, sed à Summo Pontifice solo absolvi debet. Si verò *levis*, videndum est, an percussor Religiosus sit exemptus, an non. *Si exemptus non est*, absolvi debebit ab Episcopo; *si verò exemptus*, absolvi ab isto poterit, saltem cum consensu sui Prælati Regularis *c. cùm illorum cit.* & *c. Religioso 21. eod. in 6.* Sylv. *l. cit. n. 2. & 5.* Suar. *n. 73.* Palao *n. 10. & 11.* Engl *n. 132.* Wiestner *n. 97.* la Croix *n. 321.* Quodsi consentire Superior regularis nolit, & simul ipse, cùm posset, absolvere percussorem neget, Palao *n. 14.* distinguit, Vel enim hujusmodi absolutionem, vel licentiam justè denegat, eò, quòd ob enormitatem criminis omnino oporteat eum mittere pro absolutione ad Sedem Apostolicam; & tunc Religiosus ejusmodi nequaquam poterit ab Episcopo Diœcesano absolvi, vel negat eam manifestè injustè; & tunc absolvi poterit ab Episcopo, quippe cui tunc Religio, vel Pontifex censetur Jurisdictionem dare. Dixi autem *manifestè injustè*; quod ratò, vel nunquam contingit. Unde nisi manifesta sit injustitia, dum Superior absolutionem negat absque ejus licentia Religiosus exemptus ab Episcopo absolvi non potest. *Neque obstat*, quòd Exemptio sit privilegium; est enim privilegium in favorem non singulorum sed totius Religionis datum, & cons. privatus eo non potest cedere.

259 Porrò, quod de Religiosis dictum est, etiam dicendum de Novitiis; quia in favorabilibus hi nomine Religiosi continentur, ut adnotatur *c. cùm illorum cit.* idque verum est, sive percussio ab ipso facta sit ante, vel post ingressum; nam absolvi poterunt ab eodem Prælato, à quo possunt absolvi alii Religiosi ejusdem Domûs: hoc tamen discrimine, quòd Novitius, si ante Professionem è Monasterio egrediatur, obligatus sit Sedi Apostolicæ se præsentare; alioquin in similem Excommunicationem incidet *c. eos qui 22. h. tit. in 6.* quia absolutio ipsi concessa est ob impedimentum temporale, scilicet ne vagaretur. Sayr. *l. 3. c. 28. n. 13.* Molin. *D. 60. cit. n. 3.* Laym. *c. 5. fin.* Palao *n. 10.*

260 Dub. 4. quinam alii absolvere ab Excommunicatione, ob percussionem Clerici contracta, possint? R. in mortis articulo absolvere potest quivis à quavis censura, ut ex *can. piguis suadente sæpius cit.* patet. Intelligitur autem periculum mortis non tantùm, cùm quis laborat gravi infirmitate, sed etiam, quando aliquis est in quocunque periculo vicino morti, ut si timeat hostes, si longinquam, & periculosam navigationem aditurus, si transiturus per loca infesta latronibus &c. Quodsi quis morte præventus absolvi non potuit à censura, ab eadem absolvi post mortem potest per eum, qui absolvere vivum potuit, si tamen signa contritionis dedit. Et talis absolutio ad id valet, ut talis sepeliri in loco Sacro, & suffragia fieri pro eo possint.

261 Extra articulum mortis, præter Legatum, Episcopum, vel Prælatum Religiosum per se loquendo nemo alius absolvere potest, nisi ex speciali privilegio: quod per Indultum speciale Religiosis mendicantibus ferè æquale cum Episcopis pro foro conscientiæ in ordine ad hunc finem concessum est. Utrum verò ab his, vel ab Episcopo absoluti, adire adhuc Sedem Pontificiam debeant, controversia est. In qua *certum est*, non debere hanc adire, qui ab-

absolutus sic fuit ob impedimentum perpetuum, cùm ad impossibile nulla sit obligatio. *Difficultas* igitur tantùm est circa eos, qui laborant impedimento non perpetuo: & rationem dubitandi facit, quòd juxta dicta *n. 254.* isti promittere juratò debeant, se, cessante impedimento, accessuros Sedem Apostolicam. Verùm istud intelligi debet casu, quo absolutio fit à non habente potestatem: unde cùm juxta dicta *n. præsent.* Mendicantes, & juxta dicta *n. 248.* Episcopi ab omnibus ferè casibus, & censuris occultis, & ad forum contentiosum non deductis possint absolvere, ab his absoluti ulteriùs ad Sedem Apostolicam remitti non debent, sed ab iis, antequam absolvantur, tantùm peti, ut satisfaciant
262 Clerico injuriam passo.

Patet igitur, defacto post *Trid.* onus præsentandi se Sedi Apostolicæ imponi tantùm debere illi, qui absolvitur ab alio, quàm qui privilegium sic absolvendi habet, vel cùm quidem absolvitur ab Episcopo, sed postquam censura non ampliùs occulta, sed ad forum contentiosum deducta est; tunc enim, si ob impedimentum occurrens absolvatur ab Episcopo, impedimento cessante, adire Sedem Apostolicam debet. Addit Syr. *l. 3. Thesaur. c. 28. n. 38.* ex *Navarro*, justum impedimentum habere, qui ire non potest pro absolutione, etsi mittere pro ea possit; quia jus eum ad hoc non videtur obstringere, sed solùm vult, ut, si possit, vadat. Siquis adire Pontificem nequit, potest autem adire ejus Legatum, vel alium habentem facultatem absolvendi ab ejusmodi Excommunicatione reservata, debet hos adire.

§. IV.

De Suspensione.

SUMMARIUM.

263. *Suspensionis Definitio.*
264. 265. *Differentia ab aliis Censuris.*
266. &c. *Varietas.*
270 &c. *Quis possit suspendere?*
273. &c. *In quem ferri Suspensionis Censura possit?*
277. &c. *Quinam Clerici suspendi possint?*
282. &c. *Ob quam causam suspendi aliquis possit?*
285. &c. *An etiam ob culpam alienam?*
288. &c. *Forma servanda in ferenda Suspensione.*
290. &c. *Effectus Suspensionis ab Officio.*
299. &c. *Effectus Suspensionis à Beneficio.*
306. *Quod peccatum committat Violans Suspensionem?*
307. &c. *Et quam pœnam incurrat?*
310. &c. *Quomodo tollatur Suspensio possit?*
320. &c. *Quæ sit forma ab ea absolvendi?*

263 QUæritur 1. quid sit *Suspensio*, quotuplex, & quæ ejus causæ? R. *Suspensio*, prout hìc sumitur, est *Censura Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ formaliter impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquáque potestate utatur.* Ita Navarr. *Man. c. 27. n. 151.* Suar. *de Censur. D. 25. sect. 1. n. 2.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 1. n. 13.* Avil. *de censur. p. 3. D. 1. dub. 1.* Coninck *D. 15. dub. 1.* Bonac. *tr. 1. D. 3. de Suspens. p. 1. n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 1.* Hurtad. *de Suspens. diff. 1.* Palao *tr. 29. D. 4. p. 1. n. 1.* Vallens. *hic §. 8. n. 2.* Pirhing *n. 197.* Wiestner *n. 98.* Reiffenstuel *n. 159.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 395.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delictis c. 3. n. 234.*

264 Dub. 1. quomodo Suspensio differat ab aliis censuris, nempe Excommunicatione, & Interdicto? R. differre in modo, quo privat functionibus Ecclesiasticis. Et ab *Excommunicatione* quidem differt, quia hæc privat functionibus Ecclesiasticis, quatenus hæ sunt quædam cum fidelibus communicationes, à qua communicatione excluso est Excommunicatus; Suspensio verò his functionibus privat, quatenus sunt usus alicujus potestatis Ecclesiasticæ provenientis ab Officio, vel Beneficio: deinde prior ad personas Laicas etiam se extendit; posterior solùm ad Clericos. Palao *l. cit.* Magnif. P. Schmier *n. 236.*

Ab *Interdicto* differt imprimis, quia 265 Interdictum privat receptione aliquorum Sacramentorum, Ecclesiasticâ Sepulturâ, & Officiis Divinis, quibus suspensus non est privatus: deinde Interdictum afficit quamlibet personam fidelem; Suspensio verò personam Ecclesiasticam, quippe cùm soli Clerici capaces sint Officii, & Beneficii Ecclesiastici. Suar. *sect. 1. cit. n. 4.* Palao *n. 1. cit.* Pirhing *n. 197.* Wiestn. *n. 99. & 100.* Unde cùm Abbatissæ suspendantur ab Officio, non est Suspensio propriè dicta, cùm Jurisdictionem Ecclesiasticam nullam habeant; aliàs si propriè suspenderentur, incurrerent Irregularitatem per hoc, quòd

quòd violarent hujusmòdi Suspensionem. Valens. *tom. 4. D. 7. q. 18. p. 1. concl. 1.* Sayr. *c. 1. cit. n. 16.* Coninck *dub. 1. n. 2. & dub. 3. n. 18. & 21.* Palao *n. 2.* Pirh. *n. 206.* Wiestn. *n. 100.*

866 Dub. 2. quotuplex sit Suspensio? R. esse triplicem, quarum prima est *à solo Officio*, quâ Minister Ecclesiæ removetur ab exercitio Jurisdictionis, vel Ordinis: altera *à solo Beneficio*, quâ Clericus, intacta Ordinis, & Jurisdictionis potestate, jure percipiendi fructus privatur. Tertia *ab officio simul, & Beneficio*, quâ personæ Ecclesiasticæ adimitur exercitium potestatis Ordinis, & Jurisdictionis, & perceptio fructuum Beneficialium. Si Suspensio sit absolutè lata, ita, ut ex contextu colligi nequeat, an Suspensio sit ab Officio tantùm, an tantùm à Beneficio, intelligitur lata tam à Beneficio, quàm ab Officio. Henriq. *l. 13. c. 33.* Tolet. *l. 1. c. 43. n. 7.* Suar. *D. 25. sect. 2. n. 9.* Avil. *p. 3. D. 2. dub. 1. concl. 2.* Coninck. *dub. 1. cit. n. 4.* Laym. *c. 1. ctt. n. 2.* Palao *p. 1. n. 3.* Wiestn. *n. 107.*

867 Dividitur 2. in Totalem, & Partialem. Et quidem Totalis iterum duplex est, scilicet *Totalis simpliciter*, quæ est simul ab Officio, & Beneficio; de qua dictum est *n. præc.* Et *Totalis secundùm quid*, nimirum ab Officio tantùm, vel tantùm à Beneficio. *Suspensio totalis ab Officio.* dicitur, per quam aliquis ab omni Officio Spirituali tum Ordinis, tum Jurisdictionis, & administrationis Ecclesiasticæ removetur. *Totalis à Beneficio*, per quam aliquis suspenditur ab omni Beneficio Ecclesiastico quoad ejus administrationem, & fructuum perceptionem. Pirh. *n. 198.*

868 *Partialis Suspensio* fit, vel à certo tantùm Officio, aut parte illius. v. g. ab Ordine tantùm, per quam prohibetur omne exercitium Ordinis, vel à certo Ordine, per quam prohibetur exercitium Ordinis illius v. g. Sacerdotalis, vel à certa functione, sive actu Ordinis v. g. ab audiendis Confessionibus, vel celebratione Missarum. Item quando aliquis suspenditur à Jurisdictione tantùm, ita, ut vel nullum Jurisdictionis actum exercere suspensus possit, vel certum tantùm aliquem actum Jurisdictionis, vel quasi Jurisdictionis, ùt quando suspenditur quis à collatione Beneficii, aut voce Suffragii in Electione. Et denique quando fit suspensio à Beneficio non omni, quod habet Suspensus, sed certo tantùm, vel aliqua parte Beneficii v. g. dimidia parte fructuum, aut distributionibus quotidianis. Pirhing *n. 199.*

869 3. Alia *est absoluta*, quæ fertur absque ulla temporis determinatione; alia *Determinata*, quæ lata est pro determinato tempore: sed hæc posterior propriè Censura non est, sed potiùs delicti pœna: & ideo elapso termino, pro quo imposita est, cessat absque alia absolutione. 4. Alia est *à Jure*, alia *ab homine.*

870 Dub. 3. quis possit suspendere? R. Suspensionem *à Jure* latam solus Conditor Juris fert. Suspensionem verò *ab homine* is, qui potestatem habet excommunicandi, ferre plerumque potest. Sylv. *V. Suspensio 1. n. 2.* Navar. *c. 27. n. 159.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 2. n. 1.* Suar. *D. 28. sect. 1. n. 2.* Tolet. *l. 1. c. 13.* Henriq. *l. 13. c. 35. n. 1.* Laym. *p. 3. cit. c. 2. n. 1.* Palao *D. 4. p. 2. n. 1.* Vallens. *hic §. 9. n. 1.* Pirhing *n. 205.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 395.* Nulla tamen est repugnantia, quin sola potestas excommunicandi, & vicissim alicui conferatur, cùm sint Censuræ diversæ. *Suar. Palao l. citt.*

871 Olim Episcopus sine Capituli consensu non poterat censuram ferre, in Presbyteros præsertim *c. pervenit 1. de Excess. Prælat.* putántque non pauci, Jure antiquiore *can. Episcopus 6. caus. 15. q. 7.* sententiam Suspensionis, aliter latam non tantùm illicitam, sed etiam invalidam fuisse. Sed ùt bene notat Palao *l. cit. n. 2.* textus *can. cit.* vim Juris communis nunquam obtinuit; qui desumptus fuit ex *Conc. Carthag. 4.* quod Provinciale solùm fuit, & nunquam receptum ab Ecclesia. Dispositio autem *c. pervenit cit.* consuetudine abrogata est; videmus enim passim Episcopos, non requisito consensu Capituli, pœnam Suspensionis ferre in Clericos.

872 *Controversia* moveri potest, an nullus alius ferre sententiam Suspensionis possit, nisi Clericus? Sylv. *V. Abbatissæ*, & *V. Suspensio n. 1.* cum quibusdam aliis censet, Abbatissam posse suspendere Clericos Ecclesiarum sibi subditarum *arg. c. dilecta 12. de Major.* Sed standum est pro communi, quæ negat Suspensionem ab alio, quàm Clerico fieri posse. Ita Gloss. *in c. dilecta cit. V. Jurisdictionem*, Innoc. & Abb. *ibid.* Vivald. *de Suspens. n. 151.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 2. n. 9.* Palao *p. 2. cit. n. 3.* Engl *hic n. 15.* Ratio est, quia est actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ solùm Clericis potest competere. *Ad Rationem dubitandi* Suspensio lata ab Abbatissa *in c. dilecta cit.* non fuit propriè Suspensio, sed prohibitio, prout colligitur ex textu *cit.* ubi Pontifex Episcopo, cui rescripsit, non præcipit, ut Suspensionem Abbatissæ latam servare faciat, sed ut per censuram compellat subditos Abbatissæ præceptis obedire, igitur signum est, Suspensionem ab Abbatissa latam prohibitionis duntaxat, non verò censuræ habuisse rationem.

873 Dub. 4. in quem ferri Suspensionis censura possit? *Ratio dubitandi* est, quia Su-

Suspensio ab Officio non solùm privat Exercitio Ordinis jam obtenti, sed etiam obtinendi: & idem est de Suspensione à Beneficio, cujus effectus est, ùt ita suspensus non solùm privetur fructibus Beneficii, à quo suspensus est, & quod actu obtinet, sed etiam, durante hac Suspensione, incapax est ad quodcunque Beneficium aliud obtinendum, fructúsque ex illo percipiendos, ergo quoad affectum, scilicet Beneficii consecutionem, & Ordinis receptionem poterit Laicus suspendi, siquidem privari potest, ne Beneficium consequatur, néve Ordinem recipiat. *Conf.* quia *Extr. un. int. comm. de Censib.* & alibi suspenduntur Laici à communione Eucharistiæ.

274 Sed verior est affirmativa sententia, scilicet Suspensionem propriè dictam non posse cadere, nisi in Clericos. Ita Gloss. *in c. quicunque 11. V. ministros h. tit. in 6.* Innoc. *in c. fin. de Excess. Prælat.* Abb. *in c. dura 4. n. 10. de crim. falsi.* Navar. *Man. c. 27. n. 150. & seqq.* Suar. *D. 28. sect. 2. n. 1.* Avil. *p. 3. D. 4. dub. 2. concl. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 4. p. 2. n. 4.* Pirh. *hic n. 197.* & *n. 206.* König *n. 36.* Reiffenstuel *n. 163.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 395.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. n. 235.* Ratio est, quia Suspensio necessariò versari debet circa Officium, & Beneficium Ecclesiasticum, cujus incapaces sunt Laici.

275 *Excipiunt* aliqui Abbatissas, & alias hujusmodi Superiores Monialium, quas cum Tann. *tom. 4. D. 6. q. 10. dub. 7. n. 140.* Laym. *n. 2. cit.* Pirhing *n. 206.* putant, probabile esse suspensionem quandam posse incurrere; quia sunt personæ Ecclesiasticæ, & capaces Spiritualis Officii, ac Jurisdictionis cujusdam Spiritualis, saltem ex commissione. Sed ùt bene advertit Reiffenstuel *hic n. 164.* hæc potiùs est Suspensio ab Officio suæ Oeconomiæ, ejúsque actibus, quàm ab actibus Ecclesiasticis, ratione Ordinis Clericalis cuipiam competentibus, utpote cùm fœmina sit incapax omnis tum Ordinis Clericalis, tum veræ Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

276 *Ad Rationem dubitandi* dico, Suspensionem non per se, sed consecutivè solùm privare Ordine, vel Beneficio acquirendo; ex eo enim, quòd suspensus privetur usu Ordinis habiti, sequitur privatio facultatis in ulteriorem Ordinem ascendendi. Deinde Suspensio dicit in Suspenso capacitatem Ordinis, aut Beneficii, à quo, vel à cujus consecutione suspenditur. atqui Laicus, & qui primam Tonsuram non habet, Ordinis, & Beneficii Ecclesiastici capax non est, ergo &c. *Ad Conf.* non fertur ibi Suspensio propria, sed Suspensio ibi lata est quædam pars Excommunicationis majoris, quæ privat usu passivo Sacramentorum.

Dub. 5. quinam Clerici affici Suspensionis censurâ possint? R. quilibet, quacunque Dignitate fulgeat, suspendi potest, excepto Summo Pont. Adeóque feriri censurâ hac possunt 277

1. Episcopi: Sed hi quando Decretum Suspensionis est universale, illo non comprehenduntur, nisi de ipsis fiat expressa mentio *c. quia periculosum 4. h. tit. in 6.* & idem cavetur de Interdicto. Porro privilegio isto probabiliùs gaudent etiam Episcopi solùm confirmati, non consecrati. Suar. *D. 28. sect. 1. n. 7.* Laym. *c. 2. cit. n. 2.* Palao *p. 2. n. 5.* quia Episcopali Dignitate jam sunt præditi, quæ præcipua causa fuit privilegium istud concedendi Episcopis:

2. Feriri censurâ hac possunt Religiosi, si Clerici sint, & primam saltem Tonsuram habeant; nam si istam non habeant, licèt aliquo modo personæ Ecclesiasticæ nuncupentur, quia tamen Clerici verè non sunt, hujus censuræ capaces non sunt. Porro Suspensio, generaliter lata in Clericos, etiam Clericos Religiosos afficit; quia nomen Clerici indifferens est ad Sæculares, & Religiosos Suar. *D. 28. cit. sect. 2. n. 9.* Palao *n. 6.* 278

3. Suspendi potest communitas Clericalis: & hoc verum est, sive spectetur, ùt est talis communitas, sive quoad personas singulares. Suar. *l. cit. sect. 3. n. 1.* Palao *n. 7.* Pirhing *n. 206.* König *n. 36.* Reiffenstuel *n. 165.* extántque plures ejusmodi Suspensiones in Jure. 279

4. Semel suspensus iterum potest suspendi, non solùm, quando Suspensiones sunt diversæ, sed etiam quando sunt ejusdem rationis, si multiplicentur causæ, & tituli, sicut de Excommunicatione dictum est. Palao *n. 8.* 280

5. Mortuus tamen hujus censuræ est incapax, sicut etiam Excommunicationis: privari tamen potest fructibus Beneficii, quibus post mortem frui deberet, ob Suspensionem in vita contractam, quod non est Suspensionem, sed hujus effectum extendi in mortuos. Palao *n. 9.* 281

Dub. 6. ob quam causam Suspensio in aliquem ferri possit? Cajet. *in Summ. V. Suspensio*, Armill. *ibid. pr.* Navar. *Man. c. 27. n. 151.* Henriq. *l. 13. c. 34. n. 1.* & alii quidam putant, sufficere culpam venialem; quia hæc sufficit ad Excommunicationem minorem, quæ, cùm privet majoribus bonis, nempe usu, & receptione Sacramentorum, videtur esse gravior pœna, quàm Suspensio. 282

Verum si loquamur de Suspensione, ùt communiter fertur, neque à Judice ob culpam levem infligitur, neque in Jure ob eandem solam imposita est. Ita Sot. 283

in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. col. 2. Suar. *D. 28. sect. 4. n. 6.* Vasq. *1. 2. D. 158. n. 49.* Sanch. *l. 9. de Matr. D. 32. n. 9.* Coninck *D. 15. dub. 3. concl. 2. n. 24.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 3. n. 2.* Hurtad. *Diffic. 7. n. 19.* Palao *D. 4. cit. p. 3. n. 4.* Vallens. *hic §. 9. n. 2.* Pirh. *n. 207.* König *n. 37.* Wiestner *n. 108.* Ratio est, quia Suspensio ex se grave malum est, & cons. gravem culpam supponere debet.

284 *Neque obest*, Excommunicationem minorem majoribus bonis privare; quia hæc facilè tolli potest, cùm quilibet, qui à mortalibus, etiam ab hac possit absolvere: quod in Suspensione non procedit. Præterea Suspensio sæpe inducit damnum irreparabile, & nonnullam infamiam secum affert.

Dixi autem, *ut communiter fertur*; nam aliquam Suspensionem ad breve tempus probabile est à Judice infligi posse ob culpam levem, ùt cum *Sanch. Hurt. Coninck. Laym. Palao*, & aliis notant Pirhing *n. 207.* Wiestn. *n. 108.*

285 Dub. 7. an Suspensio in aliquem ferri possit ob culpam alienam? Affirmant aliqui 1. quia cùm communitas aliqua suspenditur ab Officio, vel Beneficio, etiam suspenduntur, qui in ea communitate sunt inculpabiles, prout interdicuntur, interdicta communitate. 2. *c. vel non est compos 14. de temp. Ordin.* puer ordinatus Diaconatu anno ætatis suæ decimo tertio, ab Officio Diaconi, non ob propriam culpam, sed *in injuriam ordinantis* usque ad legitimam ætatem suspenditur. 3. *c. requisivit 1. de Ordinat. ab Episc. qui renunt.* cavetur, suspensos esse debere ab Officio, quousque legitimus Pontifex, seu Episcopus dispenset, tametsi ignoranter prædictos Ordines suscepissent.

286 Sed dicendum cum communi, Suspensionem, quæ propriè pœna est, privans jure quæsito proprio, nullatenus contrahi ob culpam alienam, sed ob propriam tantùm. Ita Navar. *Man. c. 27. n. 151.* Henriq. *l. 13. c. 34. n. 1.* Suar. *D. 28. sect. 4. n. 3.* Sanch. *l. 9. de matr. D. 32. n. 9.* Coninck *D. 15. dub. 3.* Hurt. *de Suspens. diffic. 9.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 3. n. 1.* Palao *D. 4. p. 3. n. 2.* Vallens. §. *9. n. 2.* Pirhing *n. 207.* Wiestner *n. 109.* la Croix *n. 396.* Colligitur ex *can. satis perversum 7. dist. 56.* & *c. cognoscentes 2. de Const.* ibi, *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Item ex *c. quæsivit 2. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ibi, *Cùm peccata suos authores tenere debeant, nec pœna sit ullius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum.* Ratio est, quia iniquum est, innocentem pœnas nocenti debitas sustinere.

Neque obstant oppositа in contrarium. 287 *Ad 1.* quando suspenditur Communitas, innocentes etiam suspenduntur, non tamen quoad actiones, & munus, quod singuli exercere possunt, ùt personæ singulares, sed tantùm quoad actiones totius Communitatis, quæ deliquit: unde tali casu punitur communitas, non personæ ejusdem particulares, quà tales sunt. In Interdicto iterum non puniuntur propriè innocentes, sed Ecclesia justis de causis subtrahit favores suos, & officia tam nocentibus, quàm innocentibus. *Ad 2.* duplex est Suspensio, ut bene Abb. *in c. vel non est compos cit. n. 4.* notat, una ob defectum, altera ob crimen: prima non est propriè Censura, neque ob illius violationem Irregularitas incurritur; sed est quædam prohibitio, quæ ad Irregularitatem reducitur ob improportionem, & inhabilitatem, quam quis habet ad Officium Ordinis ante legitimam ætatem exercendum. *Ad 3.* etiam ibi non incurritur censura propriè dicta, quod colligitur ex textu; nam ad hanc Suspensionem tollendam sufficit, si Episcopus declaret, ordinatum à tali Episcopo, qui renuntiavit, ignoranter suscepisse Ordines: si vera censura, opus esset absolutione.

Dub. 8. quæ forma servanda sit in 288 ferenda Suspensione? R. non esse certam verborum formam præscriptam, sed ea requiruntur, quæ sufficienter declarent hunc effectum. Vall. *hic §. 9. n. 2.* Utrìtè feratur, præcedere 1. debet monitio; quia Ecclesiæ constare nequit de contumacia, & inobedientia alicujus, nisi priùs illum moneat. Intellige, si inferatur ad correctionem delinquentis; nam si feratur in puram pœnam delicti commissi, monitione non indiget, uti constat ex *c. tam litteris 33. de testib. & Attest.* & colligitur ex *c. Romana 5. h. tit. in 6.* ubi post factam mentionem Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, subditur de sola Excommunicatione, eam nunquam ferri sine monitione, ergo tacitè indicatur suspensionem, & interdictum aliquando sine monitione ferri posse.

2. Debet ferri in Scriptis, & ex 289 primi ibi causa, ob quam imponitur, insuper que Instrumentum debet dari Suspenso, si illud expostulet *arg. c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* Quodsi Judex hanc Constitutionem temere violet, per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & Officiis Divinis suspenditur; Superior verò, ad quem recurritur, sententiam sine difficultate relaxare debet, & latorem Suspensionis ad expensas, & omne interesse condemnare, atque aliàs animadversione condigna punire. Vallens. §. *9. n. 3.*

Quæritur 2. quos Effectus habeat 290 Suspensio? Alios effectus habet Suspen-

spensio ab Officio, alios Suspensio à Beneficio, & alios Suspensio ab utroque. Hinc

Dub. 1. quos effectus habeat Suspensio ab Officio? R. distinguendo; potest enim Suspensio ab Officio absolutè ferri, & potest ferri non absolutè, sed determinatè ad aliquam materiam. *Si hoc secundo modo feratur*, extra illam materiam non extenditur; quia pœnæ non sunt extendendæ ultra verborum proprietatem. Et hinc 1. Suspensus ab Ordine sine alia limitatione non est suspensus à Jurisdictione, ac proinde exercere potest omnes actus Jurisdictionis, qui actualem usum Ordinis non requirunt: cons. Episcopus, suspensus ab Ordine tantùm, potest delegare alteri potestatem absolvendi, quamvis ipse audire Confessiones, & à peccatis absolvere nequeat. Suar. *D. 26. sect. 4. n. 2. & 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 5. coroll. 3.* Avil. *de Censur. p. 3. D. 2. dub. 1. concl. 3.* Pirh. *hic n. 202. coroll. 3.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 400.*

291 2. Episcopus suspensus ab Ordine Episcopali tantùm, vel à Pontificalibus, licèt non possit exercere actus Ordinis Episcopalis, potest tamen exercere actus, qui jure ordinario Sacerdotibus competere, vel sine Pontificalibus exerceri possunt, ùt celebrare Missam sine Pontificalibus, audire Confessiones &c. Pirhing *l. cit. coroll. 4.*

292 3. Suspensus ab Ordine superiore non ideo suspensus est ab Ordine inferiore: & hinc suspensus ab Officio Sacerdotali, non prohibetur solenniter cantare Epistolam, vel Evangelium, ùt Subdiaconus, vel Diaconus; nam qui prohibet majus, non censetur prohibere minus. Suar. *sect. 4. cit. n. 9.* Pirhing *coroll. 5.* la Croix *n. 398.*

293 4. Suspensus ab Ordine inferiore, non obinde prohibetur ab exercitio Ordinis superioris, nisi actus istius actum Ordinis inferioris, à quo suspensus est, includat, prout actus celebrandi Missam in se includit actum canendi Epistolam, vel Evangelium: cons. suspensus ab Ordine Diaconatûs, vel Subdiaconatûs non potest celebrare Missam, ne, quod ei unâ viâ prohibetur, ad illud aliâ admittatur contra *Reg. 84 in 6.* Contrà Sacerdos suspensus ab Ordine Diaconatûs poterit solenniter baptizare, Confessiones audire, benedicere &c. quia hi actus actum Ordinis inferioris, à quo suspensus est, non includunt, & pœnæ restringendæ potiùs, quam ampliandæ sunt *arg. Reg. odia 15. in 6.* Suar. *sect. 4. cit.* Laym. *c. 1. n. 6.* Palao *p. 5. §. 1. n. 15.* Pirh. *n. 203.* Wiest. *n. 111.*

294 Quodsi autem *primo modò*, seu absolutè Suspensio feratur ab Officio, & nulla interponatur restrictio, suspendit ab omni Officio tam Ordinis, quàm Jurisdictionis. Suar. *D. 26. sect. 1. n. 4.* Coninck *D. 15. dub. 2. n. 5.* Laym. *c. 1. cit. n. 3.* Palao §. *1. cit. n. 1.* la Croix *n. 395.* Ratio est, quia hæc omnia nomine Officii veniunt. Et hinc

1. Ita suspensus non potest administrare Sacramenta, nec celebrare Missam, neque Indulgentias concedere, neque eligere; quia hæc omnia pertinent ad Officium Clericale. Contrà talis poterit recipere Sacramenta, ingredi Ecclesiam, assistere Divinis Officiis, canere in Choro more Laicorum, ac denique uti qualibet Jurisdictione temporali, si illam habeat. Palao *n. 1. cit.* 295

2. Ita suspensus non potest eligi ad Beneficium Ecclesiasticum. Henriq. *l. 13. c. 32. n. 3.* Laym. *c. 1. cit. n. 3.* Palao *n. 2.* la Croix *n. 399.* & communiter cæteri contra Hurt. *de Suspens. diffic. 4. n. 8.* Ratio est, quia Beneficium datur propter Officium *c. fin. de Rescript. in 6.* ergo qui impeditus est Officium exercere, eidem meritò denegatur etiam Beneficium *arg. c. fin. de Cler. excomm. ministr.* Estque ejusmodi Electio probabiliùs irrita ipso Jure. Navar. *Man. c. 27. n. 133.* Flamin. *de Resign. l. 5. q. 6. n. 84.* Azor *p. 2. l. 6. c. 7. q. 2.* Garc. *p. 7. de Benefic. c. 14. à n. 1.* allegans varias Decisiones Rotæ, Palao *n. 3.* Wiestner *n. 107.* & colligitur ex *c. cùm bonæ 8. de ætat. & qual.* ubi Pontifex de his, qui durante Suspensione Beneficia consecuti sunt, ait, non licere ea retinere, præcipitque illos prædictis Beneficiis spoliare. ergo signum est collationem fuisse irritam; aliàs licitè illa Beneficia retinerent: & hoc indicat etiam verbum *Spoliare*, quòd solùm convenit ei, qui rem usurpatam habet. 296

3. Juxta aliquos suspensus ab Officio eo ipso suspensus est à Beneficio, quòd Beneficium sit accessorium Officio; accessorium autem sequatur naturam principalis. Sed veriùs hoc cum communi negant Ugolin *tab. 4. de Censur. c. 6. §. 6.* Henriq. *l. 13. c. 32. n. 3.* Suar. *D. 26. sect. 3. n. 4.* Sanchez *l. 3. de Matr. D. 51. n. 12.* Avil. *p. 3. D. 2. dub. 1. concl. 6.* Coninck *D. 15. dub. 2. concl. 3.* Laym. *c. 1. cit. n. 2.* Palao *n. 5.* Engl *hic n. 75.* Pirhing *n. 200.* Wiestner *n. 105.* Reiffenstuel *n. 168.* la Croix *n. 395. & 396.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 239.* Ratio est manifesta; quia aliquando fertur Suspensio ab Officio, aliquando à Beneficio, aliquando ab utroque: quæ distinctio superflùe fieret, si suspensus ab Officio hoc ipso suspensus esset à Beneficio, *ex quo sequitur*, si suspensus ab Officio satisfaciat obligationibus Beneficii, quantùm est in se, per se, vel per substitutum, eum fructus Beneficii posse percipere. Palao 297

lao Westner l. citt. Imò ùt idem Palao *n. 7.* aliis *citt.* docet, retineri fructus à suspenso possunt, quos percipit ex Officio, quo per Suspensionem privatus est, iniquè exercito: & rationem dat, quia nullibi habetur, quòd suspensus exercens Officium, à quo suspensus est, fructibus tali Officio respondentibus ipso Jure privetur. Neque aliud probat Argumentum opinionis contrariæ: esto enim, quòd Beneficium detur propter Officium, & conferri nequeat, nisi idoneo, semel tamen obtento canonicè illius titulo, fructus ejus non amittuntur hoc ipso, quòd Beneficiarius officium ipsi annexum ad tempus præstare nequeat, prout patet in Clerico ægrotante, imò etiam ad istud obeundum perpetuò inhabili reddito, cui fructus Beneficii relinquuntur, pensione duntaxat ex his pro Coadjutore decerpta, per textum, & DD. *c. cùm percussio 1.* & *c. de Rectoribus 3. de Cler. ægrot.*

298 4. Juxta Gloss. *in c. 8. V. à suspensis de consuet.* Abb. *ibid. n. 20.* & alios Suspensus ab Officio etiam vocem non habet in Capitulo; quia vocem habere in Capitulo est usus, & exercitium Officii Ecclesiastici. Accedit, quia vox in Capitulo solis Clericis, Subdiaconatu insignitis, competit *Clem. ut ij 2. de ætat. & qual.* Probabiliùs tamen est non privari; neque enim vocem habere in Capitulo per se est exercitium Ordinis, vel Jurisdictionis Ecclesiasticæ, cùm etiam fœminæ, & Laici conversi vocem quandoque habeant. Palao *n. 9.*

299 Dub. 2. quos effectus habeat Suspensio à Beneficio? R. Suspensio à Beneficio non privat Beneficio, sed tantùm illius fructibus. Abb. *in c. cùm dilectus n. 20. de consuet.* Ugolin. *tab. 4. de censur. c. 8. §. 1.* Henriq. *l. 13. c. 32. n. 4.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 6. n. 2.* Palao *D. 4. p. 5. §. 2. n. 1.* Pirhing *hic n. 197.* Hinc onera Beneficii apud suspensum manent, non obstante Suspensione; quia illa non ex fructibus perceptis, sed ex Beneficio consequuntur. Suar. *D. 27. sect. 1. n. 3. & seqq.* Coninck *D. 15. dub. 2. n. 12.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 4.* Palao *n. 1. cit.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 395.* cum *citt.*

300 Si suspensio à Beneficio sit absolutè lata, suspendit Beneficiarium ab omnibus Beneficiis, quæ actu possidet, nisi ex intentione ferentis, vel alia circumstantia contrarium colligatur; quia non est ratio, cur ad unum potiùs, quàm ad aliud dispositio se extendat. Ugolin. *c. 8. cit. §. 5.* Sayr. *c. 6. n. 24.* Palao *n. 2.* la Croix *n. 395. cit.* Ex circumstantia autem, & intentione ferentis censetur restrictionem accipere Suspensionis Sententia, quando delictum, ob quod fertur, commissum est adversùs particularem aliquam Ecclesiam; tunc enim credendum est comprehendere tantùm Beneficia illius Ecclesiæ ex textu *c. cupientes 16. §. cæterùm, c. si compromissarius 37. de Elect. in 6. c. fin. §. & nihilominus de reb. Eccl. non alien. in 6.* Et licèt restrictio in his *cap.* facta videatur esse specialis, & propterea ad alios casus non extendenda, probabiliùs tamen est Regulam ibi generalem constitui, ut in similibus casibus Suspensio restricta esse intelligatur. Palao *l. cit.*

301 *Difficultas* est, quid veniat nomine fructuum, quibus privat Suspensio? Et fieri dubium potest 1. de Distributionibus quotidianis, quæ conceduntur iis, qui intersunt Divinis Officiis. 2. an suspensus à Beneficio privetur illius administratione? 3. an privetur potestate conferendi, vel eligendi ad Beneficium titulo Beneficii, à quo suspensus est, competente? 4. an privetur etiam fructibus, qui ad sui, & suorum congruam sustentationem sunt necessarii.

302 R. *ad 1.* cum distinctione: nam si Distributiones extractæ sunt ex fructibus Beneficii, iis privatur Suspensus; quia tum non tam sunt distributiones, quàm Beneficii fructus, cùm etiam ab infirmis, & legitimè absentibus obtineantur, à quibus aliàs distributiones quotidianæ non obtinentur, juxta dicta *Libr. 3. Tit. 4. n. 79.* Si verò non ex fructibus Beneficii extractæ fuerint, sed ex particulari fidelium fundatione, sub suspensione à Beneficio non comprehenduntur; quia esto, solis Beneficiariis applicentur, non tamen intuitu Beneficii, sed in stipendium Officii conceduntur, & Beneficium solùm conditio est, ut concedantur, non causa concessionis. Covar. *l. 3. var. c. 13. n. 8.* Hurt. *de Suspens. diffic. 4. n. 10.* Palao §. *2. cit. n. 4.*

303 *Ad 2.* teste Palao *n. 4. cit. §. inter fructus*, omnium sententia est, suspensum à Beneficio privari administratione illius. Colligitur ex *c. statuimus 1. §. fin.* & *c. cupientes 16. §. cæterùm de Elect. in 6.* Atque hinc suspensus nequit locare Beneficium, seu illius bona, fructus vendere per se, vel per alium, in Judicio agere, vel aliam actionem præstare, quæ ad temporalem administrationem pertinet: Item nec commutare, aut in favorem tertii resignare Beneficium; hæc enim omnia sunt quidam Beneficii usus, & administratio. Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 6. n. 4. & seqq.* Suar. *D. 27. sect. 1. n. 31.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 3.* Palao *l. cit.* Pirh. *n. 201.*

304 *Ad 3.* aliqui cum Navar. *Man. c. 27. n. 160.* Henriq. *l. 13. c. 32. n. 4.* Sayr. *c. 6. cit. n. 7.* putant collationem, & electionem ad Beneficium, titulo Beneficii competentem, venire sub nomine fructûs, & con-

conf. Suspenso tolli hanc potestatem eligendi, vel conferendi. Sed veriùs contrarium docent Suar. *sect. 1. cit. n. 34.* Filliuc. *tr. 17. c. 3. q. 5. n. 46.* Coninck *D. 15. dub. 2. n. 11.* Laym. *c. 1. n. 4.* Palao *n. 5.* la Croix *n. 395. & 401.* & colligitur apertè ex *c. cùm in cunctis 7. §. fin. de Elect.* ubi ultra suspensionem à Beneficiis indicitur privatio potestatis eligendi, igitur signum est, hanc privationem nomine suspensionis à Beneficio non comprehendi. *Ratio est*, quia potestas eligendi, & conferendi Beneficia, licèt à Beneficio proveniat, non tamen est usus Beneficii, sed Officii ex Beneficio competentis.

305 *Ad 4.* respondendum est cum distinctione: privabitur iis fructibus suspensus, si Suspensio lata sit in contumaciam, & ipse Suspensus delicti pœnitens possit ab ea liberari; tunc enim voluntariè privationem eam sustinet. Non privabitur, si Suspensio non in contumaciam, sed in pœnam delicti commissi imposita sit, nec in voluntate Suspensi sit positum ab ea liberari; tunc enim Ecclesia, ut Status Clericalis honori, & decori consulat, hanc in Suspensum benignitatem exercet, ut penes Judicem sit, qui Suspensionem fert, eam partem ex fructibus designare, quæ necessaria sit Suspenso ad sustentationem. Sayr. *l. cit. n. 12.* Suar. *sect. 2. n. 3.* Coninck *dub. 2. concl. 6.* Laym. *n. 4.* Palao *n. 6.*

306 Dub. 3. quod peccatum committat violans Suspensionem, & quam pœnam incurrat? *Quoad primum* certum est committere peccatum ex genere suo mortale; quia contemnit Ecclesiæ præceptum, & gravem illius Censuram. Navar. *Man. c. 27. n. 168.* Henriq. *l. 13. c. 33. n. 1.* Suar. *D. 26. sect. 2. n. 1.* Avil. *p. 3. D. 3. dub. 12.* Coninck *D. 15. dub. 2. n. 17.* Bonac. *D. 3. de Suspens. p. 4. n. 1.* Palao *D. 4. p. 6. n. 1.* Pirhing *hic n. 209.* Wiestner *n. 112.* la Croix *n. 395.*

307 Dixi *ex genere suo*; nam 1. aliquando ex parvitate materiæ transgressio Suspensionis potest esse peccatum veniale, ùt si suspensus à Jurisdictione recipiat unum testem, aut si suspensus ab Ordine exerceat officium Ordinum minorum; cùm enim frequenter istud præstetur etiam à Laicis, non videtur grave delictum esse, si fiat à Suspenso. *Navar. Suar. Bonac. Pal. l. citt.* 2. eximitur à peccato Suspensus ab Officio non denuntiatus, si ad petitionem aliorum fidelium exerceat Officium, à quo suspensus est; nam eo casu, si à Suspensione priùs absolvi nequit, licitè potest ea officia ministrare petentibus ob *Extrav ad evitanda Martini V. in Conc. Constant.* Aliter se habet cum Suspenso denuntiato; nam iste extra urgentissimam causam, etsi à fidelibus postuletur, ea Officia, à quibus suspensus est, exercere nequit, cùm petitio talis iniqua sit utpote inductiva ad peccatum. Suar. *sect. 2. cit. n. 7. & D. 28. sect. 5. n. 6.* Avil. *D. 2. dub. 3. concl. 1.* Palao *n. 3.* Pirh. *n. 211.* Wiestn. *n. 114.*

Quoad secundum dicendum, ob so- 308
lam violationem suspensionis ab Ordine, ejus Officium solenniter exercendo incurri Irregularitatem; quia non habetur in Jure, quòd incurratur ob violationem Suspensionis à Beneficio, Jurisdictione &c. & Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis. Atque hinc Irregularis non fit 1. Suspensus à Jurisdictione, si hanc exerceat, si Beneficium conferat, ad illud eligat, sententiam in causa proferat; si Parochus Matrimonio assistat &c. quia hæc omnia sunt actus Jurisdictionis, vel quasi Jurisdictionis, non Ordinis Exercitium. 2. Irregularis non est, qui violat Suspensionem à Beneficio, quamvis istius violator aliter puniatur, scilicet privatione Beneficii, ùt deciditur *c. statuimus 1. §. fin. de Elect. in 6.* Quare cùm Beneficiarius ita suspensus per seipsum administrare Beneficium nequeat, solet eidem dare Oeconomus, qui reditus colligat, & eosdem jussu Episcopi piis causis applicet, reservatis suspenso alimentis necessariis, ùt dictum est *n. 305.* Plura de Suspenso ministrante in Ordine, à quo suspensus est, vide *suprà Tit. 27. à n. 2.*

Præter Irregularitatem violantibus 309
Suspensionem statutum est, ut actus à Suspenso præstitus sit nullus, & irritus. Pœna autem hæc locum duntaxat habet in iis, quæ ab Ecclesia pendent, uti est Jurisdictio, & Beneficium: in his ergo suspensus, si Beneficium administret, & Jurisdictionem exerceat, invalidum actum facit, modò denuntiatus sit tanquam suspensus; quia facta denuntiatione, privatur potestate omnimoda actus illos exercendi. Ante denuntiationem solùm impeditur ab illorum exercitio, dum à fidelibus non requiritur: quando autem à fidelibus requiritur, valide, & licitè illos actus exercet, ideóque necessarium est, ut Jurisdictionem retineat. Henriq. *l. 13. c. 33. n. 2. & seqq.* Suar. *D. 27. sect. 2. n. 2.* Bonac. *D. 3. p. 4. n. 7.* Palao *p. 6. cit. n. 7.* Pirhing *hic n. 210.* Wiest. *ibid. n. 113.*

Quæritur 3. quomodo tolli Sus- 310
pensio possit? Distinguendum hìc est inter Suspensionem latam pro tempore determinato, vel sub aliqua conditione, & inter eam, quæ lata est, absolutè: iterum quoad latas absolutè discrimen faciendum inter latas à Jure, & inter latas ab homine. Quare sit

Dubium 1. quomodo tollatur Su- 311
spensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione? R. si lapsum sit tem-

tempus, aut impleta conditio, cessat absque ulla absolutione; quia ultra intentionem ferentis progredi nequit. Gloss. *in Clem. 1. V. donec de Decim.* Abb. *in c. 1. de Judic. n. 6.* Navar. *Man. c. 27. n. 161.* Henriq. *l. 13. c. 35. n. 2.* Suar. *D. 29. sect. 1. n. 1.* Avil. *p. 3. D. 6. dub. 1.* Tann. *tom. 4. D. 6. q. 10. dub. 7. n. 142.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 4. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 4. p. 9. n. 1.* Vallens. *hic* §. *10. n. 5.* Pirhing *n. 142.* Reiffenstuel *n. 253.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 395. & 402.*

312 Intermedio autem tempore, seu ante impletam conditionem tolli Suspensio talis per Dispensationem potest ab eo, qui eam tulit, vel ab hujus Superiore, aut Successore, non autem ab inferiore. Adeóque si lata sit à Jure communi ad certum tempus, tollere illam, aut relaxare solus Pontifex potest ante tempus finitum. Sylv. *V. Suspensio q. 8. ỳ. tertium*, Sanch. *l. 3. de Matr. D. 52.* Sayr. *l. 4. c. 17. n. 10.* Suar. *l. cit. n. 20.* Laym. *n. 3.* Palao *n. 2.* Wiestner *n. 117.* Ratio est, quia aliàs intentio Pontificis frustraretur.

313 Dub. 2. à quo relaxari possit Suspensio à Jure absolutè lata? R. distinguendo inter eam, quæ à Jure lata est in puram pœnam delicti, & inter illam, quæ lata est ad comprimendam alicujus contumaciam, seu in illius correctionem. *Posterior* relaxari, seu absolvi potest ab Episcopo, vel ejus vicem gerente, modò Pontifex absolutionem sibi non reservaverit, & suspensus recesserit à contumacia. Gloss. *in Clem. 1. §. verùm V. Excommunicationis de Hæret.* Sylv. *V. Suspensio q. 8. ỳ. tertium.* Navar. *Man. c. 27. n. 162.* Suar. *D 29. sect. 2. n. 15.* Avil. *p. 3. D. 6. dub. 1. concl. 3.* Laym. *c. 4. cit. n. 3.* Palao *n. 4.* Vallens. §. *10. n. 5.* Pirh. *n. 208.* Wiestner *n. 115.* la Croix *n. 403. fin.* Constat *ex c. nuper 29. h. tit.* ibi, *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et apertiùs ex *c. ex litteris 11. de Constit.* ubi decidit, pœnam, alicui infligendam ob contumaciam, si non exprimatur, quòd sit perpetua, esse temporalem, & cessante contumacia, debere tolli.

De priore seu illa, quæ lata est in pu-
314 ram delicti pœnam, absque temporis determinatione, Abb. *in c. tam litteris n. 3. de test. & attest.* Angel. *V. Suspensio 4. n. 1.* Sylv. *V. eod. q. 8. ỳ. tertium.* Navar. *c. 27. n. 162.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. c. 1.* Hurtad. *de Suspens. Diffic. 12. n. 32.* Bonac. *D 3. p. ult. fin.* & alii gravissimi DD. putant, ab Episcopo eam tolli non posse, eò quòd hæc Suspensio, absque ulla temporis determinatione appositа, censenda sit esse perpetua *arg. l. Servus 10. C. de Pœnis*, ubi dicitur, pœnam carceris simpliciter latam debere durare in perpetuum, at in pœnis à Jure perpetuis solus Conditor Juris dispensare potest, eò quòd nemini alteri hoc videatur esse concessum.

Benignior tamen, & fortè proba- 315
bilior est contraria, quam etiam docuit Gloss. *in Clem. 1. §. verùm V. Excommunicationis de Hæret.* & *in c. cupientes ỳ. cæterùm V. suspensos de Elect. in 6.* Covar. *l. 4. Decret. p. 2. c. 6. pr. n. 15.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 17. n. 15.* Suar. *D. 29. sect. 1. n. 19.* Avil. *p. 3. D. 6. dub. 1. concl. 4.* Laym. *c. 4. cit. n. 4. ỳ. verùm* Palao *n. 6.* Ratio est, quia hæc Suspensio absolutè lata differt ab ea, quæ expressè fertur in perpetuum; aliàs frustra *in perpetuum* adderetur. sed nulla alia differentia inter eas intervenire potest, nisi quòd Suspensio, quæ in perpetuum fertur, ex intentione ferentis debeat durare in perpetuum, non verò illa, quæ absque illa expressione perpetuitatis fertur; quia hæc ex intentione ferentis remissibilis est, & auferenda, præstita sufficienti pœnitentia, & satisfactione. *Conf.* sæpe Jura hanc Suspensionem, absolutè latam in pœnam delicti commissi, reservant, aliquando verò nullam reservationem apponunt. ergo tacitè indicant, nullam reservationem apponendo, inferioribus facultatem absolvendi, vel dispensandi concedi; aliàs frustranea esset reservatio.

Poterit igitur Episcopus ab hac 316
Suspensione absolvere. Imò de Jure novo Trid. *sess. 24. c. 5. de reform.* possunt Episcopi per se, vel per suos Vicarios à qualibet Suspensione à Jure, vel ab homine generaliter lata absolvere, vel dispensare, modò ex delicto occulto proveniat, neque ad forum contentiosum deducta sit. Henriq. *l. 13. c. 35. n. 3.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 17. n. 19.* Avil. *p. 3. D. 6. dub. 1. concl. 7.* Laym. *c. 4. cit. n. 4.* Pal. *n. 7.* Pirhing *n. 208. ỳ. porro.* Wiestner *n. 118.* Similem facultatem habent ex privilegio Confessarii Societatis JESU, & aliarum quarundam Religionum, vi cujus pro foro conscientiæ absolvere possunt à quibuscunque Censuris, sententiis, & pœnis ex delicto provenientibus. *Compend. Privil. ejusd. Societ. V. Absolutio §. 1.* Palao *n. 7. cit.* Wiestn. *n. 116.* Alii verò Sacerdotes, qui in foro externo Jurisdictionem non habent, neque privilegio ad hoc instructi sunt, non possunt absolvere à Suspensione, etiam per modum Censuræ lata; quia hujus absolutio non est necessariò præmittenda peccatorum absolutioni, sicut præmittenda est absolutio ab Excommunicatione. Henriq. *l. cit. n. 1.* Avil. *dub. 1. concl. 4.* Laym. *n. 2.* Palao *n. 8.* Pirh. *n. 208. cit. ỳ. secundò specialiter.*

Dub. 3.

317 Dub. 3. quis absolvere possit à Suspensione lata ab homine? R. regulariter solus ille, qui eam tulit, vel ejus Successor, aut Delegatus, ne ejus authoritas contemnatur. Quod adeò verum est, ut quamvis Superior ipsius possit validè sententiam ab inferiore latam relaxare, illicitè tamen procedat eam relaxationem concedens, ut apertè probat Gloss. *in c. 3. V. non relaxes de Offic. Ord.* Palao *p. 9. n. 9.* Wiestner *n. 116. hic.* Reiffenstuel *ibid. n. 250.*

318 *Excipiuntur* duo casus. Et 1. quidem, si inferior sententiam tulit absque solennitate requisita *c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* quia eo casu potest Superior prædictam sententiam relaxare, si ad ipsum recursus fiat. 2. si Appellatio facta sit ab inferioris sententia; ob hanc enim defertur Superiori Jurisdictio in illa causa *c. ad reprimendam 8. de Offic. Ordin. c. per tuas 40. h. tit. c. venerabilibus 7. §. porro, & §. fin. eod. in 6.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 17. n. 26.* Palao *n. 9. cit.* cum aliis.

319 Dixi *regulariter*: sunt enim aliqui casus extraordinarii, quibus hæc potestas ferenti Censuram denegatur, prout referunt Angel. *V. Suspensio 4. n. 3.* Sylv. *ibid. q. 8. fin.* Vivald. *de Suspens. n. 181.* Henriq. *l. 13. c. 35. n. 2.* Sayr. *l. 4. Thesaur. c. 17. n. 27.* Hurtad. *de Suspens. diffic. 12. n. 30.* Et 1. quidem, si Clerici Sæculares, aut Regulares à suis Ordinariis officio privati sint, eò quòd Hæreticis denuntiatis Sacramenta ministraverint, aut ab eis Oblationes, vel Eleemosynas receperint, aut Ecclesiasticam Sepulturam tradiderint; nam his privati non ab Episcopo privante, sed à Pontifice restitui possunt *c. excommunicamus 13. §. credentes de Hæret.* Sed ut bene advertunt Navar. *c. 27. n. 162.* Sayr. *n. 27. cit.* Palao *l. cit. ¶. dixi*, hic textus non loquitur de privatis officio per Suspensionem, sed per Depositionem: ideóque mirum non est, quòd nemini alteri, quàm Pontifici, sit potestas restituendi. 2. si quis à proprio Episcopo sit degradatus *c. ex tuæ 11. de Cler. resid.* Sed neque hic textus, ut iidem DD. notant, ad Suspensionem pertinet. 3. si quis, quòd indignis vitâ, moribus, & doctrinâ beneficia conferat, post unam, & alteram monitionem, à Concilio Provinciali factam, & emendationem non secutam, ab eodem Concilio à Beneficiorum collatione suspensus sit; nam iste nequit restitui, nisi à Pontifice, vel Patriarcha suo *c. grave nimis 29. de Præb.*

Dub. 4. quæ sit forma absolvendi à 320 suspensione? R. ex necessitate, seu præcepto nulla est determinata, sed illa sufficiens erit, quæ sufficienter absolventis intentionem exprimit. Communiter usitata est: *Ego te absolvo à vinculo Suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni Ordinis, Officio, vel Beneficio in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Navar. *c. 27. n. 161.* Sayr. *l. 4. c. 17. n. 34.* Palao *l. cit. n. 10.* Valens. *hic §. 10. n. 5.*

Si pluribus Suspensionibus ligatus 321 est aliquis, ab iis absolvi potest ex eo tantùm, quòd absolvens dicat: *Absolvo te ab omni vinculo suspensionis*, & intentionem habeat ab omnibus absolvendi. Suar. *D. 29. sect. 3. n. 2.* Si dubia sit suspensio, præstanda absolutio non absolutè est, sed hac conditione præmissa, *Si teneris vinculo Suspensionis, absolvo te &c.* Et hæc absolutio, *ad cautelam*, nuncupata, necessaria omnino est, ut officium exercere, & Beneficium administrare absolvendus possit, cùm quæstio suboritur de valore Suspensionis.

§. V.

De Interdicto.

SUMMARIUM.

322. *Interdicti Definitio?*
323. &c. *Varietas.*
326. &c. *Quænam loca comprehendantur in Interdicto locali generali?*
334. &c. *Quæ comprehendantur personæ, quando Interdicto subjicitur Universitas?*
340. &c. *Quis possit interdicere?*
343. &c. *Quod sit Interdicti Subjectum?*
345. &c. *Et finis?*
347. &c. *An Interdictum ferri possit pro delicto commisso in retinendo ære alieno?*
349. *Quæ sit forma servanda in hoc indicendo?*
350. *Ejus Effectus.*
351. &c. *Quorum Sacramentorum administratione, & receptione privet?*
361. &c. *Quomodo, & quibus Divinis Officiis privet?*
369. &c. *Quomodo privet sepulturâ Ecclesiasticâ?*
379. &c. *Et ingressu Ecclesiæ?*
389. *Quid requiratur, ut obliget Interdictum?*
390. &c. *Quale peccatum committatur violatione Interdicti?*
394. &c. *Quæ violantium pœna?*
398. &c. *Quomodo Interdictum cesset?*

322 QUæritur 1. quid, & quotuplex sit *Interdictum*? R. *Interdictum*, prout huc spectat, est *Censura Ecclesiastica, prohibens usum Divinorum, quatenus à fidelibus haberi possunt.* Sylv. *V. Interdictum 1. n. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 164.* Covar. *in c. alma p. 2. §. 1. n. 2.* Sayr. *l. 5. c. 1. n. 7.* Suar. *D. 32. sect. 1. n. 3.* Coninck. *D. 17. dub. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 1. n. 2.* Vallens. *hic §. 11. n. 1.* Pirh. *n. 215.* König *n. 42.* Wiestner *n. 119.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 410.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 247.*

323 Aliud est Locale, aliud Personale, aliud Mixtum. *Locale* directè & immediatè afficit locum, & indirectè, ac mediatè personas; quia in eo loco interdicuntur Divina celebrari ob alicujus culpam. *Personale* immediatè, & directè afficit personam, cui interdicta est participatio Divinorum. *Mixtum* verò est, quòd ex Locali, & Personali coalescit: & hoc etiam *Deambulatorium* appellatur; quia afficit non tantùm personam, sed quemcunque locum, quem illa persona fuerit ingressa, ut habetur *c. non est vobis 11. de Sponsal. c. dilecti 1. de Appell.* Navar. *c. 27. cit. n. 166.* Henriq. *l. 13. c. 41. n. 3.* Sayr. *c. 1. cit. n. 10.* Coninck *dub. 1. concl. 2.* Palao *n. 3.* Wiestner *n. 128.* Reiffenstuel *n. 183. & seqq.*

324 Porro tam Locale, quàm Personale subdividitur in Generale, & Speciale. *Locale generale* est, quod plura loca sub se continet e. g. Regnum integrum, Provinciam, Diœcesin, Civitatem &c. *Speciale locale*, quod fertur in locum determinatum, ùt si una, vel plures Ecclesiæ alicujus Civitatis supponantur Interdicto. *Personale generale* est, quod fertur in corpus aliquod politicum, quod propriis Legibus gubernari potest, v. g. si incolæ alicujus Provinciæ, Civitatis, Parochiæ, Collegii, vel alterius Communitatis, & probabiliùs etiam familiæ interdicantur. *Speciale personale*, quod in personas particulares fertur, ùt in Petrum, Paulum &c. Neque opus est, ut hæ personæ propriis nominibus designentur, sed satis est, si exprimantur sub aliqua ratione communi ùt si feratur in personas, quæ tale delictum commiserint. Palao *n. 4. & 5.* cum aliis ab ipso *citt.*

325 Personale ulteriùs subdividitur in Totale, & Partiale. *Totale* est, quod omnes effectus Interdicti personalis comprehendit; *Partiale*, quod aliquibus, vel uno tantùm privat, ùt si interdicaris à celebratione Missæ, à receptione Sacramentorum, ab ingressu Ecclesiæ &c. Navar. *c. 27. cit. à n. 164.* Suar. *D. 32. sect. 2. n. 37.* Laym. *c. 1. cit. n. 4.* Palao *n. 5.*

Dub. 1. quænam loca comprehendantur Interdicto generali locali? R. circa hoc dubium tenendæ sunt sequentes Regulæ. 326

1. Si interdicatur Civitas, interdicuntur etiam suburbia illius, & ædificia continentia. Suar. *sect. 2. cit. n. 23.* Palao *D. 5. p. 2. §. 1. n. 1.* Vallens. *hic §. 11. n. 3.* Engl *n. 83.* Pirh. *n. 224. & 225. not. 1.* König *n. 44.* Wiestner *n. 124.* Reiffenstuel *n. 186. & 190.* la Croix *n. 410.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n. 256.* & habetur expressè *c. si Civitas 17. h. tit. in 6.* Neque refert, etsi suburbia sint alterius dominii, & potestatis, ut rectè advertit Palao *l. cit.* quia aliàs Interdictum facilè eludi posset; possent enim interdicti ad hæc loca confugere, & ibi Divina celebrare, aut iisdem interesse. Porro per *Suburbia* intelliguntur ædificia extra muros civitati interdictæ contigua, vel prope illam existentia, ad quæ incolæ Civitatis commodè pro Divinis audiendis, & celebrandis se conferre possunt; per *ædificia continentia* autem intelliguntur, quæ non contigua quidem urbi, sed propinqua tamen sunt. Franc. *in c. si civitas cit. n. 6.* Palao *n. 2.* Pirhing *n. 225. not. 1.* Wiestner *l. cit.* Quantam autem propinquitatem habere debeant, ut censeri debeant inclusa Interdicto, pro Regula communiter assignatur, tunc censeri inclusa, quando ita propinqua sunt, ut pro audiendis Divinis absque gravi difficultate populus eò se recipere possit, prout antea dictum de Suburbiis. Palao *l. cit.*

2. Interdicta Civitate, vel Diœcesi 327
si interdicta etiam censetur Ecclesia Cathedralis. Sayr. *l. 5. Thesaur. c. 3. n. 10.* Suar. *sect. 2. cit. n. 22.* Palao *n. 3.* Wiestner *n. 126.* Reiffenstuel *n. 194.* Magnif. P. Schmier *n. 257.* contra Covar. *in c. alma p. 2. §. 1. n. 4.* Ratio est, quia aliàs enervaretur vis Interdicti generalis contra textum *c. si civitas cit.* Neque obest *c. quamvis 4. de Præb. in 6.* ubi nomine Ecclesiarum non comprehenditur Ecclesia Cathedralis in casu odioso, nisi exprimatur; quia ibi tantùm quæstio erat, an sub nomine Ecclesiæ, ad cujus aliquod Beneficium quispiam impetravit Litteras provisorias intelligatur Ecclesia Cathedralis: hìc autem quæstio est, an sub interdicto lato in totam Diœcesim, vel Civitatem Episcopalem comprehendatur Ecclesia Cathedralis, qui casus est prorsus diversus; nemo enim ambigit, sub toto corpore etiam includi caput.

3. Interdicta Diœcesi, censentur in- 328
terdictæ Civitates, & omnia loca Diœcesis. Palao *n. 4.* Wiestner *l. cit.* contra Bonac. *tom. 1. de Censur. D. 5. p. 1. n. 11.* Ratio est, quia Diœcesis coalescit ex Civitatibus, villis, & pagis; ergo interdicta

Diœ-

Diœcesi, censentur interdictæ omnes illius partes, sicut interdicta Civitate, censentur interdictæ omnes Ecclesiæ, in illa Civitate contentæ.

329 4. Interdictâ aliquâ Ecclesiâ interdictæ censentur Capellæ illius, & Cæmeterium contiguum Sayr. *l. 5. c. 2. n. 15.* Suar. *sect. 2. cit. n. 25. & 27.* Palao *n. 5.* Vallens. §. 11. *n. 3.* Engl *n. 83.* Pirhing *n. 225.* König *n. 44.* Wiestner *n. 125.* Reiffenstuel *n. 191.* la Croix *n. 410.* Schmier *n. 410.* & habetur *c. si civitas cit. ℣. ratione quoque.* Ratio est, quia eidem accedunt, & censentur illius partes. Unde Argumento à sensu contrario infertur, interdicto cœmeterio, vel Capellâ per speciale aliquod Interdictum, nullatenus censeri interdictam Ecclesiam.

330 5. Quando terræ alicujus Domini Interdicto locali generali subjiciuntur, comprehenduntur sub illo omnes terræ, in quas dominium absolutum, & plenum habet. Palao *n. 6.* Manétque hoc Interdictum, etiamsi Dominus terras ejusmodi vendat, vel alio modo alienet, & non incolæ, sed ipse dominus causam dederit Interdicto; quia etsi tunc cesset causa, ob quam latum est Interdictum, non tamen hoc ipso sequitur ipsum etiam Interdictum cessare, sed tantùm sequitur auferendum. Ratio est, quia cùm absolutè latum sit, secum terra ejusmodi Interdictum defert, ad quemcunque transeat. Ugolin. *tab. 5. c. 12. n. 3.* Suar. *sect. 2. cit. n. 30.* Palao *n. 6. ℣. sed rectius.* Porro ut hujusmodi extensio locum habeat, requiritur 1. ut ejusmodi terram talis dominus tempore Interdicti lati possederit; nam ad terras, post Interdictum latum de novo acquisitas, Interdictum se non extendit, nisi in Sententia Interdicti ita expressum fuerit; quia Sententia ex se non respicit futura *arg. c. fin. de Rescript.* ubi cavetur, quòd gratia ad futura non extendatur. igitur à fortiori nec pœnæ sic extendendæ sunt. Palao *l. cit. ℣. ad terras.* 2. ut terræ ejusmodi sint sub talis domini proprietate, & dominio; & hinc Interdicto tali non subjiciuntur terræ, in quas solùm habet Jurisdictionem, administrationem, Usumfructum: item in quas dominium directum duntaxat habet, quia illas dedit in Hypothecam, Emphytevsin; Feudum, nisi aliud exprimatur. Palao *l. cit. ℣. Quodsi.* Ratio est, quia illud Interdictum potiùs in damnum Feudatarii, vel Hypothecarii cederet. 3. ut talis dominus ejusmodi terræ plenum dominium habeat; nam si partiale duntaxat, distinguendum est: Vel enim terra talis pro indiviso est alicujus innocentis; & tunc, ne absque culpa puniatur aliquis innocens, tenendum est, terram illam non subjici Interdicto: vel contrà illa divisim est nocentis, & innocentis, ita, ut pars ejus uni competat, altera pars distincta alteri; & tunc Interdicto subjicitur pars utraque, pars nocentis quidem directè, pars innocentis verò indirectè, & per consequentiam: & hoc ob rationem assignatam *n. 326.* ne scilicet Interdictum generale latum in terram Domini nocentis eludatur, quod fieret, si populus, habitans in terra directè interdicta, posset ad Divina audienda, & celebranda ad partem terræ contiguam accedere. Palao *n. 6. cit.*

331 6. Interdictâ terrâ alicujus domini, interdicta censentur non solùm templa, Ecclesiæ, & Oratoria, ibi existentia tempore Interdicti, sed etiam ea, quæ postmodum fuerint erecta: non quia Sententia Interdicti futura respiciat, sed quia respicit locum, cui Ecclesia denuo constructa inhæret, atque insistit. Sayr. *l. 5. c. 3. n. 13.* Coninck *D. 17. dub. 1. n. 16.* Palao *n. 6. ℣. deinde.* Idem dicendum, si Ecclesiæ interdictæ pars aliqua adderetur: nam eo ipso etiam pars illa debet censeri interdicta; quia eandem cum partibus præexistentibus Ecclesiam facit, vel saltem accessoria est. accessorium autem sequitur principale. Secus foret, si Ecclesia interdicta funditus interiret, & in eo loco alia de novo constrüeretur; quia hæc nova Ecclesia non est Ecclesia, quæ Interdicto fuit subjecta, neque illius pars. Palao *l. cit. ℣. idem existimo.*

332 7. Interdictum Locale omnes tam Sæculares, quàm Regulares, tam incolæ, quàm exteri, tam exempti, quàm non exempti observare tenentur, si speciali privilegio super eo non sint muniti: *c. authoritate 4. & c. licèt 10. de privil. in 6.* imò illud observare debet etiam is, qui Interdictum locale apposuit. Navar. *c. 27. n. 161.* Sayr. *c. 3. cit. n. 28.* Coninck *n. 25.* Palao *n. 7.* Wiestner *n. 127.* Reiffenstuel *n. 196.* la Croix *n. 414.* Schmier *n. 259.* Ratio est, quia hæc prohibitio non tam personæ facta est, quàm loco, ut in eo non celebrentur Divina: & cùm obligatio Interdicti nascatur ex Jure communi, ille, qui Interdictum apposuit, eidem derogare non potest.

333 8. Interdictum locale semper secum fert Interdictum personale, illorum scilicet, qui causam Interdicto dederunt; nam hi specialiter sunt interdicti, ita, ut neque in loco illo interdicto, neque alibi Divina participare possint, cùm tamen alii, qui Interdicto locali causam non dederunt, interesse Divinis extra locum interdictum possint, ut habetur *c. si sententia 16. h. tit. in 6.* & notant Sylv. *V. Interdictum 2. n. 7.* Suar. *D. 37. sect. 1. n. 15.* Coninck *D. 17. dub. 1. n. 5.* Palao *n. 8.* Barbos. *in c. cit. n. 3.* Engl *n. 84.*

Pirh. *n.* 223. Wieſtn. *n.* 127. Reiffenſt. *n.* 197.

834 Dub. 2. quæ perſonæ comprehendantur, quando Interdicto ſubjicitur populus, Collegium, aut alia quævis Univerſitas? R. comprehenduntur omnia ipſius membra: adeóque 1. etiam, qui abſentes fuerunt, quando latum eſt Interdictum; quia abſentia non impedit eos eſſe membra Communitatis interdictæ. 2. innocentes; quia non interdicuntur, quatenus innocentes ſunt, ſed quatenus ſunt partes Communitatis nocentis. 3. illi, qui poſt latum Interdictum partes illius Communitatis fiunt; quia verè ad Communitatem interdictam pertinent. 4. Clerici, & Religioſi, ſi partes Communitatis, e. g. familiæ interdictæ ſint. 5. Concives habitantes in Suburbiis, & locis continentibus; quia reputantur concives illius populi interdicti. *Excipe*, ſi ſint ſui juris, ſuáque onera, & honores diſtinctos habeant. 6. denique etiam Magnates Marchiones, Duces, niſi ab hac obligatione privilegio, vel conſuetudine eximantur. Suar. *D. 36. ſect. 3. à n. 2.* Palao *D. 5. p. 2. §. 2. n. 1. & 2.* Wieſtner *hic n. 127. ℣. tertiò.*

835 Excipiuntur autem ab Interdicto generali perſonaliter lato 1. Epiſcopi, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio *c. quia periculoſum 4. h. tit. in 6.* Palao §. *2. cit. n. 3.* Wieſtn. *n. 128.* Reiffenſt. *n. 188.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 262.* & teſte Palao omnes.

2. Infantes doli nondum capaces, & amentes; quia ob defectum uſûs rationis capaces non ſunt prohibitionis per Cenſuram Interdicti appoſitæ: bene tamen prohibentur tradi Sepulturæ Eccleſiaſticæ; quia hæc prohibitio non tam ipſos, quam Clericos ſepulturos afficit. Sylv. *V. Interdictum 2. n. 18.* Covar. *in c. alma p. 2. §. 4. n. 5.* Henriq. *l. 13. c. 42. n. 3.* Sayr. *l. 5. c. 4. n. 21.* Avil. *p. 5. D. 1. dub. 4. concl. 1.* Bonac. *D. 5. p. 1. n. 21.* Hurt. *de Interdict. diffic. 4. n. 9.* Palao *l. cit. n. 4.* Pirhing *n. 240. ℣. prædictis.* Wieſt. *n. 128.* Reiffenſt. *n. 188.*

836 3. Excipiuntur, qui à populo recedunt, alibi domicilium conſtituturi; nam eo ipſo deſinunt eſſe pars illius populi, ob quam rationem Interdicto ſubjiciebantur. Suar. *D. 32. ſect. 2. n. 34.* Sayr. *c. 4. cit. n. 5. & 6.* Avil. *D. 1. cit. dub. 2. concl. 1.* Palao *n. 5.* Engl *n. 83.* Wieſtner *l. cit.* Circa illos, qui duplex domicilium habent, anceps DD. ſententia eſt. Nam Interdicto, ſaltem quamdiu cum populo interdicto degunt, ipſos ſubjectos eſſe contendunt Calderin. *de Interdict. membr. 2. n. 39.* Angel. *V. Interdictum 1. n. 4.* Tabien. *V. eod. §. 10.* Roſell. *ibid. n. 8.* Suar. *ſect. 2. cit. n. 16.* Palao *n. 7.* quia verè ſunt de populo interdicto, & illius honoribus fruuntur. debent ergo illius onera ſubire. Negant interdictos eſſe Sylv. *V. Interdictum 2. n. 13.* Henriq. *c. 42. cit. n. 2.* Sayr. *n. 18.* la Croix *n. 416.* quia cùm æquè pars populi interdicti, & non interdicti ſint, nulla eſt ratio, ob quam populi interdicti onus ſubire debeant potiùs, quàm frui libertate populi non interdicti.

4. Excipiuntur probabiliter exteri, 837
etſi diu in populo habitent, ùt Scholaſtici, & Mercatores; quia eſto, quòd plerumque Legibus populi adſtringantur, non tamen illis, quæ ſingulares perſonas, quatenus ſunt partes tales populi, afficiunt, uti eſt Lex Interdicti; quia exteri ad populum non pertinent, nec ſunt pars illius. Navar. *Man. c. 27. n. 167.* Henriq. *c. 42. cit. n. 3.* Sayr. *n. 19.* Avil. *dub. 4. cit. concl. 10.* Coninck *D. 17. dub. 1. n. 12.* Bonac. *D 5. p. 2. n. 20.* Palao *l. cit. n. 6.* Wieſtner *n. 128.* la Croix *n. 410.*

5. Interdicto populo, Clerus non 838
cenſetur interdictus, nec contrà interdicto Clero, populus; quia nomine populi Sæculares tantùm veniunt intelligendi, & nomine Cleri ſoli Eccleſiaſtici. Sayr. *l. cit. n. 25.* Suar. *D. 32. ſect. 2. n. 24. & 25.* Avil. *concl. 6.* Coninck *n. 8.* Palao *n. 8.* Pirhing *n. 220. not. 2.* Engl *n. 85.* Wieſtner *n. 128.* Reiffenſtuel *n. 186.* la Croix *n. 411.* Schmier *n. 261.* An verò populo interdicto, loca illius populi interdicta ſint, controverſia eſt apud DD. Affirmant aliqui cum Covar. *in c. alma p. 2. §. 1. n. 7.* ne interdictum populi fruſtraneum ſit, ſi Clerici poſſent apertis januis, & campanis pulſatis in Eccleſiis illius populi Divina peragere. Sed meritò negant Navar. *c. 27. cit. n. 167.* Sayr. *n. 16.* Coninck *n. 20.* Palao *n. 11.* Wieſtner *n. 129.* Ratio eſt; quia Interdictum perſonale à locali diſtinguitur, nec unum aliud infert. Neque eſt inconveniens, interdicto populo, poſſe Clericos Divina in Eccleſiis illius populi celebrare, cùm Eccleſiæ non ſint interdictæ. Quodſi autem ex populo interdicto aliquis aſſiſtere divinis vellet, expelli debet: ſi expelli non poſſit, ceſſare debebunt Clerici ab illorum celebratione, non ex lege Interdicti, ſed ad vitandum ſcandalum, & cooperationem ad peccatum. Palao *n. 11. cit.*

6. Interdicto Clero alicujus Eccle- 839
ſiæ, non hoc ipſo talis Eccleſia interdicta cenſetur: ut proinde id non obſtet, quò minùs in tali Eccleſia divina celebrare alii Clerici, eáque audire Laici poſſint. Gloſſ. *in c. 16. V. in clerum h. tit. in 6.* Covar. §. *1. cit. n. 7.* Barboſ. *in c. cit. n. 7.* Pirhing *n. 222. not. 5.* Engl *n. 83.* Wieſtner *n. 130. ℣. quin-*

quintò. An verò interdicto Clero alicujus loci, sub nomine Cleri contineantur etiam Religiosi, dissident inter se DD. Covar. §. 1. *cit. n.* 8. Navar. *n.* 167. Suar. *n.* 13. & alii apud *Palao* volunt contineri, ex ratione; quia communitas dividitur in Clerum, & populum, at Religiosi etiam Laici sive mares, sive fœminæ, non sunt de populo. ergo sunt de Clero. ergo interdicto Clero, etiam ipsi interdicti censendi sunt. Sed probabilius non continentur hujusmodi interdicto, licèt istud latum sit à Pontifice, vel alio, qui in Sæculares, & Regulares Jurisdictionem habet. Sylv. *V. Interdictum* 2. *n.* 19. Henriq. *c.* 42. *cit. n.* 3. Sayr. *n.* 29. Coninck *n.* 8. Palao *n.* 9. Engl *n.* 85. Pirhing *n.* 210. *not.* 2. *v. porro*, Wiestner *n.* 130. Reiffenst. *n.* 187. la Croix *n.* 410. Ratio est, quia esto, Religiosi sub nomine Cleri comprehendantur in favorabilibus, non tamen in pœnalibus, & odiosis, utpote qui diversis Legibus, & Constitutionibus reguntur. *Excipiuntur* 1. Religiosi, qui Beneficium Sæculare possident; nam hi cum Clericis Sæcularibus unum corpus constituunt: conf. sub interdicto Cleri intelliguntur. *Excipitur* 2. nisi interdictum latum sit sub nomine personarum Ecclesiasticarum: nam tali Interdicto comprehenduntur etiam Religiosi quicunque utriusque sexûs; quia verè sunt personæ Ecclesiasticæ, ad Ecclesiam, & illius Jurisdictionem directè pertinentes. *Pirh. Wiest. l. citt.*

Quæritur 2. de Causis Interdicti. 340 *Et* 1. *quidem dubitatur*, quæ sit causa Efficiens, seu Minister interdicti? R. Ministrum, & causam Efficientem interdicti esse, qui Jurisdictionem in foro contentioso habet: & regulariter, qui sententiam Excommunicationis, & Suspensionis ferre potest, etiam interdicere potest. Suar. *D.* 36. *sect.* 1. *n.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 3. §. 1. *n.* 1. Valiens. *hic* §. 12. *n.* 1. Pirhing *ibid. n.* 249. & colligitur ex *c. cùm Ecclesiarum* 3. *de Offic. Ord.*

In specie interdicere possunt 1. 341 Pontifex, ejus Legatus, Nuntius, Delegatus, Subdelegatus. 2. Episcopus, etiam non consecratus, & quicunque alii, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos suos habent. 3. Capitulum Sede vacante, medio Vicario à se electo juxta Trid. *sess.* 24 *c.* 16. *de Reform.* 4. Prælati Religiosorum, cum limitatione tamen; nam etsi Religiosos sibi subditos ligare possint Interdicto personali, non tamen locali loca sibi subjecta; quia hæc potestas, etsi de Juris rigore ipsis conveniat, eis adempta est per consuetudinem, ut pluribus *citt.* testatur Palao §. 1. *cit. n.* 4.

342 Isti tamen omnes, ut ferre interdictum possint, non debent esse Suspensi, vel Excommunicati; nam si Suspensi, vel Excommunicati sint, non denuntiati quidem illicitè, denuntiati verò etiam invalidè sententiam Interdicti ferunt, eò, quòd post denuntiationem careant Jurisdictione. Palao *n.* 5. Præterea, ut Episcopus Clericos sibi subjectos Interdicto subjicere possit, de Juris rigore debet habere consensum Capituli, ut colligitur ex *c. pervenit* 1. *de Excess. Prælat. c. novit* 4. & *c. seq. de his, quæ à Prælat. c. cùm in cunctis* 1. *de his, quæ à major. part. Capit.* Consuetudine tamen ubique recepta nunc Capituli consensus etiam ad interdicendos Clericos non requiritur. Suar. *D.* 36. *sect.* 1. *n.* 6. Palao *l. cit. n.* 2.

Dub. 2. quod sit subjectum, & fi 343 nis Interdicti, & quam ob culpam ferri possit? R. *Interdicti localis* subjectum est locus: sed hic, ut directè subjici Interdicto possit, debet esse subjectus Jurisdictioni interdicentis; per accidens tamen sæpe contingit, ut Interdictum se extendat ad loca etiam non subjecta Jurisdictioni interdicentis, quando scilicet aliàs Interdictum à Judice positum esset frustraneum, prout notavi *suprà n.* 326.

Interdicti personalis subjectum est 344 persona, vel Communitas: quo differt Interdictum ab Excommunicatione, quæ nunquam fertur in Communitatem. Ut verò persona aliqua subjici Interdicto possit, debet 1. esse subjecta Jurisdictioni interdicentis; aliàs ejus præceptis, & sententiis ligari non potest. 2. debet esse rationis compos; aliàs incapax est præcepti, & pœnæ præcepto annexæ.

Finis Interdicti est culpæ emendatio, 345 seu punitio. Culpa autem ista debet esse peccatum mortale, quia Interdictum est pœna gravissima, & cùm etiam innocentes quandoque feriat, gravior aliquo modo, quàm Excommunicatio: & hinc ob solum peccatum veniale ferri non potest. Imò si Generale, personale, vel locale sit, nullo modo in Jure fertur, nec ferri ab alio potest, quàm à Pontifice, ob culpam quantumvis gravem alicujus privatæ personæ, nisi ea culpa sit culpa Capitis, vel Communitatis *arg. c. non est vobis* 11. *de Sponsal.* & deciditur *in Conc. Basil. sess.* 20. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 168. Sot. *in* 3. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. Covar. *in c. alma p.* 2. §. 1. *n.* 4. & 5. Sayr. *l.* 5. *c.* 11. *à n.* 7. Henriq. *l.* 13. *c.* 50. *n.* 1. Suar. *D.* 36. *sect.* 3. *n.* 5. 6. & 9. Avil. *p.* 5. *D.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. Coninck *D.* 17. *dub.* 1. *fin.* Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 4. Hurt. *de Interdict. diffic.* 13. *n.* 38. Palao *D.* 5. *p.* 3. §. 2. *n.* 3. Ratio est, quia pœna debet proportionari culpæ, & cùm hæc sit pœna communis, culpam communem requirit.

346 Intelligi autem hoc debet, si Interdictum sit absolutum, & integrum; nam si partiale, & ad breve tempus, ut pluribus *citt.* docet Palao *n. 9.* ob culpam venialem injungi potest; quia est levis pœna, & facilè amovibilis. Non autem, si interdictum sit absolutum, & integrum. *Neque obstat*, quòd ob peccatum veniale incurratur Excommunicatio minor; nam Interdictum, præterquam quòd pluribus bonis Spiritualibus privet, quàm Excommunicatio minor, difficiliùs præterea tolli, quàm Excommunicatio minor, potest, cùm ab hac absolvere possit quivis Sacerdos, qui absolvere à mortalibus potest. König *hic n. 47.*

347 Dub. 3. an pro delicto à Capite, vel Communitate commisso in retinendo ære alieno possit interdictum ferri? *Certum est* pro tali delicto absque speciali Summi Pont. licentia non posse ferri *Interdictum locale generale;* quia ita expressè cautum est *in Extrav. 2. int. comm. b. tit.* quam confirmavit *Clemens VII. in Bulla* incipit *Licèt ea editâ 1530. 9. Cal. Jun.* & est 35. ejusdem in Bullario. Quoad *interdictum locale speciale* e. g. unius, vel alterius Ecclesiæ, an pro debito pecuniario imponi possit, controvertunt DD. Affirmant Navar. *c. 27. cit. n. 168.* Sayr. *c. 11. n. 19.* Suar. *sect. 3. n. 8.* ex ratione, quia prædicta *Extravagans* solùm loquitur de Interdicto Generali. Sed verius contrarium docent Covar. *in c. alma p. 2. §. 1. n. 5.* Avil. *p. 5. D. 3. dub. 3. concl. 2.* Palao *D. 5. p. 3. §. 2. n. 5.* Ratio est 1. quia in prædicta *Extrav.* prohibetur, ne supponatur Interdicto Provincia, Civitas, Castrum, locus, territorium, atqui locus tam de Interdicto locali generali, quàm de speciali intelligitur. 2. solutio debiti pecuniarii facilè aliis viis obtineri potest absque innocentum periculo. 3. Interdictum locale generale ideo ob causam pecuniariam ferri non potest à potestate ordinaria, ne ob temporalem causam, & quæ aliâ viâ emendari potest, innocentes detrimentum patiantur. hæc autem ratio procedit etiam in interdicto locali speciali. ergo nec istud imponi potest ob debitum pecuniarium.

348 Quoad Interdictum personale distinguendum est inter speciale, & generale. *Generale personale* probabiliùs nec ipsum ob æris alieni retentionem, à capite communitatis factam, imponi potest. Henriq. *l. 13. c. 50. n. 3.* Avil. *dub. 3. cit. concl. 4.* Sayr. *c. 11. à n. 19.* Palao *n. 6. Neque obstat*, quòd *cit. Extr.* tantùm loquatur de Interdicto locali; non enim idcirco statim dicendum est, quòd concedat ferri interdictum personale, cùm ratio prohibendi interdictum locale se extendat etiam ad interdictum personale generale, ne scilicet innocentes graventur ob talem causam temporalem. *Speciale personale* pro debito pecuniario ferri quidem potestate ordinaria potest in personam, quæ est in culpa; nam contrarium nullibi cautum est: non tamen ob culpam alienam; quia cùm tale Interdictum propriam personam ubique afficiat, culpam in ipsa supponit Sayr. *c. 11. n. 5.* Suar. *D. 36. sect. 3. à n. 2.* Hurt. *diffic. 13. n. 19.* Palao *l. cit. n. 7.*

349 Dub. 4. quæ sit Forma servanda in impositione interdicti? R. nullam esse præscriptam: conf. ea sufficiet, quæ voluntatem imponentis exprimat. Palao §. *2. cit. n. 10.* Vallens. *hic* §. *12. n. 3.* Ut verò licitè imponatur, debet ferri in scriptis, & ibi exprimi causa, ob quam fertur, & exemplar tradi parti intra mensem, si petierit; alioquin interdicens ab ingressu Ecclesiæ per mensem erit ipso Jure suspensus.

350 Quæritur 3. qui sint Effectus Interdicti? R. quatuor enumerari. 1. Privatio activa, & passiva Sacramentorum *c. responso 43. h. tit.* & *c. si sententia 16. eod. in 6.* 2. Privatio activa divinorum Officiorum *c. permittimus 57. eod.* 3. Privatio activa, & passiva Ecclesiasticæ Sepulturæ *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss. c. cùm & plantare 3. §. quodsi, de Privil.* & *c. Episcoporum 8. eod. in 6.* 4. Privatio ab ingressu Ecclesiæ *c. sacro 48. h. tit.* & *c. is cui 20. eod. in 6.* Hos omnes effectus post se trahit interdictum, si absolutè sit latum: si verò ex voluntate imponentis restrictum sit, eum effectum tantùm comprehendet, quem interdicens voluerit. Palao *tr. 29. D. 5. p. 4. pr.* & ab hoc *citt.*

351 Dub. 1. quorum Sacramentorum administratio, & receptio prohibeatur tempore Interdicti? Discurrendum est per singula Sacramenta. Primum est *Baptismus.* Hic tempore cujuscunque interdicti concedendus est parvulis, ob ejus necessitatem *c. non est vobis 11. de Sponsal.* quæ concessio postmodum extensa fuit etiam ad Baptismum cujuscunque adulti, sive sani, sive infirmi *c. quoniam 19. h. tit. in 6.* nam quamvis isti sola contritione salvari possint, quia tamen contritio difficulter haberi potest, ideo Ecclesia beneficium hoc ipsis denegare non voluit. Potéstque administratio ista, & debet, non obstante quocunque interdicto, fieri solenniter, ritibus consuetis, & apertis etiam januis templi; quia cùm permittitur Baptismus, non censendus est permitti aliter, quàm quo modo de jure faciendus est. Navar. *Man. c. 27. n. 177.* Henriq. *l. 13. c. 45. n. 1. & c. 53. n. 4.* Sayr. *l. 5. Thesaur. c. 7. n. 3.* Suar. *D. 33. sect. 1. n. 2.* Avil. *p. 5. D. 4. sect. 1. dub. 4. concl. 1.* Bonac. *D. 5. p. 3. n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 1.*

Pa-

Palao *p. 4. cit.* §. *1. n. 2.* Pirh. *n. 228. hìc*, Wiestner *ibid. n 132.* Et hoc ita verum est, ut si Fons non sit benedictus, benedici etiam tempore Interdicti possit. *Suar. Bonac. Pal. l. citt.* & alii communiter. Idem dicendum, quando Minister est interdicto generali personali subjectus; nam interdictum personale generale non ligat arctiùs, quam generale loci, quo non obstante, permittitur ministratio Baptismi. Filliuc. *tr. 18. c. 2. n. 33.* Bonac. *p. 3. cit.* §. *1. n. 5.* Palao *l. cit. n 5.* Aliud dicendum de Ministro specialiter interdicto: nam iste, quamvis in casu necessitatis privatim baptizare possit, non tamen hoc potest extra hunc casum; quia his personis, sicut & excommunicatis nullus est favor concessus, qui tamen concessus esset, si secluſa necessitate baptizandi, possent ministrare hoc Sacramentum. Sayr. *c. 7. cit. n. 6.* Suar. *sect. 1. cit. n. 8.* Filliuc. *n. 33. cit.* Bonac. *n. 5.* Palao *n. 5.*

351 Secundum est *Confirmatio.* De hoc idem dicendum, quod de Baptismo, nam, quamvis ista non sit Sacramentum necessitatis, est tamen Baptismo accessorium, & illius quasi complementum, ideóque concesso hoc, etiam illud concessum videtur, non utcunque, sed cum omni sua solennitate, apertis januis, sicut si interdictum non esset. Sylv. *V. Interdictum 5. n. 9.* Covar. *p. 2* §. *2. n. 7.* Sayr. *c. 7. cit. n. 6.* Suar. *sect. 1. n. 7.* Bonac. *n. 4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 31. n. 23.* Laym, *c. 2. cit. n. 1.* Palao *n. 6.* Pirhing *n. 229.* & *230. not. 2.* Wiestn. *n. 133.* Reiffenst. *n. 199.* & *200.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 418.* & sumitur ex c. *quoniam 19. h. tit. in 6.* ubi additur, posse etiam in loco specialiter interdicto confici Chrisma; quia est necessarium Confirmationi, & hac concessa, concedi debent, quæ ad illam conficiendam sunt necessaria. Palao *n. 6. cit.* *Dubitatio* esse potest de Ministro, & Suscipiente: quæ dirimi distinctione potest; nam si Interdictum sit generale, ministrare sic interdictus, & recipere hoc Sacramentum potest, non verò si specialiter persona sit interdicta: & quidem sic interdictus ministrare licitè non potest; quia *c. clerici 3. c. latores 4. de Cler. excomm. minist.* & *c. si sententia 16. h. tit. in 6.* tam Excommunicati, quàm Interdicti prohibentur ministrare Divina: recipere verò hoc Sacramentum nequit; quia ut licitè illud recipiat, priùs satisfactionem exhibere, vel si hoc nequeat, cautionem præstare debet *arg. c. alma 24. h. tit. in 6.* Suar. *n. 9.* Bonac. *n. 4.* Palao *n. 7.* Wiestner *n. 133.*

353 Tertium est *Sacramentum Pœnitentiæ.* Hoc Jure antiquo solis moribundis, & peregrinis concedebatur *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss.* Jure recentiore conceditur omnibus, duplici conditione apposita *c. alma cit.* *Prima* est, ne pœnitens Sacramentum hoc recepturus sit excommunicatus Excommunicatione reservata, & impositâ, quòd Interdicto pertinaciter causam dederit. Suar. *D. 33. sect. 1. n. 15.* Avil. *p. 5. D. 4. sect. 1. dub. 3. concl. 4.* Bonac. *D. 5. p. 3.* §. *3. n. 1.* Palao *l. cit. n. 8.* Pirhing *n. 231.* Reiffenstuel *n. 201.* *Secunda* est, ne absolvendus causam culpabilem interdicto dederit; nam eo casu debet priùs satisfactionem condignam exhibere, vel de satisfaciendo cautionem idoneam præstare, aut si neutram possit, jurare debet se satisfacturum, cùm primùm poterit, uti cavetur *c. alma cit.* Suar. *l. cit. n. 20.* Bonac. *n. 2.* Palao *n. 8. cit.* Barbos. *in c. alma cit. n. 4.* Engl *n. 93.* Pirh. Reiffenst. *l. citt.* Quod dictum est de receptione hujus Sacramenti, etiam dicendum de ejus administratione; potest enim administrari in loco interdicto, & à persona generaliter interdicta non verò à persona specialiter; quia huic quælibet Sacramentorum ministratio extra casum necessitatis prohibita est: si tamen ab interdicto specialiter etiam denuntiato administretur; probabilìus Sacramentum validum erit; quia interdictum non Jurisdictionem, sed usum Divinorum tollit. Bonac. *l. cit. n. 2.* Palao *n. 8. cit. fin.*

Quartum est *Sacramentum Eucharistiæ.* 354 Hoc tempore Interdicti localis, aut personalis generalis potest, & debet administrari his, qui constituti sunt in probabili mortis periculo vel ob infirmitatem, vel ob aliam causam extrinsecam, qualis est navigatio diuturna, præliatio, partus difficilis, condemnatio ad mortem, dummodo Interdicto causam non dederint, aut fuerint aliunde specialiter interdicti; nam hi, ut ministrari eisdem Evchariſtia hoc casu possit, debent antè præstare satisfactionem condignam, vel si hanc præstare nequeant, cautionem pignoratitiam, fidejussoriam, vel saltem juratoriam *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss. c. permittimus 57. h. tit.* & *c. alma 24. eod. in 6.* Potéstque hoc casu ac debet SS. Sacramentum ad domum ægroti deportari solita cum solennitate, comitantibus Clericis, candelis accensis, pulsatis cymbalis *c. sanè 10. de celebr. Missar.* Delato Sacramento etiam licitum est Sacerdoti populo illud ostendere ad adorandum, & cum ipso eidem benedicere; quia per interdictum non prohibetur visus, ostensio, & adoratio, nisi in Missæ Sacrificio. Sayr. *l. 5. c. 7. n. 28.* Suar. *D. 33. sect. 1. n. 27.* Palao *p. 4. cit.* §. *1. n. 10.* Pirh. *n. 232.* Wiestn. *n. 135.* Extra mortis articulum nec ministrare, nec recipere Evchariſtiam licet in loco interdicto, etiam personis innocentibus *c. quod in-*

in te c. permittimus, & *c. alma citt.* *Excipitur*, nisi super ejus receptione speciali privilegio muniti sint, sicut ferè sunt Religiosi, & Moniales. *Compend. Privil. Societ. JESV Interdictum, & V. communicare.* Wiestn. *n. 135.*

355 Quintum est *Extrema Unctio.* Hoc Sacramentum ex constanti omnium Sententia in nullo Interdicto locali, aut personali ministrari potest, etiam illis diebus, quibus juxta *infrà n. 365.* dicenda celebrare Divina, & interesse iisdem permissum est *c. quod in te cit.* & *c. non est vobis* 11. *de Sponsal.* Et extenditur prohibitio hæc etiam ad Clericos, & ex his ad illos quoque, quibus aliàs concessum est tempore Interdicti Sacrificium Missæ, & Divina Officia celebrare, ut colligitur ex *c. quod in te cit.* ubi postquam Pontifex dixit, omnibus tempore interdicti prohibitam esse extremam Unctionem, & Ecclesiasticam Sepulturam, subdit, Sepulturam Ecclesiasticam Clericis servantibus Interdictum concedendam esse. tacitè ergo prohibitionem Extremæ Unctionis in vigore suo relinquit *arg. c. nonne 5. de Præsumpt.* *Excipiuntur 1.* qui privilegium speciale circa hoc sibi concessum habent, quale habent Religiosi mendicantes, & qui cum iis in privilegiis communicant; nam hi ministrare, & recipere hoc Sacramentum tempore interdicti possunt, ex privilegio relato in *Compend. Min. V. Unctio extrema*, & in *Compend. Privil. Societ. V. eod.* *Excipitur 2.* si infirmus nullum aliud Sacramentum possit recipere; tunc enim potest illi Extrema Unctio ministrari ex præsumpta Ecclesiæ voluntate; quia non est credendum, Ecclesiam suis fidelibus, & maximè morituris, subsidium Sacramentorum denegare velle, maximè cùm salus æterna infirmi, Sacramento non recepto, non leviter periclitetur, cujus periculum maxima ex parte temperatur, Sacramento Extremæ Unctionis recepto. Chapeauvill. *de mod. administr. Sacr. temp. pest. post c. 4. q. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 1. ℣. de Sacramento Extremæ Unctionis.* Palao *D. 5. p. 4. §. 1. n. 20.* Pirhing *n. 234.* König *n. 50.* Wiestner *n. 136.* Reiffenstuel *n. 203.*

356 Sextum est *Ordo.* De quo certa sententia est, in loco interdicto, & personis specialiter interdictis nullo modo conferri posse; bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto. Covar. *in c. alma p. 2. §. 3. n. 4.* Navar. *Man. c. 27. n. 179.* Henriq. *l. 13. c. 45. n. 1.* Suar. *D. 33. sect. 1. n. 45.* Laym. *n. 1. cit. ℣. de Sacram. Ord.* Palao *n. 21.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 251.* Ratio est, quia quælibet Sacramentorum receptio, & administratio in loco interdicto, & personis specialiter interdictis est prohibita; secus verò ijs, qui generaliter interdicti sunt, in loco non interdicto *c. responso 43. h. tit.* & Sacramentum Ordinis nullibi reperitur exceptum. ergo etiam de hoc intelligenda est procedere prohibitio generalis. *Excipitur*, si contingeret, in aliqua Provincia esse tantam Sacerdotum penuriam, ut Sacramentum Pœnitentiæ, & Evchariſtiæ commodè infirmis ministrari non posset; tunc enim probabiliùs licita esset Ordinatio in loco interdicto, ut contra *Sylv. Covar. Ugolin.* rectiùs docent Abb. *in c. 11. de Sponsal. n. 8.* Henriq. *c. 45. cit. n. 4.* Sayr. *l. 5. c. 7. n. 38.* Bonac. *D. 5. p. 3. §. 3. n. 3.* Laym. *c. 2. cit. n. 1.* Palao *n. 23.* Pirhing *n. 235.* Wiestner *n. 136.* Ratio est, quia *c. alma cit.* permittuntur aliqua Sacramenta administrari, & confici tempore Interdicti, consequenter ergo permittenda est Ordinatio Ministrorum, qui ad id fuerint necessarii; aliàs inutilis esset ista concessio. *Conf.* à pari: ex eo, quòd tempore Interdicti concessa sit ministratio Baptismi, & Confirmationis, concessa etiam censetur Benedictio fontis, & confectio Chrismatis, sine quibus ministrari illa Sacramenta non possunt. ergo cùm neque sine Ministris ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ possit, ex horum concessione rectè infertur concessa illorum Ordinatio. Sed ut bene *Sayr.* & Palao *l. citt.* notant, hic casus raro, vel nunquam contingere potest; quia cùm Episcopus ad locum non interdictum accedere, vel initiandos ad Episcopos propinquiores mittere possit, non facilè contingere potest talis necessitas.

Septimum est *Matrimonium.* De 357
hoc satis convenit inter DD. quòd ab eo contrahendo removeantur specialiter interdicti, si contumaces existant; quia obicem ponunt gratiæ per Sacramentum Matrimonii recipiendæ. An verò illud contrahi tempore Interdicti localis, & à personis generaliter interdictis possit, controversia est inter DD. Negant Ugol. *tab. 5. c. 7. §. 3. n. 1.* & *c. 10. §. 1. n. 1.* Suar. *D. 33. sect. 1. n. 51.* Bonac. *D. 5. p. 3. §. 3. n. 8.* cum aliis ex ratione, quòd Sacramentorum receptio generalis Interdicti tempore sit prohibita, Matrimonium autem non sit exceptum.

Sed verùm potest contrahi in loco in 358
terdicto, & à personis generaliter interdictis. Ita Abb. *in c. 11. n. 8. de Sponsal.* Sylv. *V. Interdictum 5. n. 9.* Covar. *in c. alma p. 2. §. 2. n. 7.* Navar. *Man. c. 27. n. 179.* Henriq. *l. 13. c. 45. n. 3.* Tolet. *l. 1. c. 20. n. 9.* Avil. *p. 5. D. 4. sect. 1. dub. 6.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 8. n. 2.* Tann. *tom. 4. q. 10. dub. 8. n. 150.* Coninck

ninck *D. 17. dub. 2. n. 48.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 4. §. 1. n. 25.* Vallens. *hic §. 12. n. 4.* Engl *n. 94.* Pirh. *n. 236.* Wiestn. *n. 136. fin.* la Croix *n. 418. & 420.* Ratio est, quia Matrimonium principaliter est contractus humanus, & politicus, cui ratio Sacramenti ex Christi institutione annexa est, atqui contractus humani tempore interdicti non prohibentur, ergo neque contractus Matrimonii ob Sacramenti rationem adjunctam censeri debet prohibitus, cùm accessorium sequatur naturam principalis. Imò etiam specialiter interdicti, si pœnitentes, & contriti sint, nullatenus ab eo contrahendo excluduntur; quia non prohibentur ex vi Censuræ, sed ex vi obicis, qui per pœnitentiam removetur. Sylv. Navar. Henriq. Tolet. *l. citt.* Sanch. *n. 5.* Palao *n. 27.*

359 Benedici tamen nuptiæ tempore interdicti non possunt, ut contra *Rosell. Angel.* & alios docent Navar. *n. 178.* Henriq. *c. 44. n. 1.* Sayr. *l. 5. c. 7. n. 41.* Sanch. *D. 8. cit. n. 10.* Palao *n. 28.* Pirhing *n. 236.* la Croix *n. 420.* Ratio est, qui licèt Benedictio sit accessorium ad nuptias, tamen non ita necessaria est, ut confectio Chrismatis ad Confirmationem: & præterea Benedictio est diversæ rationis à nuptiis; Matrimonium enim ad contrahentes spectat, Benedictio ad Clericos, & sub Officio Divino continetur: unde sicut istud, ita & Benedictio Interdicti tempore prohibita erit. *Excipitur*, nisi conjuges privilegium haberent assistendi Officiis Divinis tempore Interdicti; tunc enim possent eorum nuptiæ benedici, servato moderamine *c. alma* præscripto. Idem dicendum, cùm ob Festivitates *n. 365.* recensendas Divina Officia permittuntur. Palao *n. 29.* & apud hunc *Sylv. Covar. Henriq. Sanch. Sayr. Bonac.*

306 Ad Argumentum contrarium *n. 357.* allatum dico, illam prohibitionem intelligendam esse de Sacramentis purè Spiritualibus, & quæ Ecclesiæ Ministris dispensanda relinquuntur, quale Matrimonium non est, cùm contractu humano, & politico nitatur, & ab ipsis contrahentibus ministretur: eáque de causa non fuit necesse illud à prohibitione generali excipi; quia sub ipsa non comprehendebatur.

361 Dub. 2. quid veniat nomine *Officii Divini*, dum hoc prohibetur tempore Interdicti? R. sub nomine Officii Divini veniunt, quæ primò, & per se annexa sunt alicui Ordini Sacro, & quæ à solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur, uti sunt Sacrificium Missæ, benedictio olei, chrismatis, fontis pro Baptismo conficiendo, Ramorum in Dominica Palmarum, Cereorum in die Purificationis, Nuptiarum; item benedictio templi, vestium, aut vasorum Sacrorum, aquæ benedictæ, consecratio Altaris. Denique Horæ Canonicæ, & Officium B. V. cum Psalmis, & Litaniis, si in communi dicantur, & in loco ad id specialiter deputato, & cum ordinaria solennitate. Ista omnia tempore interdicti, secluso privilegio, fieri nequeunt. Palao *tr. 29. D. 5. p. 4. §. 2. n. 1.* Reiffenstuel *hic n. 204.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 248.*

Dixi 1. *quæ primò, & per se annexa* 362 *sunt alicui Ordini Sacro*: Unde sub Officiis Divinis non comprehenditur Concio; quia non ad DEUM, sed ad populum instruendum ordinatur: neque Benedictio mensæ, recitatio itinerarii Clericorum, aliorum Psalmorum absque Ordine Divini Officii, Litaniarum, adoratio Crucis in die Veneris Sancto &c. modò omittatur solennitas, cum qua ista fiunt à Clericis. Navar. *Man. c. 27. n. 176.* Henriq. *l. 13. c. 44. n. 2.* Sayr. *l. 5. c. 3. à n. 38.* Suar. *D. 34 sect. 3. à n. 1.* Palao *n. 1. cit.* Vallens. *hic §. 12. n. 4.* Pirh. *n. 230.* Reiffenst. *n. 205.*

Dixi 2. *& quæ à solis Clericis &c.* Ubi 363 comprehenditur etiam recitatio publica, & solennis Horarum Canonicarum facta à Monialibus: nam licèt illa recitatio, ùt à Monialibus fit, non sit Ordini Sacro annexa; quia tamen per se, & ex institutione sua recitatio solennis Horarum Canonicarum à Ministris ordinis peragitur, & in ordine ad prædictum munus peragendum Ministri consecrantur, ea de causa Monialibus, quibus hæc solennis recitatio indulgetur, censenda est tempore interdicti prohibita. Suar. *sect. 3. cit. n. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 2.* Palao *l. cit.*

Dixi 3. *cum ordinaria solennitate.* 364 nam si Horæ Canonicæ recitentur in domo privata, vel etiam in aperto campo absque ulla solennitate, talis recitatio tempore interdicti non foret prohibita; quia peragitur non ùt à Ministris Ecclesiæ, sed tanquam à privatis fidelibus. Imò per *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss.* Horas dicere non cantando, sed legendo Clerici possunt bini, vel terni etiam in Ecclesia. Similiter non prohibetur tempore interdicti privata recitatio Psalmorum Gradualium, ac Pœnitentialium, Officii B. V. Salutationis Angelicæ, & similium precationum ad pulsum campanarum &c. Navar. *n. 176.* Laym. *n. 2.* Wiestner *n. 138.*

Dixi 4. *secluso privilegio.* Talia; 365 privilegia complura sunt sive Corpore Juris communis clausa, sive extra illud. Et 1. quidem hoc privilegium datum est in *c. alma cit.* Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. in quibus interdictum suspenditur: quam suspensionem postmodum *Martinus V. Const. incipit Ineffabile*, & *Eugenius IV.*

Const. incipit *Excellentissimum* extendit ad Festum Corporis Christi, & totam illius Octavam: deinde *Leo X.* ad Festum Immaculatæ Conceptionis pro tota Hispania. In his ergo solennitatibus licet apertis januis, & cum omni solennitate Sacerdotibus celebrare Missam, & alia Divina Officia, & fidelibus, modò interdicto causam non dederint, aut aliunde sint specialiter interdicti, Sacrificio Missæ interesse: & probabiliùs etiam Eucharistiam recipere Suar. *D. 33. cit. sect. 1. n. 37.* Coninck *D. 17. dub. 2. n. 36.* Filliuc. *tr. 28. c. 2. n. 32.* Palao *l. cit.* §. *1. n. 13.* Ratio est, quia Jure antiquo omnibus assistentibus Missæ Sacrificio concessum erat de ipso Sacrificio communicando participare, ergo cùm his diebus possint fideles assistere Sacrificio, etiam concessum censetur, ut sub eo communicent. Et fortè hanc ob causam textus non fuit usus verbo *assistere* sed *participare*, ut ex eo colligeretur, non solùm illos Sacrificio Missæ, & Divinis Officiis assistere, sed etiam SS. Christi Corpus communicando participare posse. Idem dicendum videtur de Religiosis, & aliis omnibus, quibus datum est privilegium, ut interdicti tempore possint assistere Sacrificio Missæ. Suar. *l. cit. n. 35. & 36.* Filliuc. *n. 42.* Palao *n. 25.* contra non paucos alios.

567 2. Per *c. permittimus 47. h. tit.* tempore Interdicti semel in hebdomade celebrari Missa potest ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis: quæ facultas postea *in c. alma cit.* extensa est, ut jam non semel in hebdomade, sed singulis diebus Missæ celebrari possint, & Officia Divina peragi in quibuscunque Ecclesiis & monasteriis: modò observentur conditiones *in c. alma cit.* præscriptæ. 1. ut Divina fiant submissa voce, h. e. absque solenni cantu, & taliter, ut ab iis, qui extra Ecclesiam fuerint, audiri non possint, bene tamen ab iis, qui sunt intra Ecclesiam, percipi. 2. ut januæ omnes sint clausæ, per quas aditus ad Ecclesiam patet: debéntque portæ sic esse clausæ, ut ab existentibus extra Ecclesiam videri non possint Divina Officia, ideóque perforatæ esse non debent *arg. Clem. 1. h. tit.* ubi arguuntur Religiosi, quòd in portis Ecclesiarum tempore interdicti fecerint foramina. 3. ne pulsentur campanæ ad Missam, & divina Officia; nam cùm populus convocandus non sit, sed potiùs à Divinis arcendus, non erat expediens signo usitato ad illius convocationem uti: quod adeò verum est, ut nec usus illius tintinnabuli parvi ad *Sanctus*, & elevationem Hostiæ liceat. Pulsari tamen campanæ possunt ad ea, quæ non sunt Officia divina, e. g. ad convocandum populum pro Concione, ad Salutationem Angelicam, ostensionem Reliquiarum, delationem Eucharistiæ, illiúsque comitatum. Sylv. *V. interdictum 5. n. 7.* Covar. *p. 2. §. 4. n. 5.* Suar. *D. 34. sect. 2. n. 19.* Palao *p. 4. §. 2. n. 14.* Wiestner *n. 139.* 4. ut Excommunicati, & interdicti excludantur, intellige, denuntiati; quia hos tantùm tenemur vitare *Extrav. ad evitanda sæpius cit.* Quodsi interdictus nollet exire post monitionem, & expelli non posset, cessandum erit à celebratione, sicut suprà dictum est de Excommunicato. Hoc autem intelligendum est tantùm, quando celebratio Missæ fit in loco interdicto; nam si fiat in loco non interdicto, & interdictus nolit exire, non tenetur Sacerdos desistere à celebratione Missæ: & ratio est, quia Jura prohibentia celebrationem coram interdicto loquuntur de loco interdicto, in quo non permittunt celebrari divina, nisi interdictis, & Excommunicatis exclusis. Suar. *l. cit. n. 10.* Palao *n. 15.* 5. ut ad divina in loco interdicto ex privilegio hoc celebranda non admittantur Laici; quia privilegium concessum est tantùm Clericis: quorum tamen nomine veniunt omnes personæ Ecclesiasticæ, quæ privilegio Canonis, & fori gaudent, & probabiliter etiam Clerici conjugati, neque excludi Clerici exteri debent. Palao *n. 4.* & alii ab hoc *citt.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus etiam tempore interdicti Laici non interdicti admitti ad divina possunt, ut cùm Laico confertur prima Tonsura, aut Virgo Monialis benedicenda est; quia licèt hæ actiones incipiant à persona Laica, finiuntur tamen in Ecclesiastica. Item ex necessitate Sacrificii, cùm Sacerdos Ministro ad aram indiget, nec Clericum habet. Et denique per consequentiam ad privilegium, ut cùm Dominus, qui tempore interdicti Divinis potest assistere, secum ducit comitatum famulorum. Palao §. *2. n. 16.*

Circa Privilegium *n. præc.* explicatum 566
duplex occurrit difficultas ulteriùs explicanda. 1. quidnam veniat nomine Ecclesiæ, & Monasterii, quibus per *c. alma* tempore interdicti conceditur celebratio divinorum? 2. in quonam interdicto locum habeat hoc Privilegium? *Ad 1.* nomine Ecclesiæ hic veniunt etiam Hospitalia authoritate Episcopi erecta, & nomine Monasterii tam virorum, quàm fœminarum Conventus: quia cùm hoc sit Privilegium, & Corpori Juris communis insertum, latè interpretandum est. Covar. *in c. alma p. 2. §. 4. n. 2.* Sanch. *l. 7. de matr. D. 8. n. 13. fin.* Sayr. *l. 5. c. 5. n. 21.* Palao §. *2. n. 5.* Probabiliùs autem excluduntur Oratoria privata, & alia loca, quæ communiter nomine Ecclesiæ, vel Monasterii non veniunt. Calder. *tr. de Interd. membr. 6.* Franc. *in c. alma §. adjicimus n. 1.* Covar. *§. 4. cit. n. 1.* Sanchez *n. 13.* Palao *n. 7.* contra *Navar. Ugolin. Henriq.* & plures alios probabiliter

ter afferentes contrarium. *Ratio est*, quia prohibitio divinorum Officiorum, vi interdicti facta, servanda est, nisi in casibus Jure expressis *c. si sententia 16. h. tit. in 6.* at solùm invenitur excepta celebratio in Ecclesiis, & Monasteriis. ergo extra Ecclesias, & Monasteria prohibitio servanda est. *Conf.* finis cur Pontifex Officia Divina fieri permittat in Ecclesiis, est, ne populi devotio tepescat, pullulent Hæreses, & Ecclesiæ debitis obsequiis priventur. atqui hic finis non procedit in Oratoriis privatis, & aliis locis; etsi enim in illis non peragantur divina, nullum simile est periculum. ergo &c.

368 *Ad 2.* Concessio hæc *c. alma* solùm intelligenda est de Interdicto locali generali, non speciali; quia textus in principio fecit sermonem de locis interdicto subjectis, & dispositio Legis ex illius principio interpretationem sumit. *Conf.* quia privilegium in *c. alma cit.* datum, est extensio privilegii antea dati Episcopis per *c. quod nonnullis 25. de privil.* nam iisdem prope verbis conceptum est. atqui privilegium Episcoporum expressè loquitur de interdicto generali loci, neque ad speciale extenditur, ut patet ex textu ibi *Cùm nomine terræ interdictum fuerit*, ergo &c. Unde quando fuerit Interdictum locale speciale, id solùm licebit, quod licitum fuit Jure antiquo per *c. permittimus 47. h. tit.* scilicet, ut semel tantùm in hebdomade legi Missa possit ad renovandam Eucharistiam pro infirmis. Quodsi interdictum sit generale personale populi, nihil impedit quotidie celebrari in Ecclesiis Divina, modò serventur conditiones *n. 366.* relatæ: & ratio est, quia ex vi hujus interdicti non sunt interdictæ Ecclesiæ, neque Clerici, ut dictum est *suprà n. 338.*

369 Dub. 3. quomodo interdictum privet Sepulturâ Ecclesiasticâ? R. distinguendo inter species interdicti; nam 1. Si interdictum est generale loci, ejus durantis tempore sepeliri fideles prohibentur *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss.* Et extenditur prohibitio hæc non solùm ad adultos, sed etiam ad infantes; quia prohibitio ista viventes respicit, quos obligat, ne fidelibus concedant Sepulturam Ecclesiasticam Navar. *Man. c. 27. n. 168.* Henriq. *l. 13. c. 42. n. 3.* & *c. 49. n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 3.* Bonac. *D. 1. p. 5. n. 9.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 4. §. 3. n. 1.* Pirhing *hic n. 241. not. 3.* Wiestner *n. 140.* Reiffenstuel *n. 213.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 421.* Interdicto tamen sublato, corpora tumulatorum in loco profano exhumanda, & ad Sacrum locum transferenda sunt, Engl *n. 97.* Reiffenstuel *n. 214.* cum aliis *citt.*

370 *Excipiuntur 1.* Clerici, quibus decedentibus conceditur Sepultura Ecclesiastica *c. quod in te cit.* modò Interdicto speciali personali non sint ligati, vel causam culpabilem interdicto dederint. Suar. *D. 35. sect. 1. n. 4.* Palao §. *3. cit. n. 2.* Pirhing *n. 241. not. 3.* Wiestn. *n. 140.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 253.* Intelliguntur nomine Clericorum omnes personæ Ecclesiasticæ, sive Sæculares, sive Regulares, viri, & fœminæ, etiam Religionum Novitii: imò & conjugati, si habitum, & tonsuram deferant, & ab Episcopo designati sint alicui Ecclesiæ in illius Ecclesiasticum obsequium. Palao *l. cit.* Pirh. *n. 229.* In usu tamen privilegii istius observandæ sunt conditiones *c. quod in te cit.* præscriptæ. 1. ut Sepultura detur his Clericis in Cœmeterio Ecclesiæ: per quam conditionem videtur excludi Ecclesia, quæ nomine Cœmeterii non venit; nam concesso accessorio, non conceditur principale, imò tacitè denegatur. Hodie tamen usus obtinuit, ut nomine Cœmeterij comprehendatur quilibet locus Sacer, sepulturæ fidelium destinatus. Palao *n. 3.* & hoc teste communis. 2. ut fiat sine compulsatione campanarum: quæ conditio explicanda est juxta dicta *n. 366.* 3. ut non fiat cum solennitate, Ecclesiastica scilicet; nam quæ pertinent ad humanum honorem, non prohibentur. 4. ut fiat cum silentio, hoc est, absque Officiis Divinis more Ecclesiastico dicendis. Wiest. *n. 141.*

Excipiunt aliqui 2. Festivitates *n. 366.* 371 *cit.* relatas, ubi putant, quorumlibet defunctorum corpora sepeliri publicè, & ritu solenni posse. Fundantur 1. quia, quibus communicamus vivis, defunctis communicare possumus *can. sanè 1. caus. 22. q. 2.* sed in his Festivitatibus licitè Clerici cum omnibus fidelibus in Officiis Divinis communicant. ergo etiam cum illis jam defunctis communicare poterunt. 2. Sepultura Sacra non tam ratione sui, quàm ob Divina Officia ei adjuncta prohibetur, ergo concessis Divinis Officiis, Sepultura etiam concedi censebitur. 3. *c. alma cit.* est favorabile, & nemini nocivum, estque Corpori Juris communis insertum, ergo est amplè interpretandum, ut comprehendat non solùm Officium Divinum, quod pro vivis peragitur, sed etiam quod peragitur pro Defunctis.

Hæc Sententia etsi sit valde probabilis, 372 probabilior tamen est negativa, quam tenet Gloss. *in clem. 1. V. à jure de Sepult.* Covar. *in c. alma p. 2. §. 5. n. 6.* Suar. *D. 35. sect. 1. n. 13.* Coninck *D. 17. dub. 2. n. 55.* Avil. *D. 4. sect. 3. dub. 3.* Fill. *tr. 18. n. 99.* Hurtad. *de Interd. diffic. 9.* Palao §. *3. cit. n. 5.* la Croix *n. 421.* Ratio est, quia privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ est effectus distinctus à privatione Divinorum Officiorum, ergo istis concessis, non hoc ipsò videtur concessa Sepultura. *Ex quo sequitur;*

tur, neque illum, qui habet privilegium assistendi Officiis Divinis, aut recipiendi Sacramenta tempore interdicti, ex vi hujus privilegii tantùm, in loco Sacro interdicto sepeliri posse. Palao *l. cit. n. 7.* qui tamen addit, si privilegium alicui concederetur sub hac generalitate, ut ad Divina admitteretur, talem posse ex vi illius Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi; quia ex illa generali concessione videntur omnes effectus interdicti suspendi.

373 Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* Axioma illud procedit, ut in ea re, in qua communicamus vivis, etiam communicare defunctis possimus, non autem in diversa: unde cùm non communicemus vivis in Ecclesiastica Sepultura, sed solùm in Officiis Divinis, infertur solùm in Officiis Divins cum defunctis communicare nos posse. *Ad 2.* negatur, Ecclesiasticam Sepulturam prohiberi ratione Divinorum Officiorum tantùm, siquidem verè ratione sui prohibetur. *Ad 3. c. alma* est latè interpretandum, sed non ultra verborum proprietatem: unde cùm privilegium illud solùm sit de Divinis Officiis, efficitur sola Divina Officia, non verò Ecclesiasticam Sepulturam permitti.

374 2. Si Interdictum sit Locale speciale, nemini dubium est Ecclesiasticam Sepulturam prohiberi. Solùm est controversia, an exemptio, & privilegium Clericis concessum, & *n. 370.* explicatum etiam extendatur ad interdictum Locale speciale? *Ratio dubitandi* est, quia *c. quod in te cit.* ubi Sepultura Ecclesiastica conceditur Clericis decedentibus, sermo est de interdicto generali locali. non igitur extendi concessio ista debet ad interdictum locale speciale.

375 Sed dicendum, Clericum, saltem si illiusmet Ecclesiæ sit, sepeliri in ea posse: nam esto, quòd expediens sit, ut si fieri commodè possit, sepeliatur in Ecclesia non interdicta, nulla tamen hujus est obligatio, cùm nullibi inveniatur Clericus à Sepultura loci specialiter interdicti exclusus; textus enim *c. quod in te* interdicti generalis duntaxat mentionem facit, non ut excluderet interdictum speciale, sed quia Generale frequentiùs est. Palao §. *3. n. 8.* Wiestner *n. 141.* Schmier *n. 253.*

376 Dixi, *saltem si illiusmet Ecclesiæ sit;* nam gravior est dubitatio, an in loco specialiter interdicto sepeliri alii possint? Negant *Sylv. Covar. Henriq.* quia cùm habeant Ecclesias non interdictas, in quibus sepeliri possunt, non debet Ecclesia interdicta ipsis concedi. *Sed etsi hoc* convenientius sit, probabiliùs tamen potest sepeliri Clericus extraneus etiam in Ecclesia interdicta non sua. Sayr. *l. 5. c. 8. n. 13.* Suar. *D. 35. sect. 2. n. 4.* Avil. *p. 5. D. 4. sect. 3. dub. 3. ¶. secundò*, Palao *n. 8. cit. ¶. si verò.* Ratio est, quia nullus textus concessam Clericis Sepulturam tempore interdicti localis restringit ad propriam Ecclesiam.

3. Si interdictum sit personale, itemrum constat sic interdictum privatum esse 377
Sepulturâ Ecclesiasticâ, sive deinde generale illud sit, sive speciale *c. Episcoporum 8. de Privil. in 6.* & *Clem. 1. de Sepult.* Et idem est, si causam culpabilem interdicto dederit; quia hic habetur ùt personaliter interdictus. Neque in hac parte alicui etiam Clerico favor ullus conceditur. Palao *l. cit. n. 10.* Debet tamen esse denuntiatus; nam post *Extrav. ad evitanda* nemini neganda est Sepultura Ecclesiastica ex vi alicujus Censuræ, vel Sententiæ, nisi priùs fuerit ea persona, vel sententia denuntiata, ut colligitur ex ipsa *Extrav. c. Episcoporum cit.* & *c. ut privilegia 24. de Privil.* Navar. *c. 27. n. 187.* Suar. *D. 33. sect. 3. à n. 2.* Palao *n. 10. cit.* Pirhing *n. 242.* Wiestner *n. 141. fin.*

Nominatim denuntiatus interdictus, 378
si decedat absque absolutione, & nullum pœnitentiæ signum dederit, aut talis signi ab ipso dati probabilis nulla sit opinio, extra locum Sacrum sepeliendus est. At si constet tale signum dedisse, poterit, præstita indirecta absolutione ab Interdicto, Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi. Sayr. *l. 5. c. 8. n. 22.* Avil. *p. 3. D. 4. sect. 3. dub. 1. fin.* Palao *l. cit. n. 11.* la Croix *tom. 2. l. 7. n. 421. fin.*

Dub. 4. quomodo Interdictum pri- 379
vet Ingressu Ecclesiæ? Ut interdictum post se trahat hunc effectum, requiritur specialis Sententia; quia non est annexus interdicto absolutè, sed est quasi novum interdictum. Palao *tr. 29. D. 5. p. 4. §. 4. n. 1.* Nomine *Ecclesiæ* autem hìc venit quodlibet templum authoritate Episcopi deputatum ad Sacra peragenda *c. Ecclesiæ 9. de Immun. Eccl.* Privatus ergo ab ingressu Ecclesiæ non potest Ordinem Sacrum exercere in Ecclesia, neque ibi Officia Divina audire: bene tamen hoc potest in Oratorio privato, aut agro, nisi simul sit simpliciter interdictus; quia non est privatio absoluta, sed limitata, scilicet in loco illo. Sylv. *V. interdictum 6. q. 5.* & *V. Suspensio n. 5.* Navar. *Man. c. 27. n. 175.* Covar. *in c. alma p. 2. §. 1. n. 3.* Suar. *D. 35. sect. 4. n. 6.* Avil. *p. 5. D. 4. sect. 3. dub. 5. concl. 4.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. n. 4.* Palao §. *4. cit. n. 2.* Circa hoc interdictum Partiale.

Difficultas 1. est, an in Cœmeterio 380
possit sic interdictus Divina celebrare, vel audire? *Ratio dubitandi est*, quia Sepultura in Cœmeterio sic interdicto prohibetur. ergo etiam censenda est prohibita celebratio, & auditio Divinorum. *Conf.* nam

nam Cœmeterium contiguum Ecclesiæ, tanquam accessorium Ecclesiæ, sub Ecclesia videtur comprehensum : & hinc interdictâ Ecclesiâ, etiam ipsum interdicitur *c. si civitas 17. h. tit. in 6.*

381 Sed dicendum, posse sic interdictum in Cœmeterio Divina celebrare, & audire, non tamen sepeliri. Covar. §. *1. cit. n. 3.* Suar. *n. 12. & seqq.* Palao *n. 5.* & alii ab hoc *citt.* Colligitur ex *c. is cui 20. h. tit. in 6.* ubi Pontifex loquens de Sepultura dixit, sic interdicto eam prohibitam esse tam in Ecclesia, quàm in Cœmeterio : cùm verò de Officiis divinis loqueretur, solùm Ecclesiam expressit, subdens ibi celebrantem fieri Irregularem. ergo satis indicavit, Officia divina in Cœmeterio non esse illi prohibita.

382 Ad Rationem dubitandi *Neg. Cons.* nam accessorium sequitur principale in favorabilibus, non autem in odiosis. *Ad Conf.* interdictâ Ecclesiâ, interdicitur etiam Cœmeterium, non quia accessorium hoc est Ecclesiæ, sed ne Interdictum eludatur, quod in præsenti non procedit, quia hoc interdictum non afficit Ecclesiam, sed personam in ordine ad Ecclesiam.

383 *Difficultas 2.* an ita interdictus Ecclesiam ingredi, & ibi preces fundere possit tempore, quo ibi divina non celebrantur? *Ratio dubitandi* sumitur ex *can. latorem 15. caus. 33. q. 2.* ubi cuidam Matricidæ prohibetur ingressus Ecclesiæ per annum integrum, & subditur, ut ante fores Ecclesiæ stans, orans, & deprecans DEUM perseveret. ergo nequit intra Ecclesiam orare, & DEUM deprecari.

384 Sed dicendum, considerata Ecclesiæ intentione, quam habet tum in ædificandis Ecclesiis, tum in imponendo hoc partiali interdicto, veriorem esse affirmativam. Navar. *c. 27. n. 170.* Sayr. *l. 4. c. 7. n. 15.* & *l. 5. c. 9. n. 22.* Avil. *p. 5. D. 4. dub. 5. concl. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. n. 4. ℣. per hoc.* Palao §. *4. cit. n. 5.* Engl *hic n. 99.* Ratio est, quia templa deputata præcipuè sunt, ut ibi Sacra solenniter peragantur, & populus ad ea audienda congregetur. ergo ingrediens Ecclesiam, quando Sacra non peraguntur, non videtur illam ingredi formaliter, ac proinde nec violare præceptum impositum, ne Ecclesiam ingrediatur, utpote quod intelligi debet de ingressu Ecclesiæ formali, & secundùm suam institutionem.

385 *Ad Rationem dubitandi* in *can. cit.* non fertur interdictum, sed præceptum prohibitivum in pœnam delicti : vel si contendas, ibi imponi interdictum ab ingressu Ecclesiæ verum, dicendum est, eo textu Matricidam privari oratione in templo cum aliis, quando divina celebrantur : quod indicat textus ipse, quia post primum annum Matricida iste jubetur duobus sequentibus stare, & orare in Ecclesia inter audientes. signum igitur est, tantùm loqui de tempore, quo Divina fiunt.

Difficultas 3. an ex vi hujus interdicti sic interdictus ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur etiam à recipiendis in Ecclesiâ Sacramentis? *Ratio dubitandi* sumitur ex argumento *n. 384.* allato; nam ideo sic interdictus prohibetur Ecclesiam ingredi, quando celebrantur divina, quia Ecclesia ad id est præcipuè deputata. atqui etiam deputata est ad receptionem Sacramentorum. ergo etiam hæc censetur esse prohibita. *Conf.* receptio Sacramentorum est aliquid nobilius, quàm Divinorum Officiorum assistentia. ergo à fortiori excludendus est à Sacramentorum receptione. 386

Sed etsi hæc Sententia sit satis probabilis, probabilior tamen, spectato Juris rigore, videtur negativa, quam etiam tenent Henriq. *l. 13. c. 32. n. 2.* Avil. *p. 5. D. 4. dub. 5. concl. 6.* Bonac. *D. 5. de Interd. p. 5. n. 12.* Palao §. *4. cit. n. 7.* Ratio est, quia pœnæ non sunt extendendæ absque manifesto textu, vel ratione. atqui nullus est textus, ex quo colligatur huic partiali interdicto prohibitam esse Sacramentorum receptionem : imò ex *c. sacro 48. hoc tit.* & *c. is cui 20. eod. &c.* non leviter infertur, eam concessam esse, cùm ibi solùm dicatur huic interdicto prohibita Divinorum celebratio, & auditio cum Ecclesiastica Sepultura. igitur cùm mentionem non faciant de Sacramentorum receptione, hæc intelligetur permissa. 387

Neque obstat ratio dubitandi in contrarium; respondeo enim, quamvis Ecclesia deputata sit etiam ad Sacramenta ibi percipienda, non tamen vi interdicti hujus partialis sic interdicto prohiberi omnia, ad quæ Ecclesia deputatur, sed illa tantùm, quæ ex aliquo textu colliguntur. *Ad Conf.* licèt Sacramentorum receptio sit excellentior, quàm assistentia Divinorum, non tamen inde probatur, etiam ipsam prohibitam esse, sed solùm, quòd prohiberi potuerit. 388

Quæritur 4. quid requiratur, ut ob liget interdictum? ℟. ut liget interdictum, duo requiruntur. 1. ut interdictum denuntiatum sit; aliàs post *Extrav. ad evitanda* nec interdictum locale observare, nec personaliter interdictum vitare tenemur, esto, ipse personaliter interdictus abstinere à Divinis debeat, cùm primùm censurâ istâ ligatur; quia ipsi, sicut excommunicatis, per *Extrav. cit.* nullus factus est favor. 2. ut passim observetur interdictum locale ab ijs, in quorum gratiam appositum est; aliàs si ipsi interdictum non observent, censetur Ecclesia illud remittere *c. petistis 20. de Privil.* 389

Dub. 1. quomodo peccet Clericus violans interdictum? ℟. omnes conve- 390

niunt peccare mortaliter violando interdictum locale, vel personale ministrando Sacramentum, vel recipiendo; quia contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi delinquit. Palao *tr. 29. D. 5. p. 5. n. 1.* Quoad Officia Divina in loco interdicto dubitat Cajet. *V. Interdicti violatio.* Sed reliqui omnes constanter affirmant, ex se, & ex genere suo esse peccatum mortale, nisi ex ignorantia, vel materiæ levitate excusetur. Talis materia levis esset, si interdictus assisteret parti Officii Divini arbitrio prudentis non notabili. Palao *l. cit. n. 2.* qui *n. 3.* addit, Exercitio minorum Ordinum vix unquam à Clericis peccari mortaliter; quia horum Ordinum ministeria non exercentur à Clericis tanquam propria Ordinis, sed qualiter ab aliis Laicis exerceri solent.

391 Dub. 2. quomodo peccent Laici violantes Interdictum? R. si personaliter interdicti Sacramentum aliquod sibi prohibitum recipiant, sine dubio peccant mortaliter; quia directè ab eorum receptione vi personalis interdicti excluduntur, & cùm materia gravis sit, non est, unde à peccato mortali excusentur. Idem est, si in loco interdicto illud recipiant; quia hoc ipso, quòd Sacerdotibus prohibita sit talis Sacramenti ministratio, cons. Laicis prohibita est ejus receptio.

392 Ratione assistentiæ in Divinis *Clem. gravis 2. h. tit.* quatuor referuntur casus, in quibus omnium sententiâ Laici violantes, vel violare facientes interdictum peccant mortaliter. 1. si compellant Clericum in loco interdicto publicè, & solenniter celebrare. 2. si pulsatis campanis, vel publico præconio præsumant convocare populum ad audienda Divina in loco interdicto. 3. si præsumant impedire, ne Excommunicati, vel interdicti nominatim exeant ex loco Sacro, quando sunt à Clero admoniti. 4. si ipsi- met moniti recusent exire.

393 His addi solent quatuor alii. 1. si violenter se Divinis ingerant; quia gravem injuriam irrogant Ecclesiæ, & ejus Ministris. 2. si dolo, & fraude fingentes se Clericos esse, vel privilegium habere, Divinis assistant; quia decipiunt Ministros Ecclesiæ in re gravi. 3. si more Ecclesiastico rum Divina Officia solenniter peragant; quia Ordinis usum usurpant, & gravem injuriam Ordini Clericali irrogant. 4. si personaliter sint interdicti, & Divinis assistant, à quibus vi interdicti per se, & directè excluduntur. Et hoc verum est probabilius, etsi nullus contemptus, vis, aut fraus interveniat; quia assistentia Divinis Officiis materia gravis est, ad quam si ex Voto quis obligaretur, non est dubium, mortaliter in illius transgressione peccaturum. cùm ergo ex vi Interdicti hæc assistentia sit prohibita Laicis, efficitur ipsos transgredientes hanc Legem graviter peccaturos. Suar. *D. 34. sect. 5. n. 4.* Filliuc. *tr. 18. n. 54. & 81.* Coninck *D. 17. dub. 3. n. 64. & 67.* Bonac. *D. 5. de interdict. p. 7. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 5. n. 7.*

Dub. 3. quæ sit pœna violantium in- 394
terdictum? Laicis violantibus Interdictum nulla certa pœna ipso Jure posita est, præter quatuor casus ex *Clem. gravis* relatos *n. 392.* his enim casibus incurrunt Excommunicationem reservatam Pontifici, ut constat ex *Clem. cit.* Dubium ergo solùm procedit de Clericis: circa hos statutum est 1. ut si personaliter, vel generaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrent, vel alium actum Ordini Sacro annexum exerceant, Irregularitatem ipso facto incurrant *c. cùm æterni 1. de Sent. & re jud. c. cùm medicinalis 1. c. is qui 18. §. is verò & c. is cui 20. h. tit. in 6.* Mitiùs agitur cum non interdicto, si in loco non interdicto celebret, & ad Divina, Sacramenta, & Sepulturam admittat interdictos; nam hic ab ingressu Ecclesiæ arcetur, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfaciat competenter *c. Episcoporum 8. de Privil. in 6.* Irregularitatem tamen non incurrit; quia nullibi constet, hanc pœnam ob delictum istud esse impositam. Sayr. *l. 5. c. 14. n. 34.* Suar. *D. 34. sect. 3. n. 8.* Palao *D. 5. p. 6. n. 2.*

2. Juxta complures DD. teste Pa 395
lao *l. cit. n. 4.* violatores interdicti Localis suspensi sunt ab Officio, & Beneficio, cons. à Jurisdictione, quod colligunt *c. fin. de Excess. Prælat.* ubi Sententia temere violantis Interdictum, & omnia illius acta irrita declarantur. Verùm quia Sententia, & acta illà notoriè iniqua, & ejus Episcopi fuerunt, qui non solùm interdictus ipse erat, sed insuper ad interdicti Apostolici violationem alios inducere, imò compellere maxima temeritate præsumebat, ex ejus actorum irritatione non infertur legitimè quòd Jure lata sit Suspensio in quoscunque interdicti violatores. Quare meliùs dicitur, eos ab Officio, ac Beneficio suspendendos: quod colligitur ex *c. cit.* dispositione altera, quæ alios interdicti violatores spectat, & in eos hanc pœnam decernit. Bonac. *D. 5. de Interdict. p. 7. n. 4.* Gonzal. *in c. cit. n. 2.* Wiestner *hic n. 143. & 144.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 422.*

3. Idem Clerici interdicti violato- 396
res non gaudent privilegio, vi cujus in loco Sacro sepeliri possint tempore Interdicti per textum *c. is cui cit.* & argumento à contrario *c. quod in te 11. de Pœnit. & remiss.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 3. n. 3.* Wiestner *n. 144.*

4. Clericus, vel Religiosus, etiam Monialis, violans interdictum Locale redditur

ditur inhabilis ad electionem tam activam, quam paſſivam *c. is, qui §. is verò cit.* Gloſſ. *ibid. V. ineligibilis*, Sylv. *V. Interdictum 6. n. 2.* Suar. *ſect. 4. n. 16.* Palao *n. 3.* Wieſtner *n. 144.* Reiffenſtuel *n. 220.* Extenditur pœna hæc à plerisque DD. etiam ad violatores interdicti perſonalis.

5. Religioſi, qui interdictum generale loci, quod ab Eccleſia Matrice obſervatur, in ſuis Eccleſiis non obſervaverint vel celebrando, vel admittendo alios ad Divina Officia, ultra prædictas pœnas Excommunicationem incurrunt. Navar. *c. 27. n. 146.* Sylv. *l. cit. n. 3.* Suar. *n. 18.* Laym. *n. 3.* Palao *n. 5.* Wieſtner *n. 144. fin.* Reiffenſtuel *n. 218.* la Croix *n. 422.*

397 Qui verò violant interdictum admittendo aliquem ad Sepulturam Eccleſiaſticam in loco interdicto, vel interdictum in loco non interdicto, extra caſus Jure permiſſos, incurrunt Excommunicationem majorem. *Clem. 1. de Sepult.* Requiritur tamen, ut Interdictus ſit denuntiatus. Eſtque hæc eadem Excommunicatio, quæ lata eſt adversùs ſepelientes Excommunicatos in loco ſacro: cum hoc tamen diſcrimine, quòd interdictus ſic ſepultus non ſit exhumandus, niſi fortè impœnitentem conſtiterit deceſſiſſe. Suar. *D. 35. ſect. 1. n. 20.* Sayr. *l. 5. c. 8. n. 22.* Palao *p. 6. cit. n. 8.*

398 Quæritur 5. quomodo interdictum ceſſet? ℟. diſtinguendo inter interdicta, & modum, quo latum illud eſt. Nam ſi pro certo tempore, vel ſub conditione aliqua appoſitum eſt, eo tempore finito, vel conditione poſita, ceſſat, abſque alia abſolutione. Gloſſ. *in c. non eſt vobis 11. V. donec de Sponſal.* Abb. *ibid. n. 7.* Sylv. *V. Interdictum 3. n. 13.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 11. n. 8.* Sayr. *l. 5. Theſaur. c. 15. n. 2.* Suar. *D. 38. ſect. 1. n. 3.* Coninck *D. 17. dub. 6. concl. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 7. §. 2. n. 1.* Pirhing *hic n. 252.* Wieſtner *ibid. n. 146.* Ante finitum tempus vel conditionem poſitam abſolutione, vel diſpenſatione indiget, quàm præſtare nemo alius poteſt, præter illum, qui interdictum tulit, vel eius Superior, Palao *n. 2.* cum allegatis. Idem dicendum de interdicto lato in puram pœnam; quia eſt ſententia Judicis, quam inferior mutare nequit. Suar. *D. 38. cit. ſect. 2. n. 2.* Palao *n. 2. cit.* Ex facultate autem per Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.* conceſſa poterit ab hoc perſonali interdicto abſolvere Epiſcopus, ſi delictum, ob cujus cauſam appoſitum eſt, occultum fuerit. Henriq. *l. 13. c. 35. n. 2.* Avil. *p. 5. D. 6. dub. 6. concl. 1. fin.* Palao *n. 2. cit.*

Quodſi interdictum latum ſit abſo-399
lutè, intereſt an ſit locale, vel perſonale. Si *locale* eſt, ut ſi latum ſit in Eccleſiam, illâ deſtructâ, ceſſat, niſi tamen locus Eccleſiæ interdictus ſit; tunc enim interdictum manebit affixum ſolo ſeu pavimento. Suar. *D. 38. cit. ſect. 1. n. 13.* Bonac. *D. 5. de interdict. p. ult. n. 2.* Laym. *c. 5. cit. n. 4.* Palao *n. 3.* Wieſtner *n. 147.* la Croix *tom. 8. l. 7. n. 412. Si perſonale* eſt in Communitatem latum, ceſſat, extincta Communitate, quæ interdicta eſt: quod verum eſt, etiamſi aliquis ex ipſa Communitate ſubſiſtat; quia interdictum Communitatis ligat perſonas privatas, quatenus pars Communitatis illius ſunt. *Excipitur*, niſi perſona, quæ ſublata communitate ſubſiſtit, interdicto cauſam dederit; nam hujus interdictum non ſolùm commune eſt, ſed ſpeciale perſonale. *Suar. Pal Wieſt l. citt.*

Quodlibet autem Interdictum ceſſare400
poteſt abſolutione, vel diſpenſatione facta ab eo, qui poteſtatem ad iſtud habet. Et quidem ſi Interdictum ſit *Locale*, ſive generale, ſive ſpeciale, non reſervatum, relaxare illud nullus alius poteſt, præter eum, qui Jurisdictionem Epiſcopalem habet in eum locum. Pirhing *n. 252.* Wieſtner *n. 147. v. Interdictum*, la Croix *n. 424.* Idem dicendum de Interdicto *perſonali Generali*; quia ab hoc abſolvere tantùm poteſt, qui habet Jurisdictionem in illam Communitatem; alias enervari poſſet efficacia Interdicti, & conceſſa facultate ſingulis, interdictum ceſſare contra voluntatem imponentis. Et hoc verum eſt, ut etiam Religioſi ex privilegio, ipſis conceſſo in ordine ad abſolutionem à Cenſuris, Interdictum locale, aut perſonale generale tollere nequeant; quia abſolvere tantùm poſſunt in Sacramento Pœnitentiæ, cui nec locus, nec communitas ſubjiciuntur. la Croix *l. cit.*

Si interdictum ſit perſonale *Speciale*,401
intereſt, an reſervatum illud ſit, vel non. *Si primum*, abſolvere ab illo nullus alius poteſt, præter ipſum, cui eſt facta reſervatio, vel illius Superior. *Si ſecundum*, relaxare illud poteſt Epiſcopus, & Religioſi habentes privilegium abſolvendi à Cenſuris: & probabiliter etiam Parochus, vel alius proprius Sacerdos; quia etiam ab Excommunicatione non reſervata poteſt abſolvere. Suar. *D. 38. ſect. 8. n. 9.* Coninck *D. 17. dub. 6. n. 77.* Filliuc. *tr. 18. c. 5. q. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 5.* Bonac. *D. 5. p. ult. n. 6.* Palao *l. cit. n. 7.* Pirh. *n. 252.* Wieſtner *n. 147.* la Croix *n. 424.*

§. VI.

§. VI.

De Cessatione à Divinis.

SUMMARIUM.

402. *Definitio Cessationis à divinis.*
403. *Differentia ab Interdicto.*
404. *Varietas.*
405. *Effectus.*
406. *An omnes effectus habeat quælibet cessatio?*
407. &c. *An aliquando tempore Cessationis celebrari divina possint?*
411. *An tempore Cessationis Clerici Horas dicere bini, & bini possint?*
412. *An Sacramenta ministrari, & recipi?*
413. *An dari Sepultura Ecclesiastica?*
414. &c. *Quis possit indicere Cessationem?*
417. &c. *Ob quale delictum, & quâ formâ indici possit?*
421. *Quæ sit obligatio servandi Cessationem?*
422. *An eam servare debeant Religiosi exempti?*
423. *Quæ sit pœna violantis Cessationem.*
424. 425. *Quis illam relaxare possit?*

402 ANnexa est interdicto *Cessatio à Divinis*, eique ex parte similis: alio nomine *Suspensio Organorum Ecclesiastica*, sive *laudis Divinæ* vocatur. Definitur, quòd *sit prohibitio Ecclesiastica Clericis imposita abstinendi ab Officiis divinis in aliquo loco.* Navar. *Man. c. 27. n. 188.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 9. §. 1. n. 1.* Pirhing *n. 262. hic.* Hæc prohibitio, etsi ob culpam gravissimam alicujus apponatur, non tamen Censura est; quia non magis nocentes, quàm innocentes afficit: sed est quædam Divinorum Officiorum negatio, quam Ecclesia Clericis sub præcepto injungit in signum doloris, & tristitiæ conceptæ ob gravissimam injuriam sibi, & honori divino illatam, & in illius reparationem, ut hac ratione delinquens cogatur desistere ab injuria, & exhibere satisfactionem. Sylv. *V. Interdictum 1. n. 1.* Navar. *c. 27. cit. n. 188.* Suar. *D. 39. sect. 1. n. 3.* Laym. *n. 1. cit.* Palao *n. 1. cit.* Pirh. *n. 262.* König *n. 52.* Wiestner *n. 121.* & colligitur ex *c. quamvis 8. de Offic. Ord. in 6. Clem. 1. pr. V. in cessationibus h. tit.*

403 Differt ab interdicto 1. quia non est Censura, cùm non in pœnam alicujus delicti, sed ad significandam Ecclesiæ tristitiam indicatur, prout dictum est *n. præc.* 2. quia non à Jure, sed semper ab homine imponitur, & immediatè afficit locum, personas autem solùm mediatè, & nunquam determinatè, contrà quàm interdictum; hoc enim semper afficit unam, vel plures determinatas personas, saltem eam, cujus gratiâ latum est. 3. quia violans Cessationem à Divinis indictam, licèt graviter peccet, non tamen incurrit Irregularitatem, cui tamen obnoxius est temerarius violator interdicti. Wiestn. *n. 121.*

404 Duplex autem est Cessatio, alia *Generalis*, quæ respicit Provinciam, Civitatem, Castrum, Villam &c. altera *Specialis*, quæ determinato loco appositа est, scilicet Ecclesiæ, Cœmeterio, Oratorio &c.

405 Quæritur 1. quos effectus habeat Cessatio à Divinis? R. triplex communiter eidem tribuitur, nempe privatio divinorum Officiorum, Sacramentorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ *c. non est vobis 11. de Sponsal.*

406 Dub. 1. An omnes hi effectus cuilibet cessationi annexi sint, vel utrum à Judice Ecclesiastico limitari cessatio possit ad unum solùm, vel duos effectus? Non est dubium de Pontifice. De reliquis controvertunt DD. Affirmant partialem à quolibet Ecclesiastico Judice imponi posse Suar. *D. 39. sect. 2. n. 15.* & *sect. 4. n. 4.* & Filliuc. *tr. 18. c. 9. n. 172.* & *187.* ex ratione; quia potestas nullibi videtur restricta Judicibus inferioribus Pontifice. Negat Palao *tr. 29. D. 5. p. 9. §. 2. n. 3.* Rationem dat, quia hi effectus annexi sunt cessationi ex Jure communi per *c. non est vobis cit.* ibi, *Nulla divina Officia --- celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari.* Jus commune autem mutare inferior nequit.

407 Dub. 2. an privilegium concessum in *c. alma h. tit. in 6.* ut scilicet Clerici Officia divina in loco interdicto celebrare submissa voce, januis clausis, & non pulsatis, campanis possint, extendatur etiam ad cessationem à divinis? *Ratio dubitandi* est, quia cessatio hæc, spectato Jure antiquo, sub interdicto continebatur. Accedit, quia rationes, quibus motus fuit Pontifex, ad concedendum, ut tempore interdicti generalis cum dicta moderatione divina celebrarentur, scilicet ne fidelium devotio tepesceret, ne Hæreses pullularent &c. procedunt etiam in Cessatione à divinis, ergo privilegium Interdicto concessum ad Cessationem extendi debet.

408 Sed standum est pro negativa, quam etiam defendunt Navar. *c. 27. n. 188.* Suar. *D. 39. sect. 2. n. 11.* Avil. *p. 6. D. 1. dub. 3.* Palao *p. 9. cit. §. 2. n. 6.* Wiestner *hic n. 121.* 1. quia Cessatio à Divinis sub interdicto non comprehenditur,

tur, sed ab ipso distinguitur, ut ostensum est *n. 403.* à diversis autem illegitima est illatio *l. inter 83. §. sacram. 5.* ibi, *Sed hæc dissimilia sunt ff. de V.O.* ergo &c. 2. si liceret Canonicis Horas Canonicas tempore Cessationis generalis publicè dicere, sicut licèt tempore Interdicti, possent, & deberent eas in Choro dicere, nec privari possent distributionibus, sed necessariò eas lucrarentur: quo posito, non obligaretur illas iisdem solvere, qui causam Cessationi dedit, sicut defacto obligatur *c. si Canonici 2. ℣. si autem de Offic. Ord. in 6.* 3. non est eadem ratio in Cessatione, quæ in interdicto; nam Cessatio à divinis rarissimè, & ob urgentissimam causam imponitur, & tentatis aliis pluribus mediis, & semper imponitur ob contumaciam alicujus infringendam: secus contingit in interdicto. 4. si limitationes, quæ in interdicto licent, licerent etiam in cessatione, cessatio non esset gravamen speciale supra interdictum: quod est contra Ecclesiæ usum.

409 Eadem est ratio, quando quis privilegiumhabet audiendi Divina, vel celebrandi tempore interdicti; nam vi talis privilegii non potest privilegiatus ea audire, vel celebrare tempore cessationis. Navar. *c. 27. n. 189.* Suar. *n. 11. cit.* Bonac. *D. 6. p. 1. fin.* Palao *p. 9. §. 2. n. 8.* Quod procedit maximè, si privilegium concessum sit singularibus personis; nam si communitati concessum sit, vel personis in Dignitate constitutis, non est improbabile extendi ad cessationem. Pal. *l. cit.*

410 Possunt autem tempore cessationis celebrari Divina 1. in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes &c. *n. 365.* enarratis; nam in his permittuntur Divina Officia non vi permissionis, sed constitutionis, & Ordinationis, ut patet ex *c. alma cit.* ibi, *In illis Festivitatibus - - - campanæ pulsentur, & januis apertis, & alta voce Divina Officia celebrentur:* ergo adversus hanc Constitutionem non potest cessatio, quæ indicitur ab inferiori Pontifice, habere vim. Suar. *sect. 2. cit. n. 12.* Laym. *c. 6. cit. n. 1.* Palao *n. 7.* 2. potest celebrari Missa semel in hebdomada in qualibet Ecclesia pro renovanda Eucharistia: debet tamen unus solus Minister, vel ad summum duo tunc adesse juxta Decretum Soteris Pontificis *can. hoc quoque 61. de Consecr. dist. 1.* Imò ut Suar. *sect. 2. cit. n. 20.* notat, quolibet die fieri Sacrum potest, si necesse sit conferri Viaticum, nec adsit Eucharistia, modò istud non fiat in fraudem cessationis: ideóque in Missa, quæ semel in hebdomada permittitur, consecrandæ sunt tot formulæ, quot pro tota hebdomada necessariæ reputantur.

411 Dub. 3. an tempore cessationis Clerici Horas dicere bini, & bini in Ecclesia possint? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. non est vobis 11. de Sponsal.* ibi, *Nulla Divina Officia - - - permittatis aliquatenus celebrari. Conf.* quia ejusmodi recitatio *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss.* conceditur tempore interdicti. igitur facultas ista ad Cessationem trahenda non est. Sed verius affirmativam docent Henriq. *l. 13. c. 53. n. 2.* Suar. *D. 39. sect. 2. n. 14.* Bonac. *D. 6. p. 3. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. n. 2.* Palao *p. 9. cit. §. 2. n. 10.* quia hæc recitatio non est publica, & solennis, sed privata, quæ nec Interdicto, nec Cessatione tollitur. Item extra Ecclesiam hæc Recitatio licet. ergo etiam in Ecclesia permissa erit. Neque obstat *c. non est cit.* quia intelligendum est de Officio publico. Ad 1. *quod in te* dico, ibi non concedi facultatem, sed quod aliàs licitum erat, declarari.

Dub. 4. quæ Sacramenta ministrari, & recipi tempore Cessationis possint? 412 *R.* etsi videatur dicendum, quòd spectato Juris rigore, solus Baptismus, & Pœnitentia morientibus, & Viaticum ministrari possit *arg. c. non est vobis cit.* ex benignitate tamen Ecclesiæ, & gravissimorum DD. authoritate ea Sacramenta ministrari, ac recipi possunt, quæ tempore interdicti possunt. Covar. *in c. alma p. 2. §. 4. n. 7.* Suar. *D. 39. sect. 2. n. 18.* Laym. *c. 6. cit. n. 2. & 3.* Palao *n. 11.* Pirhing *n. 262.* Igitur Cessationis tempore ministrari poterit 1. Baptismus tam parvulis, quàm adultis, etiam sanis; quia hoc Sacramentum est necessarium ob vitæ periculum. 2. Confirmatio; quia est quædam Baptismi perfectio. 3. Pœnitentia, etiam sanis; quia non est credibile, quòd pia mater Ecclesia velit fideles suos tam salutari, & ad justificationem necessario remedio privare. 4. Matrimonium absque solennitate nuptiali; quia etsi Sacramentum sit, fundatur tamen in humano Contractu. Solùm igitur ministrari prohibentur Ordo, Eucharistia sanis, & Extrema Unctio infirmis, cum limitationibus tamen *n. 355. & 356.* positis.

Dub. 5. an revera Cessatio à Divinis privet Sepulturâ Ecclesiastica? 413 *Certum est* privare, si Cessatio Interdictum supponat. At si Cessatio per se sumatur, valde probabile est hunc effectum non habere; quia Officii Divini, quod tempore Cessationis prohibetur, nomen sepulturam in loco Sacro non comprehendit, nec ullibi cautum est, hanc sepulturæ privationem illi convenire. igitur asserenda non est: sed dicendum, Cessationis tempore non solùm Clericos, sed etiam Laicos in Cœmeterio, & Ecclesia sepeliri posse, sine tamen Divinorum Officiorum solennitate. Suar. *sect. 2. cit. n. 31.* Laym. *c. 6. n. 4.* Palao *n. 12.* Engl *n. 101.* Pirhing *n. 202.* Wiestner *n. 121.*

414 Quæritur 2. quæ sint Causæ Cessationis? *Et* 1. *quidem dubitatur?* quæ sit Causa efficiens, seu quis possit Cessationem indicere? R. indici posse ab eo solo qui habet Jurisdictionem in foro externo, ut *suprà* dictum de Excommunicatione Suspensione, & interdicto. Covar. *in c. alma p. 2. §. 2. n. 6.* Suar. *D. 36. sect. 3. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 9. §. 3. n. 1.* Engl *hic n. 102.* Pirhing *n. 263.* In specie indicere illam potest 1. Pontifex. 2. Episcopus, & alii Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. 3. Capitulum Sede vacante. Palao *l. cit.*

415 Sede non vacante, Capitulum indicere illam nequit, nisi hoc obtinuerit ex privilegio, vel consuetudine: & tunc non nisi cum his conditionibus. 1. ut accedat consensus Episcopi. 2. ut convocentur ad eam decernendam omnes, qui aliàs pro Electione quavis vocari debent. 3. ut simul inter se conferant, an expediat Cessationem imponi, qua consultatione facta, ex majori Suffragiorum parte est decernenda cessatio; aliàs sicut Electio, sic Cessationis Decretum irritum erit *c. quamvis 8. de Offic. Ordin. in 6.*

416 *Difficultas* est, an duas ultimas conditiones in ferenda Cessationis sententia observare debeat etiam Capitulum Sede vacante? Affirmat Avil. *p. 6. D. 2. dub. 2. §. circa quas conditiones*, quia textus *c. quamvis cit.* has conditiones præscribit observandas à Capitulo, seu Conventu. Sed meliùs distinguit Palao *n. 4.* dicens, observari has conditiones debere à Capitulo, si Cessationem per seipsum indicat; non verò, si per Vicarium à se electum vi Trid. *sess. 24. c. 16. de reform.*

417 Dub. 2. ob quale Delictum & qua formâ ferri possit Cessatio? R. 1. Delictum hoc debet esse ejus qualitatis, ut adæquet damna ex Cessatione provenientia, quæ cùm gravissima sint, gravissimum delictum exigunt. 2. Delictum istud debet esse notorium, & manifestum notorietate facti, ut ejus scandalo possit Cessatione occurri. 3. causa, propter quam imponitur, exprimi debet Instrumento publico per Tabellionem, seu aliis patentibus Litteris, Sigillo authentico munitis, quæ debent tradi ei, contra quem Cessatio indicitur. 4. debet priùs delinquens moneri, an satisfactionem, & emendationem præstare velit; quia non indicitur, nisi in contumaciam.

418 Ex defectu cujuscunque Conditionis ex enumeratis invalida est Cessationis indictio. Sayr. *l. 5. c. 18. n. 16.* Avil. *p. 6. D. 2. dub. 2. §. circa* juncto *§. secundò notandum*, Suar. *D. 39. sect. 3. n. 13.* Coninck *D. 17. dub. 7. n. 90.* Palao *p. 9. cit. §. 3. n. 3.* sumitur ex *c. quamvis cit. fin.* ubi dicitur: *Parte cessante, & suprà scripta* (nempe quæ in illo *cap.* continentur, & quæ lata erant *c. si Canonici 2. eod.* & *c. irrefragabili 13. de Offic. Ord.* & quæ in *c. quamvis cit.* renovantur) *non servante, non servetur Cessatio.* si igitur non servanda est, conditionibus illis in ejus impositione non servatis; ergo conditiones illæ ad valorem cessationis necessariæ sunt.

419 *Ex quo sequitur*, si Capitulum, his conditionibus omissis, indicat Cessationem, ipsum non lucrari proventus, & Distributiones, quæ aliàs conceduntur propter interessentiam in Divinis: ideóque omnes proventus, & emolumenta, eo tempore percepta restituere debet, & insuper parti, contra quam Cessationem indixit, resarcire damna. Procedítque hoc, ut notat Palao *n. 7.* etiamsi adesset causa legitima imponendi Cessationem. Idem dicendum de Prælato, nulliter imponente Cessationem; debet enim hic restituere Canonicis ea, quæ ob Cessationem impositam amiserunt, & aliis Clericis stipendia, quæ ex Missis, & aliis Officiis Divinis acquisivissent, & insuper reparare damna alia, quæ pars adversùs quàm cessatur, sustinet.

420 Si justè, & validè sit imposita cessatio, is, qui causam dedit, reparare debet omnia damna, quæ innocentibus personis inde provenerunt, & insuper arbitrio superioris condemnandus est in aliqua quantitate, convertenda in augmentum Cultûs Divini, ut colligitur ex *c. quamvis*, & *c. si Canonici citt.* Henriq. *l. 13. c. 52. n. 3.* Sayr. *l. 5. c. 19. n. 19.* Suar. *D. 39. sect. 3. n. 16.* Coninck *D. 17. dub. 7. n. 91.* Avil. *p. 6. D. 2. dub. 3. concl. 3.* Bonac. *D. 6. p. 3. circ. fin.* Palao *§. 3. cit. n. 9.*

421 Quæritur 3. de obligatione servandi Cessationem, pœnâ transgredientium, & relaxatione illius? *Certum est*, obligationem servandi Cessationem obstringere ad peccatum mortale; quia violans illam transgreditur Legem Ecclesiasticam, ex gravissima causa impositam. Palao *tr. 29. D. 5. p. 9. §. 4. n. 1.*

422 Dub. 1. an Religiosi Exempti teneantur servare, & publicare in suis Conventibus Cessationem impositam ab Episcopo, vel Capitulo, & observatam ab Ecclesia Matrice? *Ratio dubitandi* est, quia Trid. *sess. 25. c. 12. de Regular.* solùm præcipit ab his servari Censuras, & Interdicta, atqui Cessatio à Divinis, ut dictum est *n. 402. & 403.* neque est Censura, neque interdictum etiam pœnale. ergo &c. *Sed tenenda* est affirmativa. Ita Bonac. *D. 6. p. 3. n. 10.* Palao *l. cit. n. 2.* Ratio est, quia in Cessatione magis urgent rationes obligantes, ut Religiosorum Conventus cum Ecclesia Matrice se conforment. *Ad Rationem dubitandi* dico, Decretum illud Concilii expeditum fuisse in

in confirmationem *Clem. 1. b. tit.* ubi Regulares exempti, & non exempti obligantur observare interdicta, & Cessationes à Divinis, observatas ab Ecclesia Matrice.

123 Dub. 2. quæ sit pœna imposita violantibus Cessationem? R. Laicis ipso Jure nulla est imposita, sed arbitrio Judicis puniri debent. Clericis verò Religiosis tàm exemptis, quàm non exemptis imposita est Excommunicatio ipso facto, *Clem. 1. b. tit.* prout *suprà n. 396.* dictum est de Interdicto. Debet tamen Cessatio esse generalis, & observari ab Ecclesia Matrice; nam ex violatione Cessationis specialis nulla pœna ipso Jure contrahitur; quia nullibi habetur de hac Lex aliqua. Putant aliqui præterea incurri Irregularitatem per exercitium Ordinis tempore Cessationis: sed verius est non contrahi; quia nullibi est expressa, & Irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à Jure expressis. Navar. *Man. c. 27. n. 189.* Suar. *D. 39. sect. 1. n. 8.* Palao *n. 4.*

124 Dub. 3. quis Cessationem relaxare possit? R. solus ille, qui Cessationem imposuit, vel ejus Superior, aut æqualis, vel qui ab imponente potestatem acceperit. Palao *p. 9. cit.* §. *5 n. 1.* Aliquando etiam cessat Cessatio sine relaxatione expressa, si scilicet, postquam intra mensem circa Cessationem partes inter se non composuêre, eam imponens noluerit Romam mittere *c. quamvis 8. fin. de Offic. Ord. in 6.* nam juxta hoc *cap.* si posita Cessatione, partes intra mensem non composuerint inter se, debet tam imponens Cessationem, quàm is, ob cujus culpam imponitur, Romam petere vel per se, vel per Procuratorem cum actis ad negotium spectantibus, ut Romana Sedes provideat de remedio, ne Ecclesia diu à divinis in grave fidelium detrimentum cessare debeat.

Dixi autem, *si Cessationem imponens noluerit Romam mittere*; nam si is, ob cujus culpam cessatio est imposita, non mittat Romam, per hoc non tollitur Cessatio, ne alioquin ex iniquitate sua commodum reportaret, & pœnam eluderet. Sayr. *l. 5. c. 18. n. 17.* Suar. *D. 39. sect. 3. n. 14.* Palao *p. 9. cit.* §. *3. n. 4.* Unde necesse erit, ut positâ contumaciâ relaxationem petat ab imponente cessationem: cujus faciendæ potestatem hic retinet, etiam postquam pars utraque Romam misit; quia eo accessu ad Romanam Curiam Jurisdictionem non amisit: accessus namque ille in eum finem duntaxat fit, ut ibi discutiatur, quid sit agendum casu, quo partes inter se non composuerint. atqui si positâ contumaciâ, is, ob cujus delictum Cessatio est imposita, pœniteat, & componat cum parte altera, cessat occasio exspectandi Responsum Pontificis. Sayr. *c. 18. cit. fin.* Suar. *n. 12.* Palao *n. 4. cit.*



PARS V.

Appendix pro toto Jure Canonico.

APpendix ista duos duntaxat Titulos comprehendit, qui non tam huic *Libro V.* proprii, sed præcedentibus etiam communes sunt. Unus Titulus *de Verborum Significatione* tractat; alter certas *Juris Regulas* ponit. Imitata in hoc Compilatio Gregoriana est Jus Civile; sicut enim istud Digesta sua, ita illa Libros Decretalium per Titulos generales *de Verborum significatione*, & *de Regulis Juris* claudit. Breviter de his disseram; quia potissima passim per decursum hujus Operis jam explicata sunt. Regulas Juris in particulari non attingam; quia earum explicatio, & limitationes integrum Tractatum novum exigerent, cui fortè, si Superi faveant, suo tempore applicabo manus.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

SUMMARIUM.

1. &c. *In Jure quæstiones de nomine sæpe sunt maxim momenti.*
3. &c. *Verbi Partitiones diversæ sunt.*
5. *Significatio nominis varia.*
6. *Accipienda sunt secundùm mentem proferentis.*
7. *Significatio propria prævalet impropriæ.*
8. *Spectanda etiam ratio, & causa dispositioni addita.*
9. *Simpliciter prolata simpliciter intelligenda.*
10. *Sensus naturalis eorum regulariter præferendus Civili.*
11. *Eadem intelligenda secundùm significationem communem.*
12. *Verba dubia interpretanda contra proferentem.*
13. *Intelligenda cum effectu, ne sint superflua.*
14. *Ex duplici sensu præferendus, qui à Regulis Juris non recedit.*
15. *Verba intelligenda secundùm subjectam materiam &c.*
16. *Ut excludatur delictum.*
17. *Et Juri quæsito tertii non derogetur.*
18. *Ille sensus prehabendus, qui rei gerendæ est aptior.*
19. *Ita interpretanda verba, ut excludatur correctio, & contradictio.*
20. *Et dispositio non pereat.*
21. *Verba affirmativa, & negativa non ex sono, sed ex vi æstimantur.*
22. *Affirmativa digniora negativis, hæc tamen illis potentiora sunt.*
23. *Geminata negatio inducit affirmationem.*
24. *Verba generalia generaliter intelligi debent.*
25. *Specialia plus, quàm generalia operantur.*
26. *Indefinita generalibus æquipollent.*
27. *Enuntiativa per se nec probant, nec disponunt.*
28. *Geminata potentiora sunt simplicibus.*
29. *Sequentia ab antecedentibus, & vicissim interpretationem recipiunt.*

1 PRæmittitur *de Significatione Verborum*; nam etiam in materiis Juridicis quæstiones de nomine sæpe maximi momenti sunt, & ex earum resolutione nonnunquam gravissimæ aliæ decisiones pendent, ut post alios notant Wex *de Sponsal. p. 1. §. 1. n. 2.* König *hic n. 3.* Et propterea Jurium interpretibus familiare est, non priùs ad rerum manifestationem progredi, quàm verborum, & nominum, quibus illæ explicantur, significationem investigaverint.

Sumi-

Sumitur autem hìc *Verbum* pro omni directione significativa, quæcunque pars Orationis sit: adeóque præter Verbum specificè acceptum etiam includit Nomen, Pronomen, & Adverbium. Vallenſ. *hic n. 1.* Wieſtn. *ibid n. 1.* Tres hujus ſunt partitiones, quæ huc ſpectant. Nam 1. Verbum, ſeu potiùs Oratio alia dicitur *Affirmativa*, alia *Negativa*. *Illa* poſitionem ſignificat, *iſta* privationem, prout ſcilicet prædicatum ſubjecto aliquid tribuit, vel ab illo tollit aut removet Bartol. *in l. actor. 23. C. de Probat. n. 4.* Bald. *ibid. n. 22.* Wieſtn. *hic n. 3.*

3 2. Verbum aliud eſt *Singulare*, quod denotat perſonam, rem, vel cauſam certam, & determinatam, ut *Titius*, *Bucephalus*, *hic homo*, *hic equus* &c. Aliud *Particulare*, quod eſt verbum commune ſignificans unam, vel plures perſonas, res, cauſas indeterminatas, adjuncto ſigno particulari, ut *aliquis homo*, *aliquis equus*, *aliquis fundus*. Aliud *Indefinitum*: tale dicitur Verbum commune, cui nec ſignum particulare, nec univerſale adjectum eſt, ut *Homo*, *equus*, *fundus*. Aliud *Generale*, quando termino communi additur, vel ſubintelligitur ſignum univerſale, & ſic denotantur omnia contenta ſub certo genere, ut *omnis homo*, *omnis equus*, vel *Collegium*, *plebs*, *grex*. Aliud *Univerſale*, quod ejusmodi ſigno ferè adjecto, denotat, vel includit Univerſitatem, plura genera ſub ſe continentem. ut *Omnia bona*, *totum Patrimonium Hæreditas*, *Populus*: conſ. Verbum univerſale per hoc diſtinguitur à Generali, quòd illud plura genera, iſtud verò plures duntaxat ſpecies, ſive, ut Philoſophi loquuntur, Individua comprehendat. Menoch. *l. 1. conſ. 16. n. 16. fin.* Zaſ. *in l. Prætor 7. ff. de Jurisdict.* Wieſtn. *hic n. 4.*

4 3. Verbum, vel Oratio alia eſt *Diſpoſitiva*, quâ exprimitur rei, ſive actûs geſti ſubſtantia, ſeu id, quod de præſenti, & principaliter actum eſt à diſponente uno, vel pluribus, à quorum voluntate pendet. Alia *Enuntiativa*, ſeu *Narrativa*, quâ aliquid refertur incidenter ſolùm, ſive exprimitur, quod non de præſenti ab ipſo diſponente, ſed ab alio, vel de præterito actum eſt. In exemplo ponatur, quòd Notarius in Inſtrumento publico exprimat, quòd Titius, domum, vel prædium, ſibi à Principe donatum, & intra certæ alicujus Parochiæ fines ſitum, Cajo vendiderit, & tradiderit: in hoc Inſtrumento diſpoſitivè ſolùm refertur venditio, & traditio domûs, vel prædii Cajo facta à Titio, narrativè verè donatio Principis, & ſitus deſcriptus; quia ſola venditio, & traditio exprimitur tanquam de præſenti acta, donatio verò tantùm refertur, ut acta de præterito. Gaill. *l. 2. obſ. 37. n. 14.*

Non minùs etiam ſignificatio verborum varia eſt; nam alia eſt *Propria*, 5
quam verba habent ex inſtituentium placito, & primævo eorum uſu. Alia *Uſualis*, ſeu *Conſuetudinaria*, quam verba non ex primævo, ſed moderno, & communi uſu nunc obtinent. Alia *Abuſiva*, quam verba obtinent ex uſu, & acceptione vulgi, ſeu rudium, contra uſum communem, ad quem illa ſunt inſtituta, ùt cùm famuli Servorum, nati ex fratre, vel ſorore Nepotum, patrimonium mulieris quodcunque Dotis nomine appellatur. Alia *Civilis*, ſive *Juridica*, quam vocabulo confert Jus, ſive Lex, aut Canon, ut cùm Religioſus, aut Deportatus dicitur Mortuus, filii naturales, per ſubſequens Matrimonium legitimati, appellantur filii legitimi, ij, qui Statum mutârunt, vocantur capite minuti. In qua verò ſignificatione ex his tribus accipienda ſint verba, ſequentes ponuntur Regulæ.

Regula 1. Verba accipienda ſunt ſe- 6
cundùm mentem, & intentionem proferentis *c. intelligentia 6. h. tit.* & *l. non aliter 69. pr. ff. de Legat. 3.* Vallenſ. *hic n. 2.* Engl *n. 3.* König *n. 5.* Wieſtner *n. 10.* Hinc quoties cum mente diſponentis verba conveniunt, non eſt opus interpretatione: Sed ad hanc tum demum confugiendum eſt, cùm mens, & verba in ſpeciem diſcrepant: quo caſu ea interpretatio eſt præferenda, quæ menti proferentis conformior eſt; quia *non debet intentio verbis deſervire*, *ſed verba intentioni*, ut dicitur *can. humanæ 11. cauſ. 22. q. 5.* Quod adeò verum eſt, ut ad obſervandam intentionem proferentis etiam verba aliquo modo ſint improprianda; *quia plerumque*, *dum proprietas verborum attenditur*, *ſenſus veritatis amittitur c. propterea 8. h. tit.* Intelligendum autem hoc eſt, quando de mente loquentis ex ſubjecta materia, aut ex fine, & ratione principali conſtat; aliàs enim in dubio à verbis recedendum non eſt *l. non aliter cit.* König *n. 5. cit.* Hinc tali caſu locum habebit.

Regula 2. Niſi aliud de mente di- 7
ſponentis conſtet, verba cujusque diſpoſitionis accipienda ſunt in ſenſu proprio, & ſecundùm communem hominum uſum *l. non aliter cit.* Idque verum eſt, etiamſi materia ſit ſtrictæ interpretationis, ac præjudicialis alteri. Honor. *hic n. 1.* Engl *ibid. n. 1.* *Excipitur*, niſi ex verbis ita acceptis ſequeretur aliquod abſurdum, vel diſpoſitio redderetur inutilis; tunc enim verba potiùs improprianda eſſent, quàm ut diſpoſitio pereat *c. Abbati 25. h. tit.* Honor. *n. 2.* Engl *n. 1. cit.* Reiffenſtuel *n. 7.* Item impropria verborum ſignificatio admittitur ad evitandam Juris correctionem, & ad tollendum præjudicium Juris jam quæſiti tertio. De-

cian. *l. 1. conſ. 11. n. 59.* & *l. 2. conſ. 103. n. 36.* Tuſch. *concl. 102. à n. 31.*

8 *Regula 3.* Verba diſpoſitionis interpretationem plerumque accipiunt ex ratione, & cauſa eidem addita; quia cùm prudenter diſponentis voluntas moveatur, & regatur ductu rationis *arg. can. erit autem 2. diſt. 4.* huic ejus diſpoſitio accommodatur, ita, ut ratio diſpoſitionis, & ejus mens idem quodammodo eſſe intelligantur, & ferè ſecundùm limites, modúmque rationis diſpoſitio extendatur, vel reſtringatur *arg. l. mulier 53. ff. ſolut. matr.* Cephal. *l. 1. conſ. 16. n. 17.* Everhard. *legal. arg. loc. 34. à n. 1.* Wieſtner *n. 11.* Dixi *plerumque* aliquando enim in Legibus, & Statutis latiùs patet ratio, quam Conſtitutio, prout patet ex *c. fin. de Immun.* ubi occidens, & mutilans in Eccleſia privantur Aſylo, ex ratione, quòd *in eo, in quo quis deliquit, puniri quis debeat*, cùm tamen Aſylo gaudeat, qui alia graviora etiam crimina in his commiſit. Item ex *Clem. 1. de Elect.* ubi prohibetur Religioſus eligi in Prælatum diverſæ Profeſſionis, & Habitûs, quòd *rationi non congruat, ut homines diſparis Habitûs, & Profeſſionis ſimul in iisdem Monaſteriis ſocientur*, cùm tamen eligi poſſit in Prælatum Eccleſiæ Sæcularis Cathedralis.

9 *Regula 4.* Verba ſimpliciter prolata in dubio intelligenda ſunt ſimpliciter, & non tantùm ſecundùm quid *l. non aliter cit. l. hoc legatum 45. ff. de Legat. 3. l. ſtipulatio 1. §. ſiquis 3. ff. de V. O.* Ratio eſt, quia quod tale ſecundùm quid tantùm eſt, tale propriè non eſt; verba autem, ſi poſſint, in ſenſu proprio accipienda ſunt ſecundùm dicta *n. 7.* Et hinc Canon præcipiens Beneficiatis reſidentiam in Eccleſia, & præſentiam in Officiis Divinis, accipi debet de reſidentia, & præſentia perſonali *c. quia nonnulli 3. de Cler. non reſid. & c. un. eod. in 6.* Similiter proviſio Apoſtolica de Beneficio per mortem Titii vacaturo, exaudiri debet de vacaturo per mortem naturalem, & non per civilem, quæ depoſitione, privatione &c. inducitur *arg. l. ex ea 121. §. in inſulam 2. ff. de V. O.*

Regula 5. Si verba diſpoſitionis ha-10 bere poſſint ſenſum civilem, & naturalem, civili præferendus eſt naturalis *l. ex ea, & §. in inſulam cit. l. fin. C. de his qui ven ætat. l. fideicommiſſum 76. ff. de condit. & demonſtr.* Ratio eſt, quia ſignificatio verborum naturalis magis eſt propria. Quod intelligi debet regulariter; nam plures ſunt caſus, in quibus ſignificatio Civilis æquivalet naturali. Et ſic diſpoſitio, filios legitimos vocans ad feuda, majoratus, primogenituras, etiam porrigitur ad filios legitimatos per ſubſequens Matrimonium, prout dictum eſt *Libr. 4. Tit. 17. a. 84.* quòd ita legitimati legitimè natis quoad omnes effectus æquiparentur *c. tanta 6. qui filii legit.* Item bona Profeſſi Religionem ſucceſſionis incapacem, ſi de iis non antè diſpoſuit, ſtatim à Profeſſione edita devolvuntur ad proximos conſanguineos, quòd Profeſſio, in tali Religione edita, quoad ſucceſſionem eosdem, quos mors naturalis effectus habeat, ſecundùm dicta *Libr. 3. Tit. 27. n. 67.*

Regula 6. Verba intelligenda ſunt 11 ſecundùm ſenſum communem, & modernum loquendi uſum, adeò, ut propterea aliquando recedendum ſit à ſignificatione propria, & primæva. Bartol. *in l. Labeo 7. pr. de Supell. legat.* Mantic. *de conject. ult. vol. l. 11. tit. 8. n. 2.* Wieſtner *hic n. 15.* Ratio eſt, quia per uſum, & intellectum communem Verborum ſignificationes, ſicut natæ ſunt, ſic exoleſcere, & mutari ſolent. Vel maximè autem communi Religionis uſu recepta verborum vis, & intellectus attendituit in Teſtamentis, ac Legatis *arg. l. ſi ſervus 50. §. ſi numerus 3. ff. de Legat. 1.* In ſanctionibus tamen Legalibus, in ſententiis, & interlocutionibus Judicum, in reſponſis prudentum, & Inſtrumentis, publica tabellionis, vel privatâ etiam, ſed doctâ manu exaratis, vulgari, & communi verborum ſignificationi præfertur Civilis, & Jure prodita. Bald. *in l. lege 14. C. de legit. hæred. n. 3.* Mantic. *n. 2. cit.* Wieſtner *n. 16.* quia non ſecundùm communem vulgi, ſed ſpecialem, ac propriam ejus, quam quisque profiteatur, artis, ſeu Facultatis acceptionem locuti præſumuntur.

Regula 7. Verba dubia contra pro 12 ferentem ſunt interpretanda, utpote in cujus poteſtate fuit mentem ſuam apertiùs declarare. *Reg. contra eum 57. de R. J. in 6.* & *l. in contrahenda 172. ff. eod.* Quæ Regula præcipuè obtinet in Contractibus; nam ſibi imputare debet pactum concipiens, ſiquid obſcurum, & inexplicatum reliquerit. Item in Probationibus; quia in his, ſi teſtes obſcurè deponant, aut verba privilegii, vel Inſtrumenti producti duplicem ſenſum habeant, contra producentem fit interpretatio *c. in præſentia 8. §. quare de Probat. l. quidquid 99. pr. ff. de V. O.* Contrà Regula hæc non procedit in ſententiis Judicum, & aliis actibus Judicialibus *l. ſiquis 86. ff. de Judic.* Imò etiam in Contractibus, quamvis contra eum, qui pactum concepit, interpretatio fieri debeat, ſemper tamen iſta ſic fieri debet, ut inter contrahentes ſervetur æqualitas *l. ſi major 4. C. commun. divid.* & ut ratio æquitatis habeatur *l. ſi id 7. ff. de reſcind. vendit. l. placuit 8. C. de Judic.*

Re-

13 *Regula 8.* Verba intelligenda sunt cum effectu, & ita, ut aliquid operentur, nec sint superflua *can. hæc autem 17. de pœnit. dist. 1. c. relatum 4. de Cler. non resid. l. hoc edictum 1. §. hæc autem 2. ff. quod quisque Juris &c.* Et procedit hoc tam in Legibus interpretandis, quàm in Testamentis, Instrumentis, & attestationibus: item procedit tam in odiosis, & pœnalibus, quam in sententiis, privilegiis, & Rescriptis Principum. Imò in his verba sunt etiam improprianda, si accepta in sensu proprio carerent effectu. Barbos. *axiom. 122. n. 17.* König *n. 7. Excipitur*, si ita impropriata inducerent aliquid contrarium compertæ disponentis intentioni, vel si absurdum aliquid, aut cum gravi alterius læsione, aliáve iniquitate conjunctum inferrent; tunc enim retineri deberet sensus proprius, & verba illa adjecta censebuntur majoris expressionis, & dubitationis tollendæ gratiâ. Crovetta *Conf. 79. n. 29.* Tusch. *concl. 85. n. 84.* Mantica *tit. 6. n. 7.* König *l. cit.* Wiestn. *n. 19.* quia utique tolerabilius est verba alio effectu carere, quàm hujusmodi incommodorum aliquod induci.

14 *Regula 9.* Verba ambigua à Jure interpretationem recipiunt, ita, ut ex variis interpretationibus, quas recipiunt, illa censenda sit aptior, quæ à communibus Juris Regulis minimè recedit *l. quæro 54. §. inter 1. ff. locat. l. fin. §. fin verò 6. C. de Jur. delib.* Ratio est, quia Jus commune, utpote publicæ utilitatis intuitu elaboratum, favorabile, & recessus ab illo odiosus, ac propterea in dubio, quâ commodè potest, ratione vitandus est. Et hinc non privatorum tantùm dispositiones, sed instrumenta quoque Tabellionum, Judicum sententiæ, Compromissariorum arbitria, & Principis jussa, seu mandata ad Juris communis sensum reducuntur *arg. c. super eo 15. de Offic. Deleg.* Ex eadem ratione, quando mens Legislatoris hoc patitur, Leges posteriores debent trahi ad priores *l. sed & posteriores 28. ff. de LL.* & Statutorum is solet intellectus præferri, qui Jus commune minimùm lædit. Castro *in l. Leges 9. C. de LL. n. 7.* Alberic. *de Statut. pr. q. 2. & 9.* Quin etiam ipsa privilegia, licèt Lex merè privata sit, cum eodem Jure conferuntur, ut huic plus non dèrogent, quàm ipsis expressum sit *arg. Reg. odia 15.* & *Reg. quæ à Jure 28. in 6.* Sylv. *V. privilegium q. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 27. n. 5.* Wiestn. *n. 20.*

15 *Regula 10.* Verba ambigua semper intelligenda sunt secundùm subjectam materiam, & naturam actus, vel contractûs, de quo actum est, & secundùm qualitatem personæ, ad quam sunt relata; quia verba proferens his præsumitur illa accommodare. *c. intelligentia 6. h. tit. l. non aliter 69. ff. de Legat. 3.* Eberh. *Leg. arg. loc. 46.* Menoch. *l. 3. præsumpt. 104. n. 29.* Tusch. *concl. 95. & 96.* Vallens. *hic n. 2.* Engl *n. 5.* 16 Wiestner. *n. 21.* Reiffenstuel *n. 3.* Hinc Juramentum additum actui, hujus naturam, & conditiones induit; mandatum de providendo alicui de Beneficio proximè vacaturo exaudiendum est pro qualitate personæ Clerici, ita ut conferendum illi sit Beneficium Regulare, si Regularis, Sæculare, si Sæcularis sit.

Regula 11. quando dubius est verborum sensus, ita, ut in bonam, vel malam partem possint accipi, is præferendus est, qui excludit delictum, adeò, ut potiùs interpretatio, & significatio verborum impropria admittatur, quàm delictum *c. estote 2. de R. J. l. meritò 31. ff. pro Socio.* Ratio est, quia in dubio nemo præsumitur deliquisse, & factum cujusque in meliorem partem interpretandum est. Dixi *quando dubius est verborum sensus*; nam si verba de Delicto sunt clara, vel certè longè majorem turpitudinis, quàm honestatis speciem præferunt, & excusandi causa non apparet, hæc Regula non procedit, sed subintrat generalis alia, quòd scilicet verba clara non admittant inrerpretationem, neque voluntatis conjecturam. Menoch. *l. 5. præsumpt. 2. n. 34.* Wiestner *n. 22.* Reiffenstuel *n. 4. & 5.* Idem est, quando versamur in genere prohibitorum, ut cùm constat homicidium à Titio, instrumento ad necem inferendam ex se apto, commissum esse; nam hoc in dubio præsumitur dolo perpetratum *l. frater 1. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* quantumvis ad sui defensionem, & servato moderamine inculpatæ tutelæ, committi potuerit. Menoch. *l. cit. præsumpt. 3. n. 45.* Brunnem. *in l. cit. n. 8.* Wiestner *n. 22. cit.*

Regula 12. In dubio illa significatio est præferenda, quæ non derogat juri ter- 17 tii jam quæsito *can. denique 10. caus. 14. q. 5. c. super eo 15. de Offic. Deleg. l. nec avus 4. C. de emancip. liber.* adeò ut ad avertendum præjudicium Juris tertio quæsiti verba etiam improprianda sint. Oldrad. *Conf. 268. n. 5.* Tusch. *concl. 128. n. 1.* Wiestner *n. 23.* Reiffenstuel *n 6.* Quæ Regula locum habet non tantùm in privatorum actibus, & dispositionibus, v. g. in Contractibus, Testamentis, sed etiam in Decretis, ac Beneficiis Principum *l. nec avus cit. l. Prætor ait 2. §. meritò 10. ff. ne quid in loc. Publ.* sicut & in quibusvis privilegiis, & Rescriptis Pontt. etiamsi cum clausula *ex certa scientia*, vel *motu proprio* sint emanata; nam omnia tacitè continent clausulam *Salvo jure tertii*, & *sine tertii præjudicio*, ita, ut nemini præjudicium creent, sed jus suum cuilibet illæsum, & integrum servent *c. licèt 12. de Offic. Ordin. c. du-*

dudum 31. de Privil. c. quamvis 8. de rescript. Ratio est, quia jus tertio jam quæsitum etiam publica authoritate auferri non potest, nisi ex causa necessitatis, vel utilitatis publicæ; & etiam hac urgente, Supremus Princeps, vel Papa auferre illud non censetur, nisi hoc exprimat. Innoc. *in c. innotuit 20. de Elect. à n. 5.* Gaill. *l. 2. obs. 58. n. 7.* Pirhing. *tit. de constit. n. 20.* Wiestn. *n. 23.* Reiffenst. *n. 6.*

18 *Regula 13.* Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea præhabenda est, quæ rei gerendæ est aptior *reg. quotiens 67. ff. & reg. inspicimus 45. in 6.* Et hinc si Legatum sit relictum Ecclesiæ, & dubitetur, quam Ecclesiam intellexerit Testator, censetur illud relinquere voluisse Ecclesiæ domicilii; quia patria propria omnibus dulcis est. Tusch. *concl. 94. n. 10.* König *n. 8.*

19 *Regula 14.* In omni dispositione verba sunt concilianda verbis, itáque explicanda, ut eorum correctio, & contradictio excludatur *c. inter dilectos 6. ỳ. cæterùm de fid. Instrum. c. cùm expediat 29. de Elect. in 6. l. un. C. de Inoffic. dot.* Ratio est, quia nemo idem simul velle, & nolle, vel à sua dispositione illico recedere, & se in continenti corrigere præsumitur. Gratian. *Discept. forens. c. 554. n. 31.* Crovett. *Conf. 870. n. 9.* Barbos. *l. 3. axiom. c. 87. & c. 97. n. 6.* Wiestner. *n. 25.* Reiffenst. *n. 8.*

20 *Regula 15.* In omni dispositione is verborum intellectus capiendus est, ut potiùs illa valeat, quàm pereat *l. quoties 12. ff. de reb. credit.* & *l. quoties 80. ff. de V. O.* quia proferens in dubio præsumitur voluisse, ut actus, & dispositio sua valeat omni meliori modo, quo potest. *In dubio*, inquam; nam si clarus verborum tenor pugnet cum interpretatione, qua actus conservatur, frustra laboratur pro ejus valore. Idem dic, quando actus patitur defectum formæ substantialis; quando valori ejusdem resistit Lex; quando verisimile est disponentem non fuisse sanæ mentis; vel quando constat, ex proposito electam viam, quâ actus nullus redderetur. Menoch. *l. 6. præsumpt. 4. à n. 39.* Tusch. *V. actus concl. 139. à n. 73.* Wiestner *n. 26.*

21 *Regula 16.* Verba, sive Oratio affirmativa, aut negativa non ex phrasi, & conceptione externa, sed ex vi, & effectu æstimantur, ita, ut licèt affirmare aliquid videantur, negativa tamen sint, si eorum vis tendat in negationem; contrà pro affirmativis haberi debeant, si tendant in affirmationem, licèt negare videantur. Gloss. *in clem. fin. V. creatum de rescript.* Bart. *in l. 1. ff. de vulg. & pupill. substit. n. 17.* Zœs. *in l. 2. §. 3. & 4. ff. de V. O. n. 18.* Wiestner *n. 27.* Hinc affirmativa est Exceptio, qua quis negat se Beneficium spontè resignâsse; quia affirmat eam renuntiationem sibi vi, metúque extortam: contrà negativa est oratio, quâ quis dicit Titium esse pauperem; quia negat ipsum habere patrimonium.

Regula 17. Affirmativa Oratio ma- 22
gis digna est, quàm negativa; negativa autem potentior est, quàm affirmativa. *Pars prior* patet, quia affirmativa magis se offert sensui, quàm negativa, illáque est entis, ista non entis, cùm nihil sonet, & ponat. ens autem non ente dignius est. *Pars posterior*; quia affirmativa, ut negativæ prævaleat, probari debet; negativa verò, ut affirmativæ, sufficit, si contra eam probari nihil potuerit. Specialem efficaciam habent præcepta negativa; nam ista semper, & pro semper obligant, affirmativa autem non pro semper, sed pro certis duntaxat circumstantiis. Wiestn. *n. 29.*

Regula 18. Verba negativa, in ea- 23
dem oratione geminata, inducunt affirmationem *l. duobus 237. ff. de V. S.* *Excipitur* 1. quando ad idem fortiùs negandum, & excludendum adhibentur, ut factum est *c. tua nos 19. §. fin. de Homicid.* ibi, *Constanter negavit, quòd præmissa minimè perpetravit.* 2. quando inducta affirmatione absurdus, aut proferentis intentioni, vel Juri contrarius intellectus resultaret. 3. si ex alicujus linguæ natura, vel communi usu geminetur negatio ad solum ornatum, aut inficiationis vehementiam demonstrandam, ut fit in Lingua Græca, & quandoque in Germanica. Barbos. *Axiom. l. 12. c. 6. axiom. 4. fin.* Wiestn. *n. 32.*

Regula 19. Verba generalia genera- 24
liter intelligenda sunt *l. hic titulus 1. §. generaliter 1. ff. de Legat. præstand.* Hinc illud Juris axioma: *Ubi Jus non distinguit, neque nos debemus distinguere.* *Excipitur*, nisi generalitatem verborum coarctari suaderet subjecta materia *l. statu liberos 3. §. si quis heredi 11. ff. de stat. Liber.* Et hanc ob causam restringi verba generalia debent, si alioquin tollerent gratiam jam datam, vel alius indebitè damnum pateretur, vel dispositio redderetur nulla, & actus periret *can. paratus 2. caus. 23. q. 1. c. fin. h. tit. in 6.* Oldrad. *cons. 288. per totum*, König *hic n. 6.* Wiestner *n. 35.*

Regula 20. Verba specialia plus ope- 25
rantur, quàm generalia: conf. in omni dispositione magis id, quod specialiter, quàm quod generaliter expressum est, inspici debet *l. item apud Labeonem 15. §. hoc edictum 26. ff. de injur. l. sanctio 41. ff. de Pœn.* Ratio est, quia specialis, & nominatim facta expressio magis determinat, & disponentis mentem declarat, quàm generalis: & hinc nata est Regula, quòd

quòd generi derogetur per ſpeciem *Reg. in toto 80. ff.* & *Reg. generi 34. in 6.* Wieſtner *n. 39.*

6 *Regula 21.* Verba indefinita æquipollent, & vim obtinent locutionis generalis *c. quia circa 22. de Privil. l. quoties 2. C. ſi plur. unâ ſentent.* & *l. omnia 1. §. initio 4. ff. de Offic. Præf. urb.* Quod maximè procedit in diſpoſitione Legali; nam hujus verba, licèt in numero ſingulari concepta, de omnibus ſub tali voce contentis, niſi ſpecialiter excepta ſint, exaudiri debent *c. canonum 1. de Conſtit. l. jura 8. ff. de LL.* & *l. leges 3. C. eod.* Bartol. *in l. omnes 9. ff. de J. & J. n. 57.* Covar. *l. 1. var. c. 13. n. 8.* Tuſch. *V. indefinita concl. 86. n. 17.* Wieſtner *n. 37. Excipitur*, niſi univerſalitatem comperta mens diſponentis, ſubjectæ materiæ qualitas, aut ratio alia excludat, prout ſit 1. ſi diſpoſitio univerſaliter intellecta fieret correctiva Juris communis, aut præjudicioſa tertio quoad Jus ipſi quæſitum; quia eſt odioſa. 2. ſi ſit pœnalis; nam pœnæ ſunt reſtringendæ. 3. ſi ab homine facta in materia contingenti, & non neceſſariò vera. 4. in probationibus; quia hæ debent eſſe concludentes, & talem non conſtituit conjectura, ex qua locutio indefinita æquipollet univerſali. 5. quando univerſalis intellectio induceret pravum ſenſum. Wieſtner *n. 38.*

27 *Regula 22.* Verba enuntiativa, ſeu narrativa per ſe diſpoſitionem nec inducunt, nec probant *c. ſi Papa 10. de privil. in 6.* & *Auth. ſiquis C. de edend.* præſertim in iis, quæ non pendent ex voluntate proferentis, & ab illo ad alium finem ſunt prolata, quamvis aliqualem præſumptionem faciant. *Excipitur 1.* quod narrativè dicitur in Inſtrumentis antiquis, præſertim confectis tempore, excedente memoriam hominum; nam ita dicta probationem faciunt, præſertim ſi alleganti ſuffragetur poſſeſſio. Crovett. *de antiq. temp. p. 1. §. ampliatur à n. 17.* 2. ſi verba enuntiativa ſint geminata, vel roborata Juramento; quia tunc in diſpoſitiva tranſeunt *Auth. quod obtinet C. de Probat.* 3. ſi per modum cauſæ finalis, & rationis principaliter moventis prolata ſint ab eo, in cujus poteſtate fuit factum enuntiatum; tunc enim pariter diſpoſitionem videntur inducere. Balb. *in l. Celſus 27. ff. de Uſucap.* 4. verba enuntiativa plenè probant contra proferentem, & eum, qui ea paſſus eſt inſeri Inſtrumento. Maſcard. *de Probat. concl. 621. 5.* favore dotis, & cauſæ piæ. Vide Menoch. *l. 3. præſumpt. 134. à n. 2.*

28 *Regula 23.* Verba geminata plus, quàm ſimplicia operantur; quia majori ſtudio, & deliberatione effuſa præſumuntur, enixámque, & ſeriam diſponentis voluntatem demonſtrant *l. balliſta 32. ff. ad S. C. Trebell.* omnemque fraudis, ac ſimulationis ſuſpicionem errorisque, & metûs præſumptionem tollunt, ita, ut contra diſpoſitionem ſic factam opponi nil poſſit, ſed ea confirmata ex ipſa iteratione intelligatur. Tuſch. *V. verba concl. 158. à n. 7.* Everhard. *Legal. arg. loc. à Geminatione n. 1.* Wieſtner *n. 42. Excipitur*, niſi diſpoſitio ſit ultra agentis poteſtatem, vel contra actûs, aut rei in Contractum deductæ naturam, vel in præjudicium tertii; nam his caſibus geminatio nihil operatur. Tuſch. *concl. 28. à n. 102.* Barboſ. *Axiom. l. 7. c. 4. axiom. 1. fin.* Wieſtner *l. cit.*

29 *Regula 24.* Verba præcedentia declarantur per ſubſequentia, & viciſſim *l. utrum 23. ff. de Hæred. petit. l. ſi ſervus 50. fin. ff. de Legat. 1.* quia mens diſponentis ſæpe ex contextu cognoſcitur, quæ in parte eſt dubia. Imò ſæpe Rubrica Legis ſenſum oſtendit, prout *Libr. 1. Tit. 2. n. 27.* factum dixi in *Novell. 66.* quæ licèt in contextu loquatur ſolùm de Legibus Teſtamentariis, quia tamen Rubrica generalis eſt, exinde colligitur, ſolennitates ibi requiſitas in promulgatione cujusvis Legis Civilis obſervari debere. Concordat *l. incivile 24. ff. de LL.* ubi *incivile* dicitur, *niſi tota Lege perſpecta, unâ aliquâ particulâ ejus propoſitâ, judicare, vel reſpondere.*

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1. *Regulæ Definitio.*
2. *Numerus Regularum Juris.*
3. *Divisio in Generales, & Particulares.*
4. *In Authenticas, & merè Doctrinales, seu Brocardicas.*
5. *Brocardicæ non faciunt Jus.*
6. *Quod etiam Authenticæ non inducunt, sed supponunt.*
7. *Utilitas istarum magna est.*
8. *Nisi perperam allegentur.*
9. *Exceptionem patiuntur.*
10. *Vis istarum Exceptionum.*
11. *Conclusio totius Operis.*

1 REgula à *regendo* dicta, quòd regat, aut rectitudinis normam præbeat, à Paulo JCto *Regula 1. ff. h. tit.* definitur, *Regula est, quæ rem quæ est, breviter enarrat*, i. e. quæ Jus, quod in singulis rebus est constitutum, generalibus verbis, & brevi sententia complectitur, ac demonstrat. Vallens. *hic n. 2.* König *n. 2.* Wiestn. *n. 2.* Reiffenst. *n. 1.*

2 Juris Regulæ tam in Digestis, quàm in Decretalibus inveniuntur: & in Digestis quidem ad finem Libri quinquagesimi ponuntur Regulæ omnino ducentæ, & undecim. In Decretalibus duplicem locum habent: & undecim quidem ponuntur ad finem Libri Decretalium quinti; octoginta octo autem Librum sextum Decretalium claudunt.

3 Duplicis generis sunt Regulæ, Generales scilicet, & Particulares. *Generales* sunt, quæ nullo certo loco, aut argumento comprehensæ per universum Jus diffunduntur, prout est Regula 1. Libr. 5. Decretalium: *Omnes res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; & Regula 48. in 6. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*; & plures aliæ. *Particulares* verò, quæ certo loco, vel materiæ adaptantur: qualis est Regula prima in sexto: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri*; & 58. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum.*

4 Item Regulæ aliæ dicuntur Authenticæ, aliæ merè Doctrinales, quæ communiter *Brocardicæ* appellari solent. *Authenticæ* sunt, quæ authoritate Apostolica, vel Imperiali Juri Canonico, vel Civili, & præsertim sub hac Rubrica insertæ sunt. *Brocardicæ*, quæ à JCtis, vel aliis DD. ex variis Juris textibus, ac dispositionibus, vel etiam ex Philosophorum dictis depromptæ, per modum Axiomatum habentur, & applicantur quidem, Jus tamen non faciunt, nec Juris authoritatem habent, cùm in nullo Jure clausæ supponantur. Wiestn. *n. 5.* Reiffenst. *n. 2.*

5 Brocardicas alii laudant, passim tamen alii reprehendunt: nec immeritò; nam aliquæ, ut dixi, ex Philosophorum dictis depromptæ sunt: conf. vim in Jure habere non possunt, cùm ex principiis unius Scientiæ ad aliam argumentum ducere, itáque mutare genus scientiæ absurdum sit teste Aristotele *l. 1. posterior.* Deinde Brocardicarum multæ tot casus exceptos habent, quot alii comprehenduntur sub dispositione Regulæ, ita, ut earum contradictoriæ non minùs, quàm ipsæ veræ esse videantur: patet in tribus istis, *Spoliatus est ante omnia restituendus: In omni actu Judiciali requiritur citatio: sine litis contestatione Processus non valet*: quarum primæ *Gabrielius* 70. secundæ *Portius* 124. postremæ *Socinus* 802. limitationes opponit. Addo tamen, etiam ipsas utiliter allegari, si Legum, vel Canonum auxilio suffultæ, vel Scholarum, & Curiarum stabili & uniformi usu receptæ, approbatæque sint.

6 Authenticæ Regulæ natæ sunt ex reflexione eorum, quæ particulariter circa personas, res, & actiones à Jure passim sunt constituta. Et hinc quia alibi traditum est, quòd per alium liceat contrahere Matrimonium *c. fin.*

de

de Procurat. in 6. subire Judicium *l. Procurator 1. §. usus 2. ff. eod.* exercere Jurisdictionem ordinariam *c. Romana 1. de Offic. Ord. in 6.* inde nata est Regula universalis, *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*; quæ est *68. in 6* Item quia diversis Juribus constitutum est, quòd fœminæ non possint esse Judices gerere Magistratum &c. facta est Regula Jura ista complectens: *Fœminæ ab omnibus Officiis Civilibus, vel publicis* remotæ sint: quæ est *2. ff de R. J.* Adeóque Regulæ Juris etiam Authenticæ novum Jus non producunt, sed antè constitutum supponunt, ut rectè advertit Gloss. *ad hanc Rubr.* ut proinde *Reg. 1. ff.* merito ICtus dixerit, *Non ex Regula Jus sumi, sed ex Jure, quod est, Regulam fieri.*

7 Sed esto, quòd Regulæ Juris Jus novum non faciant, magna tamen earum pro decisione Causarum utilitas est; nam pro eo, pro quo stat Regula, semper est pronuntiandum, nisi adversarius doceat, quòd illud, de quo est quæstio, specialiter sit exceptum à Regula *l. ab ea 5. ff. de Probat.* Bartol. *ibid. n. 1.* Bald. *in c. 1. de alienat. Judic. mut. caus.* Decius *in l. 1. ff. h. tit. n. 6. & 7.* Tusch. *pract. V. Regula concl. 94. à n. 13.* König *hic n. 10.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 5.* Hinc in eum, qui limitationem pro se adducit, onus probandi transfert *arg. l. ab ea cit. & c. fin. de restit. spol. in 6.* Quod procedit etiam contra personam privilegiatam; nam etiam huic Regula præjudicat, nisi illa se specialiter exemptam probaverit. Decius *l. cit. n. 9.* Mascard. *de Probat. concl. 1268. n. 3. & 5.* König *n. 10. cit.*

8 *Excipitur*, si Regula Perperam allegetur, quod duobus modis contingere solet. 1. Quando Regula, certam materiam spectans, ad quamvis aliam, perinde, acsi communis omnibus esset, trahitur, & allegatur, prout fieret, si ex Regula, *Invito beneficium non datur 69. ff.* quam de liberto conceptam Inscriptio docet, aliquis probare vellet, quòd Servus, si à domino hæres instituatur; liber, & hæres invitus non evadat, cùm tamen talem fieri constet ex §. *necessarius 1. Inst. de Hæred. qual. & differ.* licèt in ejus arbitrio sit, utrum libertate data frui, vel ad servitutem redire velit *l. cùm constitutio 15. §. fin. autem 2. C. de testament. manumiss.* 2. quando in citatione Regulæ non attenduntur circumstantiæ personarum, loci, temporis &c. ut si quis ex Regula, quòd *vim vi repellere liceat*, quæ procedit de repulsione facta in continenti, defendere vellet repulsionem à se factam post intervallum; vel siquis Regulam, quòd *par in parem imperium non habeat*, vellet porrigere ad parem delinquentem in territorio paris, vel ei sponte se subiicientem. Abb. *in c. cùm inferior 17. de majorit. n. 1.*

Regulæ autem ritè allegatæ tam- 9
diu vim suam habent, adversus quem allegantur, quamdiu iste exceptionem non probat à Regula; sæpe enim Exceptionem hujusmodi patiuntur: & hinc *Reg. 202. ff. h. tit.* dicitur: *Omnis definitio in Jure periculosa est; parum est enim, ut non subverti possit*, inde etiam tritum illud: *Nulla Regula sine exceptione. Neque obstat*, quòd hujusmodi Regulæ sint sententiæ generales; quia non in absoluto, sed in accomodo sensu exaudiendæ sunt, ut illud, *Cœlum tegit omnia*, scilicet præter se.

Vim Exceptionis à Regula tria 10
usu trita declarant axiomata. *Primum est: Exceptio declarat Regulam*; hoc ipso enim, quòd Exceptio de Regula sit, ex qualitate Exceptionis apparet, de quo genere Regula intelligenda sit. 2. *Exceptio firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis*, ita ut comprehensi censeantur, quos Exceptio inde non subtrahit: ex cujus Axiomatis tamen generalitate meritò excipiuntur casus exceptis omnino similes, & quicunque alij, de quibus aliquâ ratione verisimile est, disponentem de ipsis idem, quod de alijs expressè exceptis sensisse. 3. *Exceptio non ampliat Regulam*, h. e. non facit, ut ejus dispositio comprehendat aliqua, quæ Exceptione non facta, Regulæ verba ex proprietate sermonis non comprehendissent. Ratio clara est, quia Exceptio ex natura sua Regulæ detrahit, non addit; ab ea aliquid, eximit; non includit aliquid, quod illa, Exceptione cessante, non inclusisset. Decius *in l. 1. ff. h. tit. n. 23.*

Qui plura de Regulis Juris ha- 11
bere desiderat, consulat *Dynum*, & *Petrum Peckium*, qui integros Tractatus de Regulis his edidêre: item Augustinum Barbosam *in Collect. Libr. 6. Decret.* & Henricum Canisium *in Summ.*

Jur. can. Ego hìc calamum fiſto, & Operi huic Canonico finem impono. Laboris quem in eo conſcribendo ſat magnum poſui, mercedem aliam non deſidero, niſi DEUM, qui proinde, ut de piiſſima ejus Miſericordia ſpero merces erit mea magna nimis. Huic igitur, & Magnæ ejus Matri, & Divis Cœlitibus totum hunc meum conatum dico, dedico. Quidquid verò in Explanatione hàc Quinque Librorum Decretalium, ſcripſi, & dixi, Sanctæ Matris Catholicæ Romanæ Eccleſiæ judicio, & correctioni humillima veneratione ſubmitto, probaturus ea, quæ ipſa probaverit; quæ verò reprobaverit, reprobaturus.

Finis Libri V. Decretalium



INDEX

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

NUMERUS MAJOR TITULUM, Minor numerum Tituli indicat.

A.

Abbas.

Quando tantùm ipse locus principalis, e. g. Monasterium exemptum est, non autem Parochiæ, vel Beneficia annexa, Abbas exemptus pro talibus locis non exemptis Episcopo reverentiam exhibere, ad Synodum Diœcesanam venire, ejúsque mandata super illis membris suscipere tenetur, ita tamen, ut in Synodo Diœcesana prærogativam, & primum post Episcopum locum obtineat. XXXIII. 249.

Quando Abbas ratione sui exemptus est, hoc ipso exempta sunt Monasterij membra. 162.

Abbas agere injuriarum potest ob injuriam illatam Monasterio, vel Monacho. XXXVI. 19.

Si tamen injuria talis aliquo modo redundet in contemptum Religionis. 20.

Abbates, & alij Prælati, habentes propriam Diœcesin, possunt dispensare in Irregularitate. XXXVII. 121.

Abbates, & similes Præpositi Regularium possunt ferre Censuras. XXXIX. 13.

Possunt absolvere subditos suos Regulares ab Excommunicatione Canonis ob percussionem Clerici: & quando? 255.

Absens.

An absens à Censura absolvi possit? XXXIX. 102.

Absolutio.

Censuratus absolvens moribundum, qui copiam alterius Sacerdotis non Censurati non habet, non incurrit Irregularitatem. XXVII. 9

Extrà articulum mortis Excommunicatus absolvens immunis est ab Irregularitate, si toleratus sit. 21.

Secus, si non sit toleratus. 22.

Indultum, datum alicui, ut absolvat aliquas personas determinatas, probabiliter morte concedentis non extinguitur. XXXIII. 158.

An is, qui rite peracta Purgatione absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari XXXIV. 36.

An valeat absolutio collata à Sacerdote, quem Episcopus idoneum judicavit, cùm reipsa non esset? XXXVIII. 36.

Quomodo acquiratur potestas absolvendi delegata? 40.

An in articulo mortis absolvere possit Sacerdos simplex, præsente proprio, aut privilegiato, vel Excommunicatus vitandus, præsente non Excommunicato? 41.

An qui in articulo mortis, proprio, vel privilegiato, aut non Censurato Sacerdote absente, absolutus est à Sacerdote simplici, vel Excommunicato, si periculum illud præter exspectationem cessêt, iterum confiteri Sacerdoti proprio, vel pro reservatis sistere se superiori debeat. 42.

A quibus peccatis, & Censuris Confessarius absolvere possit tempore Jubilæi? 140.

An à reservatis absolvi tempore Jubilæi possit, qui opera præscripta nondum peregit? 162.

Quis absolvere à Censura possit? XXXIX. 85.

Qua forma, ritu, & conditionibus Absolutio censuræ sit concedenda. 98.

Quot modis contingat absolutionem à Censura fieri? 103.
An Censura semel incursa non possit aliâ viâ tolli, quam absolutione? 107.
An valida sit absolutio, ab Excommunicato vitando data? 164.
Quis possit absolvere ab Excommunicatione minori? 205.
Quis ab Excommunicatione Canonis? 243
Quis à Suspensionis Censura? 313.
Quis ab Interdicto? 400.

Abusus.

Privilegium cessat abusu. XXXIII. 146.

Accusatio.

Utrum Purgatio Canonica rectè indicatur accusato, qui criminis, de quo diffamatus est, convinci non potest. XXXIV. 13.
An is, qui rite peracta purgatione, absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari? 36.
Infames non possunt accusare. XXXVII. 172.

Acquisitio Privilegij.

V. Privilegium.

Actio.

Maledicus in proximum tenetur actione injuriarum, & Palinodiæ, seu Recantationis. XXVI. 3.
Habens Usumfructum in prædio adversùs dominum prædij, si hic attentet aliquid ædificare, quod præjudicet Usufructui, habet Actionem Confessoriam ad vindicandum Usumfructum, & simul ad interesse, si quod ei nocumentum acciderit. XXXII. 4.
Quinam Actioni injuriarum obnoxij sint? XXXVI. 3.
Quænam actio oriatur ex injuria? 24.
Quid sit Actio ad Palinodiam? 30.
Quando competat? 31.
Quibus? 32.
An cumulari possit cum actione injuriarum? 33.
An is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur actione injuriarum? 37.
Quot modis Actio injuriarum tollatur? 48.
Quâ actione vindicetur damnum non lucrosum, dolo, vel culpâ datum? 58.
V. Lex Aquilia.
Qua actione repetatur damnum à domino, quod Servus, vel quadrupes illius dedit? 103.

Actor.

Excommunicatus non potest esse actor. XXXIX. 167.
Quod intelligendum est de Excommunicato vitando. 168.

Adulterium.

In Clericum reum adulterij potest decerni degradatio Verbalis. XXXVII. 143.
Uxor adultera non tenetur regulariter ad manifestandam prolem spuriam, cum vitæ, aut etiam infamiæ gravis periculo. XXXVIII. 104.
Utrum teneatur crimen suum manifestare mater saltem proli spuriæ? 108.
Quomodo impedire, vel compensare teneatur, vel possit damnum prolibus legitimis ex isto ortum? 109.
Ad quid teneatur Adulter? 112.

Advocatus.

Infamis non potest esse Advocatus. XXXVII. 172.
Uti nec Excommunicatus. XXXIX 167.
Quod intelligendum est de Excommunicato vitando. 168.
Reus Excommunicatus, citatus ad judicium, potest eligere Advocatum. 169.

Ædificium.

An quilibet in fundo suo ædificare valeat, quidquid, & quomodo ipsi placuerit? XXXII. 36.
Quomodo impediri ædificium, in præjudicium alterius cœptum possit? *V.* Nuntiatio novi operis.
Per hoc, quòd quis longo tempore non ædificârit, non hoc ipso acquisita censetur vicino servitus alterius non tollendi &c. 37.
Privatum ædificium non licet sic attollere, ut ex eo videri possint Religiosi aut Religiosæ personæ, intra domus proprias religiosè habitantes. 40.
Si privilegium sit reale, inhærens ædificio, hoc destructo authoritate Superioris, sine spe reædificationis, privilegium tollitur, manet verò, si destructum sit cum spe reædificationis. XXXIII. 148.
Si verò casu solùm, aut subitâ ruinâ, aut per belli injurias destructum sit, casu, quo ipsi solo datum esi, manet; si verò directè respiciat ædificium, suspenditur & revivisit ædificio reparato. 149.
Si Communitati datum sit, cum ea transit, quocunque ista devenerit ibid.

Amens.

V. Furiosus.

Amissio Privilegij.

V. Privilegium.

Aan-

Anathema.

Quid sit? XXXIX. 117.

Annus Sanctus.

V. Jubilæum.

Apostasia.

Puniri potest Degradatione verbali. XXXVII. 143.
In Apostatas ferri Censura Ecclesiastica potest. XXXIX. 37

Appellatio.

Censuratus, exercens actum Ordinis, post Appellationem, à Sententia Censuræ contra se latæ interpositam, non fit Irregularis. XXVII. 13.
Si detur Privilegium, ut procedatur in causa, appellatione remota intelligitur de justa Appellatione, ut vim habeat privilegium. XXXIII. 11.
Si Episcopus adversùs Exemptos procedat, ut Sedis Apostolicæ Delegatus, ab eo ad Summum Pont. appellandum est. 252.
Si ut Ordinarius, ad Metropolitanum. ibid.
Quamvis etiam hoc casu immediatè ad Pontificem appellari possit, & aliquando expediat. ibid.
Is, cui Purgatio Canonica indicta est ab Episcopo, si habeat justam causam, appellare ad Superiorem potest. XXXIV. 22.
Si quis per sententiam privatus Beneficio, à Sententia hac appellavit, durante appellationis Judicio, nondum censeri debet privatus Beneficio. XXXVII. 59.
Reus Excommunicatus potest appellare. XXXIX. 169.

Approbatio.

Regulares, etiam Exempti, quoad approbationem ad Confessiones Sæcularium audiendas subjacent Episcopo Diœcesano. XXXIII. 253.
Quid sit Approbatio, & quæ ejus necessitas? XXXVIII. 27.
Cui competat potestas approbandi Sacerdotes ad excipiendas Confessiones Pœnitentium? 28.
An Episcopalis approbatio necessaria sit etiam Sacerdotibus, qui Gradu Doctoratûs, vel Licentiæ in SS. Theologia, vel Jure Canonico insigniti sunt? 30.
A quonam Episcopo danda sit approbatio? 31.
Quando, & quomodo concedi ab Episcopo soleat, & possit approbatio ad audiendas Confessiones? 32.
An Episcopus Approbationem, nullâ ad Examen admissione facta, Sacerdoti seriò eam petenti negare possit? 33.
An sufficiat Approbatio petita, si ab Episcopo injustè denegetur? 34.
An approbatio ab Episcopo restringi valeat ad certum tempus, locum, vel personas? 35.
An valeat absolutio data à Sacerdote, quem Episcopus idoneum judicavit, cum reipsa non esset? 36.
An approbatio semel data ab Episcopo, vel ejus Successore revocari possit. 37.

Aquâ.

Olim frequenter fiebat Purgatio per aquam ferventem. XXXV. 4.
Aut per frigidam. 5.
Hæc meritò reprobatur. 7.
Usus aquæ benedictæ Excommunicato permittitur. XXXIX. 133.

Arbiter.

Excommunicatus non potest esse arbiter. XXXIX. 167.

Archiepiscopus

Non potest dispensare in Irregularitate cum subditis Suffraganei sui, nisi in causis ad ipsum per appellationem devolutis. XXXVII. 120.
Potest concedere Indulgentias tam pro sua, quàm pro Suffraganeorum suorum Ecclesiis: ad quantum tempus? XXXVIII. 120.
Potest ferre Censuras quoad sibi subditos. XXXIX. 13.
Non autem in subditum Suffraganei sui, nisi visitet actu, vel ad ipsum devolvatur causa per Appellationem. 40.
Non potest eosdem subditos absolvere, nisi tempore Visitationis, aut causâ per appellationem ad se devoluta. 91.

Articulus Mortis.

V. Mors.

Assassinium.

Clericus, qui ob commissum Assassinium ipso Jure amisit Beneficium, vel Officium suum, potest illud retinere usque ad sententiam declaratoriam criminis. XXXVII. 52.
Reus istius criminis puniri potest Degradatione verbali. 143.

Assessor.

Infames non possunt esse Assessores in Judicio. XXXVII. 172.

Astrologoi.

Non tenentur actione injuriarum, si consulti, ex astris prædicant aliquem v. g. esse furem. XXXVI. 6

Asylia.

Asylia privilegium est reale. XXXIII. 33.

Auxilium.

Qui auxilium alteri tulit, ut damnum daret, tenetur, & ipse ad reparationem damni. XXXVI. 87.

B.

Bannum Imperiale.

Quid sit, & à quo decerni possit? XXXVII. 207.

Baptismus.

Censuratus baptizans non solenniter non incurrit Irregularitatem. XXVII. 6.
Secus, si solenniter Baptismum administret, vel post eum privatim collatum, solennitates suppleat. 30.
Mas non baptizatus, exercendo actus Ordinis, per hoc non efficitur Irregularis. XXVIII. 6.
An Irregularitatem incurrat Laicus solenniter baptizans. 21.
In non baptizatum non cadit Irregularitas. XXVII. 71.
Iterantes Baptismum Irregulares fiunt. 72.
An aliqua Irregularitas tollatur per Baptismum? 110.
Non baptizatus indulgentias lucrari nequit. XXXVIII. 132.
Nec delegari eidem potestas censurandi. XXXIX. 14.
In non baptizatos non potest ferri Censura Ecclesiastica. 37.
Baptismus moribundo administrari etiam ab Excommunicato potest, si alius non adsit, qui hoc faciat. 145.
Potest administrari tempore interdicti, etiam solenniter, & non solùm infantibus, sed etiam adultis. 351.
Idem dicendum quando Minister Baptismi est subjectus interdicto generali personali; secus si specialiter sit interdictus. ibid.
Tempore Cessationis à Divinis Baptismus administrari potest tam parvulis, quàm adultis. 412.

Bellum.

Nemo tenetur ad compensandum damnum in bello justo adversario datum. XXXVI. 81.

Benedictio.

Tempore interdicti benedici non possunt nuptiæ. XXXIX. 359.
Quænam aliæ Benedictiones prohibeantur tempore interdicti? 361.

Beneficium.

In quo differat privilegium à beneficio Principis. XXXIII. 6.

Beneficium Ecclesiasticum.

Clericus, ministrans in Censura Ecclesiastica, ipso Jure privatur Beneficijs suis. XXVII. 3.
Si Pontifex mandatum dedit de conferendo Beneficio in certa Ecclesia, id protenditur usque ad Canonicatum, si in eâ Ecclesia non sint alia Beneficia. XXXIII. 11.
Irritæ sunt Collationes, Confirmationes, uniones Beneficiorum, à Sede Apostolica factæ, si istorum possessio apprehendatur ante Litteras expeditas. 14.
Non exspirat probabilius morte Pontificis mandatum, quod ab hoc datum est, ut providearis in Beneficio aliquo tunc vacante. 158.
Clericus, ex dispensatione obtinens plura Beneficia ob tenuitatem illorum, licitè ea retinet, etiam si successu temporis singula Beneficiato sustentationem congruam præbeant. 171.
Usque ad sententiam declaratoriam criminis retinere Beneficium suum beneficiarius potest, qui suo beneficio ipso Jure privatus est. XXXVII. 52.
Irregularis non potest licitè accipere beneficium. 92.
An collatio beneficij, Irregulari facta, sit valida? 93.
An Irregularitas ipso jure privet beneficiis ante Irregularitatem obtentis? 96.
Privatio beneficii induci potest vel ipso jure, vel per sententiam condemnatoriam. 128.
Effectus privationis ipso jure inductæ. 129.
Effectus inductæ per sententiam condemnatoriam. 130.
Quando pœnæ huic sit locus? 131.
Quomodo Excommunicatio privet beneficijs Ecclesiasticis Excommunicatum? XXXIX. 147.
An valida sit acceptatio beneficij, collati Excommunicato tempore habili, si ipsa acceptatio fiat tempore inhabili, sive quo jam ligatus Censurâ est, 149.
Quomodo Excommunicatio privet fructibus, &

& proventibus Beneficii Excommunicatum? 156.
Collatio beneficii, ab excommunicato facta, invalida est: ubi, quid nomine Collationis hic comprehendatur? 164.
Triennio perseverans in excommunicatione, à judice privari debet beneficiis antè obtentis. 197.
Ligato excommunicatione minori conferri beneficium nequit. 201.
Quamvis collatio ipsi facta probabilius valeat. 203.
Est tamen irritanda. ibid.
Quid requiratur, ut irritatio locum habeat? 204.
Absolutè suspensus ab Officio non potest eligi ad beneficium Ecclesiasticum. 296.
Suspensus ab Officio eo ipso suspensus est a beneficio. 297.
Vocem tamen probabiliter in Capitulo habet. 298.
Suspensus à Beneficio non privatur Beneficio, sed tantùm illius fructibus. 299.
Mandatum de providendo alicui de beneficio proximè vacaturo exaudiendum est pro qualitate personæ Clerici, ita, ut conferendum illi sit Beneficium Regulare si Regularis, Seculare, si secularis sit. XL. 15.

Bigami.

Irregulares sunt. XXXVII. 73.
Non gaudent privilegio Canonis. 218.

Blasphemia.

Committitur in Deum & Sanctos. XXVI. 1.
Tribus modis hæc fieri potest. 12.
Est gravissimum peccatum, & severissimis pœnis castigatur in Veteri Testamento. 15.
Jure Ecclesiastico. 16.
Et Civili. 17.
Quando pœnæ hæ incurrantur? 18.
Quæ sit hodierna pœnarum istarum observantia? 20.
Quis sit Judex competens respectu criminis Blasphemiæ? 23.

Bona.

Quotuplicis generis sint bona, in quibus fideles communicant inter se? XXXIX. 2.
Censura primariò privat bonis spiritualibus: & quibus? 4.
Quibus privet excommunicatio major? 114.
Quibus privet excommunicatio minor? 116.

Bos.

Damnum à Bove cornupeta, vel alio jumento illatum resarcire debet dominus illius, qui illam non custodivit, aut hoc dimisit, cùm scire potuerit & debuerit periculum esse, ne depasceret aliena? XXXVI. 84.

Brocardicæ Regulæ.

V. Regula.

Bruta.

Pœnam propriè dictam pati non possunt. XXXVII. 15.

Bulla Cœnæ.

Casus in hac reservati Papæ. XXXIX. 213.

C.

Calumnia.

Quando maledicentia appelletur Calumnia. XXVI 2.
Si nuntians novum opus ad instantiam ædificantis nolit jurare de calumnia seu quòd existimet se justam causam habere prohibendi operis incepti perfectionem, malitiosè nuntiâsse præsumitur, & ideo nuntiatio pro non facta habetur. XXXII. 32.

Campana.

In privatis Oratoriis Campana haberi non debet, aut ea pulsari publicè. XXXIII. 207.
Ad salutationem Angelicam, Concionem, delationem SS. Eucharistiæ ad ægrotum pulsari campanæ tempore interdicti possunt. XXXIX. 364. 306.

Canonica Purgatio.

V. Purgatio Canonica.

Canonis Excommunicatio.

V. Excommunicatio Canonis.

Capella.

Nuntiari novum opus potest etiam contra ædificantem Capellam in præjudicium Parochialis Ecclesiæ. XXXII. 10.
Capellæ in locis non exemptis sine licentia Ordinarii loci, & in Exemptis sine licentia Papæ ædificari non debent. XXXIII. 211.
Quando exemptum est Monasterium, non hoc ipso exemptæ sunt Capellæ ipsi subjectæ. 261.

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

Interdictâ aliquâ Ecclesiâ interdictæ censentur Capellæ illius. XXXIX. 329.

Capitulum.

Si Episcopo facultas concessa sit creandi novam Dignitatem in Ecclesia ad eam creandam non indiget consensu Capituli. XXXIII. 11.
An, & quando Prælatus cum Capitulo, vel Conventu renuntiare privilegio possit. 183.
Si privilegium sit utile, & honorificum, unus solus aliis de capitulo contradicere, & renuntiationem privilegii impedire potest. 185.
Capitulum Sede vacante potest dispensare in irregularitate. XXXVII. 121.
Potest dare approbationem ad audiendas Confessiones fidelium. XXXVIII. 28.
Habet Jurisdictionem Ordinariam absolvendi à peccatis respectu totius Diœcesis. 39.
Non potest dare Indulgentias. 121.
Potest ferre Censuras XXXIX. 13.
Idem possunt Capitula Generalia, & Provincialia quarundam Religionum. ibid.
Capitulum, Sede vacante, potest interdicere, medio Vicario à se electo. 341.
Potest indicere cessationem à Divinis. 414.
Quibus conditionibus. 415.
An eas conditiones observare debeat Capitulum Sede vacante? 416.
Utrum valeat cessatio, à capitulo indicta, non observatis his conditionibus. 419.

Carcer.

Hujus diuturnitas pœnæ mitigationem meretur. XXXVII. 40.
